SACRA LITURGIA

SACRA LITURGIA

TOMUS I. Tractatus de Officio divino seu de Horis canonicis. Editio altera. 1904.

TOMUS II. Tractatus de Rubricis Missalis Romani. Editio altera. 1902.

TOMUS III. Tractatus de celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii. 1902.

TOMUS IV. Tractatus de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus. 1900.

TOMUS V. Cæremoniale, seu Manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas. Editio altera. 1903.

Cum duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, INSTIT. SEMINARII, Part. 3. Cap. I.

SACRA LITURGIA

TOMUS I

TRACTATUS

DE OFFICIO DIVINO SEU DE HORIS CANONICIS

AD USUM ALUMNORUM
SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS MECHLINIENSIS

OPERA

J. F. VAN DER STAPPEN

EPISC. TITUL. JOPPEN., AUXIL. EMI AC RMI DNI PETRI LAMBERTI
CARD. GOOSSENS, ARCHIEP. MECHLIN.
SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS

WITHDRAWN

EDITIO ALTERA.

MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA
FIDE NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.
1904

PETRUS LAMBERTUS

TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS GOOSSENS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS PRIMAS BELGII

Omnibus has visuris salutem in Domino.

Tractatum *De Officio Divino seu de Horis Canonicis,* opera Illmi ac Rmi Dñi J. F. Van der Stappen, Episcopi titul. Joppen. Auxiliaris Nostri concinnatum, pro egregiis quibus pollet dotibus libenter approbamus, et non tantum Seminarii nostri alumnis, sed et omnibus Diœcesis nostræ viris ecclesiasticis enixe commendamus. Perspicua methodo et ad normam recentiorum Decretorum quæstiones de Officio Divino tractavit Illmus Auctor, Sacræ Liturgiæ peritissimus. Non modicum conferet istud opus ut probe intelligatur et rite recitetur publica oratio quæ ab Ecclesiæ ministris nomine totius fidelium cœtus Deo quotidie offertur.

Datum Mechliniæ, 28 Decembris 1903.

† P. L., Card. GOOSSENS, *Arch. Mechl.*

De Mandato Emi ac Rmi Dñi Cardinalis Archiepiscopi.

F. Van Olmen, *Secret.*

Venerabili Fratri JOSEPHO *Episcopo Titulari Joppeno eidemque Auxiliari Archiepiscopi Mechliniensis*

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibuit tuo nomine Nobis dilectus filius ab epistolis Nostris ad Principes libros de re lithurgica quinque, quos ipse haud ita pridem edidisti ut eam publice doctrinam efferres quam in sacro seminario Mechliniensi tradidisti. Nos quidem valde delectat quod ipso in exordio Pontificatus Nostri praeclarum opus de divino peragendo cultu, pluribus auctum, iterum emiseris ; in id enim navitatem tuam egregie contulisti in quo Nostrae quoque curae magnam partem evigilant. Porro erudite atque accurate condita esse volumina magnopere gaudemus, minimeque dubitamus quin magisterii tui fructus non modo Mechliniae, verum etiam apud cetera seminaria uberes ac laeti parentur. Votis idcirco atque optatis tuum opus prosequimur, illudque ut manibus clericorum versetur, omnique per-

volutetur studio exoptamus. Quam profecto sollicitudinem si penes eos, quos instituendos acceperint, Episcopi ceterique Ecclesiae antistites alendam curaverint, multum inde et sacrorum doctrina rituum, et augustissimarum reverentia rerum, et templi sacerdotiique decus sine dubitatione proficient. Haec autem quia plurimi interest in Ecclesia Christi foveri, amplificari, expedita atque explicata reddi, debitam propterea laudem alacritati tuae ac diligentiae tribuimus, simulque enixe te hortamur ut ad Religionem sacrasque disciplinas provehendas maiorem in dies industriam, novosque studiorum fructus conferre ne desinas. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV. Martii Anno MDCCCCIV. Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

SACRA LITURGIA

NOTIONES PRÆVIÆ

ARTICULUS I

De Sacrae Liturgiae definitione, objecto, valore et obligatione

Q. 1. *Quæ est vocis Liturgiæ primitiva significatio?*

R. Nomine **Liturgiæ**, quæ vox originis græcæ (λεῖτον, ἔργον) proprie quodcumque **publicum ministerium** denotat, et in Sacra Scriptura determinatam magis atque restrictam habet significationem **ministerii publici sacri**, in Ecclesia a primis sæculis designabatur **Sacrosanctum Missæ Sacrificium**, cujus celebratio est ministerium eminenter publicum et sacrum, centrumque totius Catholici cultus; et quidem apud Græcos strictius ea Missæ pars quæ proprie **Canonem** complectitur.

Est autem notatu dignum, a Græcis Patribus, dum voce Liturgia ad designandum Eucharisticum Sacrificium utuntur, adjici solere epitheton **sacra** vel **mystica**, contrario occurrente usu apud Latinos Patres, quibus frequens est sensum eumdem nullo adjecto epitheto exprimere.

Idem Liturgiæ nomen a primitiva hac significatione ad ipsum contextum et ordinem lectionum, precum ac cæremoniarum quæ in offerendo Corporis et Sanguinis Domini Sacrificio adhiberi solent, translatum deprehendimus. Atque tot sunt Liturgiarum genera, quot ordines hujusmodi inveniuntur: hinc Liturgiæ SS. Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, in Ecclesia Orientali; — Romana, Ambrosiana, Mozarabica, in Ecclesia Occidentali.

Obsolevit autem usus quo vox Liturgia ad designandum Missæ Sacrificium restringebatur primis Ecclesiæ sæculis, et Liturgia in Ecclesia Latina eam significationem jamdudum accepit quam hodie habet. Quamvis enim Sacrosanctum offerre Sacrificium principale sit munus publice in Ecclesia Dei a sacerdotibus obeundum; cum tamen Horas canonicas persolvere, Sacramenta conferre et administrare, et reliquas ecclesiasticas functiones peragere, publica quoque sint ministeria ab iisdem exercenda; hinc Ordo in his omnibus servandus hodie Liturgia nuncupatur.

Q. 2. *Da definitionem Sacræ Liturgiæ Catholicæ, explicando.*

R. Sacra Liturgia Catholica est complexus **rerum, verborum** et **actionum** quibus **cultum externum Deo Ecclesia Catholica exhibet.**

Sub **rerum** nomine indicantur omnes substantiæ quæ ad cultum externum quocumque modo adhiberi possunt; ex. gr., hostia, vinum, aqua, altaria, paramenta, imagines, sal, olea, aliaque hujusmodi.

Sub **verborum** voce venit ea sacri ministerii pars, quæ in verborum prolatione, sive per cantum, sive per recitationem consistit.

Sub **actionum** vocabulo intelliguntur cæremoniæ; ex. gr., signa Crucis, genuflexiones, inclinationes, etc.

Exhiberi dicitur **cultus externus**, quo indicatur tractari de ministerio publico, seu de actibus externis, non autem de mere internis animi sensibus aut actibus.

Exhibetur **Deo** cultus: christiana enim vocis Liturgiæ significatio restringitur ad ministerium sacrum, cujus finis est divinam Majestatem honorare et revereri, hominibus Dei gratiam conferre, Deoque debitas gratias rependere.

Cultum exhibere dicitur **Ecclesia**, quo dicto excluduntur praxes privatorum licet externæ, et indicatur Liturgiæ objectum esse cultum præstitum a societate, quæ est Ecclesia, juxta normam ab ea statutam: est enim Liturgia ministerium publicum, λεῖτον.

Voce **catholica** rejiciuntur liturgiæ acatholicæ, et determinatur Liturgia vera, sancta, quæ sola legitima est.

Hæc autem præstare proprium et principale munus est sacerdotum, qui in hac parte, tamquam ministri Ecclesiæ et dispensatores mysteriorum Dei, Deo debitam adorationem in spiritu et veritate ac gratiarum actionem exhibent, homines participes faciunt gratiarum et beneficiorum Dei, et communicationem Deum inter et homines modo quodam ineffabili perficiunt et exterius proponunt. Unde sacerdotibus præcipue incumbit hujus sacræ scientiæ studium; cum et ipsi sint custodes quibus creditum est depositum cultus quem dispensare debent et integrum custodire; et doctores, quibus datum est nosse mysteria regni Dei, qui docere debent omnes gentes et eis exponere et declarare mysteria Religionis.

Q. 3. *Quodnam est objectum scientiæ liturgicæ?*

R. Objectum scientiæ liturgicæ est ordo servandus in persolvendis Horis canonicis, in celebrando Sanctissimo Missæ Sacrificio, in administrandis Sacramentis, in peragendis reliquis ecclesiasticis functionibus; qui ordo continetur in **Ritibus** ac **Cæremoniis** librorum liturgicorum. Leges vero aut regulæ, quibus hic ordo præfinitur et regitur, dicuntur **Rubricæ**.

Ritus intelliguntur plerumque preces quæ in celebratione Missæ, et divini Officii, ac in administratione Sacramentorum præscribuntur recitandæ, aliæ submissa voce, aliæ vero voce elatiore.

Cæremoniæ autem dicuntur actus, gestus, et alii motus qui comitantur verborum prolationem, aut res super quas vel cum quibus verba proferuntur, ut sunt benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa. (Concilium Tridentinum, Sess. 22, Cap. 5.)

Non raro tamen apud auctores ritus latius sumuntur: scilicet non solum pro precibus, sed et pro gestibus, et importat hæc vox non solum officium, sed et modum officii.

Rubrica vero proprie est quædam terræ species rubri coloris qua solent artifices ducere lineas ad sua opera concinnanda. Hac terræ specie consueverunt antiqui librorum titulos, capita et indices notare, præsertim titulos et inscriptiones legum: hinc factum est, ut leges ad Missam, Officium, aliaque sacra celebranda, rubro colore in titulis et capitulis tingerentur, ideoque Rubricæ nuncupatæ fuerint.

Q. 4. *Quis Sacram Liturgiam Catholicam instituit, et cuinam competit jus liturgicum?*

R. I. Præcipuos ritus præcipuasque cæremonias, ad ipsam religionis nostræ substantiam pertinentes, præscripsit ipse Christus Dominus. Etenim ad Liturgiam pertinent Sacramentorum materia et forma; extra omnem controversiam vero est Sacramenta esse institutionis divinæ quoad essentialia materiæ et formæ: quia solus Deus potest aliquibus signis seu ritibus visibilibus effectum supernaturalem permanenter alligare.

At præter Sacramentorum materiam et formam, reli-

quas rei liturgicæ partes Christus detulit Ecclesiæ ordinandas atque constituendas. E quibus ritus quosdam fuisse institutos ac cæremonias adhibitas ex Apostolica quidem disciplina et traditione, affirmat Concilium Tridentinum (Sess. 22, Cap. 5) ; alii autem ritus, aliæque cæremoniæ variis temporibus a Romanis Pontificibus aut Conciliis pie et sancte fuerunt institutæ ; quam potestatem eadem Sancta Synodus declarat (Sess. 21, Cap. 2) « perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. »

Ceterum etiam in his non essentialibus introducendis Salvator ipse exemplo præivit Ecclesiæ suæ, et quasi fundamentalia duxit lineamenta disciplinæ ritualis, cum diversis occasionibus diversas ipse adhibuit cæremonias ; dum, ex. gr., manus imposuit parvulis ut eos benediceret, ægris ut eos sanaret ; — dum surdomutum sanare volens, misit digitos suos in auriculas ejus et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in cœlum ingemuit ; — dum in deserto panes antequam distribuerentur aspiciens in cœlum benedixit ; — dum frequenter genuflexus vel procidens in faciem suam oravit ; — dum ascendens in cœlum, elevatis manibus suis benedixit illis qui ibi aderant ; etc.

II. Supremum jus legislativum, ad Sacram quod attinet Liturgiam, a prioribus Ecclesiæ sæculis Romani Pontifices exercuerunt ; et ipsis competit, quibus tamquam legitimis S. Petri successoribus concreditus fuit thesaurus fidei, et commissa fidei unitas servanda, ideoque ipsis solis omnino manet reservatum. (Cfr. Bouix, *Tractatus de Jure liturgico.*)

Q. 5. *Indica præcipuas Sacræ Liturgiæ utilitates.*

R. Mirandæ revera sunt pro fovendo sanctæ nostræ Religionis cultu Sacræ Liturgiæ Catholicæ proprietates : sufficiat indicare paucis ipsam esse fontem uberrimum sanctificationis, eruditionis et auctoritatis.

I. Liturgia catholica est ex natura sua sanctificans, et præpotens sanctificationis instrumentum ; cum sacri ritus ac cæremoniæ mira polleant aptitudine, ut homines excitent ac disponant ad recipien-

dum divinæ gratiæ imbrem, per sensibilium rerum media « fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis igne eas inflamment. » (Sixtus V. Constit. *Immensa*, 22 Januarii 1588.)

Pro Christi ministris præsertim exterior cultus ejusque religiosa observatio est pietatis internæ splendor, et ad hanc refovendam non modicum confert. (Concilium provinciale Lugdunense anni 1850. Decr. 20. — Collectio Lacensis, T. IV, p. 478.)

Clarissimum est effatum S. Josephi a Cupertino, qui rogatus ab aliquo Episcopo quomodo, si opus esset, clerum sibi commissum reformare posset, respondit, nihil aliud curandum esse, nisi ut Sacerdotes Sacrum Missæ Sacrificium devote celebrarent, et Clerici divinum Officium devote persolverent; nam, his officiis si bene fungerentur, illos cito in omnibus reformatum iri.

Sed et in omnibus fidelibus multas virtutes fovet et auget; etenim, ait egregie Cardinalis Bona, « licet ipsæ ceremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudochristianis et eterodoxis discernuntur. » (*De divina Psalmodia*. C. 19, § 3, n. 1.)

II. Liturgia catholica est insuper ex natura sua evangelizans, seu erudiens, et præpotens evangelizationis et christianæ doctrinæ instrumentum; cum ipsa totam rei christianæ seriem, veritates fidei, et salutis media, ditissima æque ac vividissima magisterii forma perpetuo insonet auribus, atque oculis repræsentet, ac rerum sacrarum majestatem commendet, et ita, ut iterum loquitur Sixtus V, magnam christiani populi eruditionem contineat.

Missa, ait Concilium Tridentinum (et quod de Missa dicit de tota Sacra Liturgia affirmari potest), magnam continet populi fidelis eruditionem. Quamobrem mandat Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et Festis. (Sess. 22, Cap. 8, *De Sacrificio Missæ*.) Item, ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit ut Pastores illorum vim et usum, pro suscipientium captu explicent. (Sess. 24, Cap. 7, *De Reformatione*.)

III. Liturgia catholica miram quoque continet veræ fidei protestationem, ait idem Sixtus V. Maximi facienda est auctoritas Sacræ Liturgiæ, et habenda est uti testis omni exceptione major Traditionis et Ecclesiæ fidei, cum in illa ecclesiarum omnium exhibeatur vox et testimonium. Si quid propterea occurrerit omnium Liturgiarum consensu firmatum, velut Ecclesiæ ipsius testimonium spectari debet : verum vix aliquod fidei dogma est, ex iis quæ Catholica profitetur Ecclesia, quod illæ non attestantur. (Perrone, *De locis theologicis*. Pars II, Sect. 2, Cap. 2, § 4.)

Sic ex exorcismis supra baptizandos confirmatur peccati originalis dogma; ex doxologia, qua terminantur omnes psalmi, doctrina mysterii Trinitatis ; ex ritu externo adorationis Eucharistiæ exhibito realis Christi præsentia ; ex omnibus orationibus necessitas gratiæ ad bonum operandum ; ex precibus, quæ ab antiquioribus sæculis pro defunctis funduntur, dogma purgatorii, etc. In his et similibus causis, ubi ex mente Ecclesiæ et publico omnium fidelium sensu, tam notoria est arctissima, quæ inter universalem praxim Ecclesiæ et dogma reperitur, connexio, usuvenit axioma theologicum et regula celebris S. Cœlestini Papæ in sua ad Galliarum Episcopos Epistola : « Legem credendi lex statuit supplicandi. »

Q. 6. *Quænam sunt causæ rituum, eorumve significationes ?*

R. Duæ causæ Ecclesiam ad cujusvis ritus institutionem movere potuerunt : causa nempe naturalis, et causa aliqua mystica seu symbolica.

Naturali causa movetur Ecclesia, dum aliquid pro ritu sacro præscribit ob eum finem in quem illud natura sua destinatum est ; dum, ex. gr., cereos accendi jubet luminis afferendi causa, vel thus incendi ad locum aliquem bonis odoribus replendum ; ut ita res ipsa essentialis quæ agitur, distinctius declarata velut ob oculos ponatur atque convenienti majestate et externo cultu condecoretur.

Mysticis causis movetur Ecclesia, quando ad spiritualem aliquem finem ista naturalia dirigit, veluti cereos ad designandum illam Lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; thus autem ad testandam erga Deum reverentiam ; ut ita excitetur et foveatur congruentior dispositio ac devotio in animis

fidelium, ad cultum Deo exhibendum et majorem fructum percipiendum. (Card. Franzelin, *De Sacramento Eucharistiæ*, Thesis VII.)

Mysticis cæremoniis summopere favet indoles Catholicæ Liturgiæ ; imprimis cum Christus ipse exemplo suo earum usum insinuaverit, omnia Sacramenta sub ejusmodi ritibus instituens. Hinc Ecclesia quamplurimos tales mysticos ritus introduxit, sine respectu ad causas naturales ; non quod non pertineant etiam ad ornatum, neque quod cultum etiam aliquem non contineant, sed quod principaliter propter significationem ordinati sint : ut mentes fidelium (sicuti Concilium Tridentinum loquitur) per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur.

Frequenter tamen quoque Ecclesia utramque illam causam, naturalem nempe et mysticam, simul admisit ; sicut, ex. gr., in institutione ritus vi cujus modicam aquam vino in calice offerendo miscemus : id enim sentiunt Patres Tridentini propterea fieri, tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur (quæ causa historica ad naturalem reduci potest), tum etiam, quia e latere Ejus aqua simul cum sanguine exierit (causa mystica). (Concilium Tridentinum, Sess. 22, Cap. 7).

Q. 7. *Quomodo distinguuntur Rubricæ ratione obligationis, et quænam est earum obligatio ?*

R. I. Inter varias Rubricas aliæ sunt substantiales, sine quibus non existerent res, verba, aut actiones ; ex. gr., quæ spectant materiam et formam Sacramentorum; ad quas servandas jure divino exstat obligatio ; — aliæ sunt quæ determinant modum, quo ad Dei gloriam et fidelis populi ædificationem sacræ actiones convenienter peragantur ; et istæ sunt aut præceptivæ, in conscientia et sub peccato (vel gravi vel levi pro materiæ natura) obligantes ad servandos ritus ab eis præscriptos ; — aut sunt directivæ, seu non obligantes per se, sed proponentes instructionem et directionem per modum consilii.

II. Prævalet sententia quod præceptivæ sint Rubricæ : 1° Ritualis, pro solemni Sacramentorum admini-

stratione ; 2° Missalis, pro agendis intra Missam ; 3° Breviarii, Pontificalis et Cæremonialis Episcoporum, quoad personas ad quas illorum librorum Rubricæ diriguntur.

Aliæ sunt Rubricæ in libris liturgicis quæ directivæ tantum sunt, quas accurate determinare non minus periculosum quam difficile est, et sane paucissimæ tantum sunt.

Quamvis autem Rubricæ directivæ de consilio tantum sint, et per se non obligent sub peccato, ratione tamen motivi inhonesti vel finis pravi, ex. gr., negligentiæ, socordiæ, animi dissipationis, etc., transgressio earum culpam venialem involvere, imo ratione contemptus, scandali gravis, vel periculi gravis in peccatum lethale incidendi, in peccatum mortale transire potest.

Quare, dicit S. P. Benedictus XIII, ab omnibus fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum administratione, in Missis et Officiis divinis celebrandis, aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis, non pro libitu inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in minimis etiam sine peccato negligi, omitti, vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis stricte præcipimus, ut contraria omnia, quæ in ecclesiis vel sæcularibus vel regularibus (iis exceptis, quæ proprio vel Rituali, vel Missali, vel Breviario utuntur a Sancta Sede probato) contra præscriptum Pontificalis Romani et Cæremonialis Episcoporum, vel Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione, vel immemorabili allegata consuetudine ; cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum. (Concilium Romanum anni 1725. Tit. 15, Cap. 1.)

Nota. Supra enunciatur distinctio præceptivas inter et directivas Rubricas, quia a pluribus jam sæculis ipsam exponunt auctores, licet non omnes eodem modo.

Fatendum est distinctionem istam esse confusam, et non satis intelligi, præsertim si cum quibusdam modernis asseritur, præceptivas esse et obligare illas solummodo Rubricas quæ ad Missam stricte pertinent, et nihil nos cogere ut alias omnes tamquam præceptivas habeamus, quæ potius instruunt tantum et dirigunt.

Etenim Rubricæ omnes, etiam extra Missam, sunt

leges, si autem leges sunt, patet ipsas ex genere suo obligare sub præcepto.

Non aliter sentiebant auctores antiqui, qui præceptivas vocabant Rubricas sub gravi obligantes, directivas vero illas quæ sub levi tantum obligant.

Rectius dicitur Rubricas esse simul præceptivas atque directivas : præceptivæ sunt quidem, quia præcipiunt et jubent quomodo dirigendi sunt actus quicumque cultus externi ; directivæ autem, quia dirigunt actus eosdem qui præcipiuntur, seu docent quomodo jussa sunt adimplenda.

Cæterum distinctio in sensu an obligent Rubricæ vel non, si admittitur, theoretica tantum est ; nam in praxi nullus auderet ab omni culpa excusare Sacerdotem, juxta Concilii Romani doctrinam, qui scienter et sine causa quamcumque vel minimam Rubricam negligat.

De quantitate obligationis vero, seu de majori minorive peccati gravitate circa Rubricarum transgressionem et negligentiam dicere, ad moralistarum provinciam pertinet.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 145, 340, 527 et sqq. ; et II, 1888, pag. 139 et sqq.)

ARTICULUS II

De fontibus Sacrae Liturgiae Romanae

Q. 8. *Quinam sunt fontes, ex quibus desumuntur regulæ Sacræ Liturgiæ Romanæ ?*

R. Fontes Sacræ Liturgiæ Romanæ sunt Libri liturgici, quibus pro sacris peragendis Romana utitur Ecclesia ; quinque recensentur, scilicet : 1° Breviarium cum Martyrologio ; 2° Missale ; 3° Rituale ; 4° Pontificale ; 5° Cæremoniale Episcoporum. — Præterea regulas quoque tradunt Decreta Sacrorum Rituum Congregationis.

1° Breviarium continet ordinem et regulas pro quotidianis Horis canonicis rite persolvendis.

Ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini fuit restitutum ;

Sancti Pii V jussu fuit editum anno 1568 ; et recognitum auctoritate primum Clementis VIII, anno 1602 ; deinde Urbani VIII, anno 1631 ; tandem Leonis XIII, anno 1885 ; hæc ultima recognitio reddit Rubricas Decreto S. Rituum Congregationis 28 Julii 1882 reformatas, et continet suo loco omnia Festa pro universa Ecclesia hucusque præscripta, Officia reformata, et Officia votiva anno 1883 concessa, necnon permulta nova Officia a S. Sede aliquibus locis indulta ; ei futuræ editiones conformari debent. — Cum hæc typica Breviarii editio, anno 1885 evulgata, sensim inductis additamentis, ac præsertim Rubricarum variationibus, a S. Rituum Congregatione die 11 Decembris 1897 decretis, haud amplius sit conformis, nova editio, ceu typica pro futuris editionibus habenda, excusa et evulgata fuit anno 1900. (Cfr. QQ. 72-76.)

Breviario adjungitur **Martyrologium**, seu Catalogus Sanctorum quos Ecclesia per totum annum honorat.

Fuit editum jussu Gregorii XIII anno 1584 ; recognitum auctoritate Urbani VIII et Clementis X ; auctum et castigatum labore et studio Benedicti XIV, anno 1749 ; et iterum diligenter recognitum et emendatum jussu Pii IX, anno 1873. — Quamplura elogia Sanctorum inde ab anno 1873 addita fuerunt ; catalogus variationum et additionum a Secretaria S. Rituum Congregationis editus fuit die 11 Martii 1901. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 266.)

Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio, probante SS.Domino Leone XIII,novam editionem Martyrologii Romani, recognitam et auctam, imprimi decrevit, statuitque ab aliis ubique locorum deinceps typis edi non posse, nisi accedente auctoritate Ordinarii loci, et omnino ad normam hujus exemplaris.

2° **Missale** continet ordinem et regulas pro Sanctissimo Missæ Sacrificio rite celebrando.

Sicuti Breviarium, fuit etiam Missale ex Decreto Concilii Tridentini restitutum ; Sancti Pii V jussu editum anno 1570 ; et recognitum auctoritate primum Clementis VIII, anno 1604 ; deinde Urbani VIII, anno 1634 ; tandem Leonis XIII, anno 1884 ; ultimam hanc recognitionem commendant : textus Rubricarum, juxta immutationes anni 1882 dispositus ; Missæ omnes pro universa Ecclesia præscriptæ,Missæ votivæ anno 1883 concessæ, Missæque multæ et novissimæ aliquibus provinciis vel diœcesibus a S. Sede indultæ, quæ omnes suo loco continentur ; tandem cantus, de quo Summus Pontifex per Decretum S. Rituum Congregationis, 26 Aprilis 1883, præscripsit, ut aliæ Missalis Romani editiones in futurum huic cantui conformes esse deberent ; quibus ex causis hæc editio suprema auctoritate munita est, cui omnes novæ editiones sint conformes. — Nova

editio, continens novissimas inductas Rubricarum additiones, et variationes die 11 Decembris 1897 a S. Rituum Congregatione decretas, excusa fuit anno 1899.

Exstat supplementum ad Missale Romanum, inscriptum : « **Memoriale Rituum** pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus. »

Fuit editum jussu Benedicti XIII, anno 1725. Exhibet praxim Rituum qui servari debent : 1° in benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. M. V. ; 2° in benedictione Cinerum in Capite jejunii ; 3° in Dominica Palmarum ; 4° in feria V in Cœna Domini ; 5° in feria VI in Parasceve ; 6° in Sabbato Sancto.

De eo ejusque usu agitur in Tomo V hujus Sacræ Liturgiæ cui titulus « Cæremoniale », in Appendice I, Q. 134.

3° **Rituale** continet ritus et preces, quæ in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt.

Fuit editum jussu Pauli V anno 1614 ; auctum vero et castigatum a Benedicto XIV anno 1752 ; novam editionem diligenter recognitam imprimi curavit S. Rituum Congregatio, statuitque per Decretum 24 Martii 1884, ut novæ ejusdem Ritualis editiones huic tamquam typicæ, præsertim quoad cantum, ad normam Decreti 26 Aprilis 1883 fideliter expressum, sint conformes.

In editionibus recentioribus Ritualis apponitur plerumque **Appendix**. Hæc continet collectionem Benedictionum, et variarum Instructionum, tum ad Missæ Sacrificium, tum ad Sacramentorum administrationem, tum ad alias sacras functiones pertinentium, quæ Sanctæ Sedis auctoritate approbatæ seu permissæ, in aliis libris liturgicis non inveniuntur.

In hac Appendice mutationes multæ reperiuntur factæ ; præsertim quoad diversas formulas absolutionis generalis in articulo mortis impertiendæ hucusque usitatas, quas omitti oportuit juxta Decretum S. Rituum Congregationis, 7 Maji 1882 (n. 3550, antiq. 5845) ; et quoad multas Benedictionum formulas, recens approbatas, aut authenticitatis nota gaudentes ; quæ omnes in editione supradicta anni 1884 exhibentur.

4° **Pontificale** continet ritus et preces pro functionibus episcopalibus.

Editum fuit jussu Summorum Pontificum ; recognitum vero et castigatum a Benedicto XIV, anno 1752. Per Decretum 3 Augusti 1888, S. Rituum Congregatio novam Pontificalis Romani editionem evulgari curavit, cui futuræ ejusdem liturgici libri editiones conformari debent, nihil prorsus addito, dempto, vel mutato. Eam editionem novam et singularem ut typicam habere voluit, eique quartam partem ut additamentum adjecit, in qua complures ritus ad majorem Episcoporum commoditatem concinnantur.

5° **Cæremoniale Episcoporum** tradit quæ agenda sunt in Ecclesiis præsertim Cathedralibus et Collegiatis ; sed insuper sæpe adhibetur ad explicandas aut supplendas Breviarii et præsertim Missalis Rubricas pro omnibus ecclesiis ; ideo vocatur jure merito liber per excellentiam liturgicus.

Quorumdam opinio solas Cathedrales et Collegiatas Ecclesias, non autem reliquas, ad Cæremoniale Episcoporum teneri, falsa est et rejicienda ; nam S. Rituum Congregatio rescripsit, per Decretum 17 Augusti 1894 (n. 3839, ad 1) : « ad Cæremonialis Episcoporum observantiam, juxta Apostolicas Constitutiones teneri omnes Ecclesias, præcipue autem Metropolitanas, Cathedrales et Collegiatas. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 669 ; et Dissertatio *De vi obligandi Cæremonialis Episcoporum*, auctore J. Solans, Ratisbonæ, 1887.)

Editum et auctum fuit jussu Benedicti XIV, anno 1752. Nova editio solerti studio redacta, et in qua plures emendationes, imprimis quoad cantum et organum perfectæ sunt, cura Sacræ Congregationis Rituum impressa, ac uti typica habenda declarata fuit per Decretum 17 Augusti 1886, eique hujus libri editiones in posterum sunt conformandæ.

De impressione Librorum liturgicorum quædam notantur in Tractatu de Celebratione Missæ, Q. 153.

Q. 9. *Quo anno, et a quo Summo Pontifice instituta fuit Sacrorum Rituum Congregatio ?*

R. Dictum fuit in responso ad Q. 4 (II), jus liturgicum competere Summo Pontifici. Sed ob negotiorum quæ ad Apostolicam Sedem pro regimine totius Ecclesiæ revolvuntur gravitatem et multitudinem, Summus Pontifex Sixtus V, Constitutione *Immensa æterni Dei* (22 Januarii 1587), instituit quindecim (hodiedum plures

sunt) diversas Congregationes aliquot Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quæ partiti oneris portiones commodius ac levius ferrent ; inter quas quinta assignatas habet tractationes de sacris Ritibus ac Cæremoniis, iisque omnibus quæ cum Sacra Liturgia connectuntur, et nomen habet SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS.

NOTA. Quinque Cardinales designavit Sixtus V, sed jam major est delectorum numerus : hodiedum reperiuntur in ea Cardinales circiter 30, quorum plures Romæ resident ; unus ex eis est Præfectus, cæteri sunt judices.

Præter Cardinales habet hæc Congregatio Prælatos Officiales (numero circiter 15), Consultores (numero circiter 25), Officiales (numero circiter 10), qui e clero tum sæculari tum regulari assumuntur, subjectas causas cognoscunt, et opportunas responsiones judicio Cardinalium proponunt, resque definitas expediunt. Instituta fuit inde ab anno 1896 Commissio Liturgica, quæ etiam examinat quæstiones proponendas et suum dat votum ; unde sæpius legitur in recentioribus S. Congregationis Decretis : « audito voto Commissionis Liturgicæ ». Sex numero sunt hujus Commissionis socii. — Insuper pro causis Canonizationis vel Beatificationis adnumerantur circiter viginti numero Advocati et Procuratores, partim ecclesiastici, partim laici.

Denique per Decretum 28 Novembris 1902, S. Rituum Congregatio, probante SS. Domino Leone XIII, constituit peculiarem Commissionem historico-liturgicam, cujus erit, multiplices historicas quæstiones revolvere, dilucidare, enodare, quæ Agiographiam et Liturgiam tangunt, ac illas præcipue, quæ eventualem respicere possunt emendationem aut reformationem liturgicorum Codicum, scilicet Martyrologii, Breviarii, Missalis, Ritualis et similium. Constat hæc Commissio ex sex eximiis Sacerdotibus, qui designantur in Decreto ; quibus adjungi poterunt in posterum alii socii consulentes, qui ad opus apti videantur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 17.)

(Cfr. Haine, *Synopsis S. R. E. Cardinalium Congregationum*, Tit. XI ; et *La Gerarchia Cattolica per l'anno 1903*.)

Q. 10. *Quodnam est officium hujus Tribunalis ?*

R. Sacræ Rituum Congregationis officium duplex est : 1° Curam habet de gravibus negotiis super Canonizatione seu Beatificatione Sanctorum, sive Cultu aliquorum Dei servorum. De hoc S. Congregationis Rituum officio agitur in Tractatu de Jure canonico.

2° Invigilat observantiæ et puritati rituum ac cæremoniarum, et festorum dierum celebritati ; — Sanctorum officia examinat et, consulto Papa, concedit ; —

cavet ne quid minus rectum minusve fidei consonum, aut religionis integritati ac decori impar in Dei cultu exercendo umquam irrepat ; — insuper pollet facultate per Sedem Apostolicam sibi facta, interpretandi et declarandi concessiones Pontificias, Rubricas, et quæcumque dubia quæ circa ecclesiasticos ritus, cæremonias, ac divina officia insurgunt, et circa eadem disponendi, prout circumstantiæ, et temporum ac congruentiarum varietas exposcunt.

Ejus resolutiones vocantur **Decreta**.

Q. II. *Ubi reperiuntur Decreta Congregationis SS. Rituum ? In quibus differt recenter evulgata quarta Decretorum Collectio a præcedentibus ? Quid dicendum est de Decretis quæ in præsenti Collectione non reperiuntur ?*

R. I. Decreta Congregationis Sacrorum Rituum reperiuntur in Collectione edita sub titulo : **Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata.**

Hujus Collectionis quarto jam Romæ editæ volumina tria prodierunt annis 1898 et 1900, et exhibent Decreta numero 4051, edita a mense Majo 1588 usque ad 15 Decembris 1899. Resolutiones tamen numero plures sunt, quia sæpe sub eodem Decreto ad plura et diversa Dubia proponitur quæsita et reddita responsio.

Appendicis instar evulgatum fuit anno 1900 volumen quartum, sub titulo : **Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum, et Suffragia atque Adnotationes super Decretis Sacrorum Rituum Congregationis.** In hoc volumine proponuntur eruditissimæ Adnotationes clarissimi Gardellini ; necnon Vota doctorum ab ipso olim recentioribus Decretis subtexta, ab anno nempe 1817 ad annum 1837 ; et insuper Suffragia sex ad præcipua quædam Decreta ab anno 1893 ad annum 1897 edita.

Denique anno 1901 integrum opus excepit in volumine quinto **Index generalis rerum occurrentium in Decretis Sacrorum Rituum Congregationis**, qui Index, alphabeti ordinem prosequendo digestus, abunde et accurate Decreti cujusque sententiam brevi et dilucide enuntiat.

Per Decretum Urbis et Orbis, diei 16 Februarii 1898, SSmus Dnus Leo Papa XIII hanc Decretorum Collectionem Apostolica sua auctoritate approbavit, atque authenticam declaravit.

Hujus Collectionis editiones authenticæ tres jam præsentem præcesserunt ; quarum prima exorsa est Romæ anno 1807, secunda anno 1827 ; utramque digessit et curavit clarissimus Aloysius Gardellini, S. Rituum Congregationis adsessor, liturgicam disciplinam optime callens, et nemini diligentia, fide, eruditione secundus. Tertia prodiit anno 1856, curantibus delectis viris liturgicarum rerum bene eruditis ; quam exceperunt variæ Appendices, adeo ut hujus tertiæ editionis Decreta numerentur 5993, usque ad diem 23 Novembris 1887.

Quanto fuerit in pretio habita Collectio a Gardellini primum digesta apprime demonstrat illud quod trium editionum exemplaria vix in commercio reperiri contingat, et ab anno 1891 nova editio desiderari cœperit.

Quarta editio illa est quæ supra enuntiatur ; ad eam curandam S. Rituum Congregatio instituit Commissionem sex liturgicæ rei peritorum, qui anno 1900 injunctum opus absolverunt, omnium Decretorum summa mature prudenterque per singulas partes æqua judicii lance pensitata.

II. Nova Collectio, temporis seu chronologico ordine servato, Decreta denuo refert, quæ in recentiore editione tertia excusa reperiuntur ; iis tamen non paucis ademptis : *a*) quæ circa idem subjectum undecumque relatum, sæpius repetita supervacuo et otiose locum tenere compertum sit ; — vel *b*) quæ per seriora authentica responsa fuerint abrogata ; — vel *c*) quæ secum ipsa aut cum certo Rubricarum præscripto confligerent ; — vel *d*) quæ modo, post novissimas ipsarum Rubricarum recensiones atque emendationes, jure suo prorsus exciderint ; — vel *e*) quæ, mutatis rerum adjunctis, omni in præsentiarum usu careant ac utilitate. (Animadversio I in capite voluminis I.)

Consequentiam habuit hæc diversis ex rationibus supradictis ademptio quod Decretorum in præcedentibus editionibus excusorum copia ingens exsulaverit ; et revera de Decretis numero 5993 præcedentis editionis remanserunt in præsenti quarta editione tantum numero 3682 ; insuper in Decretis quæ remanserunt, et in quibus plura et diversa Dubia proposita habebantur, aliis retentis, non paucæ etiam resolutiones expunctæ fuerunt.

Quo vero inquirentium commodo prospiceretur, et studiosorum necessitati, recenti numero quartæ editionis pro singulo Decreto adjunctus fuit numerus antiquus qui Decretum in tertia editione adnotaverat. — Uterque numerus pro citatis Decretis in diversis Tractatibus nostræ Sacræ Liturgiæ semper adnotabitur.

III. Uti ex supradictis patet, plura præcedentium Collectionum Decreta fuerunt expuncta ; insuper plura in variis auctoribus et ephemeridibus citantur et circumferuntur S. Rituum Congregationis Decreta quæ numquam in ulla authentica Collectione fuere promulgata.

Per Decretum 16 Februarii 1898, quo SSmus Dnus Leo Papa XIII quartam Collectionis editionem approbavit, simul « statuit Decreta hucusque evulgata in iis, quæ a Decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quæ pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant. »

Q. 12. *Quomodo distinguuntur Decreta S. Rituum Congregationis ? Explica.*

R. Distinguuntur præcipue Decreta S. Rituum Congregationis tum sub respectu tituli seu superscriptionis, tum sub respectu objecti quod in ipsis proponitur.

I. Pervolventi Decretorum Collectionem statim apparet singula Decreta habere titulum, vel 1° plerumque peculiarem seu particularem, a nomine loci, nempe alicujus Diœcesis, aut alicujus Ordinis Religiosi ; vel 2° aliquando generalem.

1° Si titulus particularem locum assignat aut Ordinem, signum est quod Dubia in hujusmodi Decreto resoluta proposita fuerunt ab aliquo Episcopo aut Ordinis Superiore, vel de eorum consensu, vel eorum nomine et auctoritate. Quando igitur titulus Decreti est *Mechlinien., Tornacen., Capuccinorum, Societatis Jesu,* Dubia fuerunt S. Congregationi proposita vel ab Archiepiscopo Mechliniensi, vel ab Episcopo Tornacensi vel a Superiore Capuccinorum, vel a Superiore Societatis Jesu, vel de eorum consensu, vel eorum nomine vel auctoritate ab aliquo ex eorum subditis ; et a S.

Congregatione fuerunt his resolutiones ad proposita Dubia traditæ.

Si placet alicui hujusmodi Decreta uti particularia æstimare, quia Dubia fuerunt a particulari Episcopo vel Superiori proposita, et in eorum gratiam resolutiones fuerunt prolatæ et editæ, non tamen inde deducendum est, quæcumque in his Decretis resoluta tantum esse accipienda et observanda a solis subditis Episcopi vel Superioris, et non ab aliis ; quod ex infra dicendis patebit.

2° Si titulus Decreti generalis est, ex. gr., *Decretum generale, Urbis et Orbis*, signum est Decretum hujusmodi fuisse a Summo Pontifice vel a S. Rituum Congregatione motu proprio, et non ad petitionem alicujus particularis editum ; et Decretum dirigi ad plures Diœceses, vel ad plures Ordinis vel Ordinum subditos, imo aliquando ad Ecclesiam universam.

In recenti Collectionis editione Decreta non pauca, primitus edita sub titulis particularibus diversis, conjuncta fuere et titulum mutuata sunt generalem ; etenim in animadversione II, in capite voluminis primi legitur : « Cum interdum super materia centies retractata, innumera prope Decreta peculiaria haberentur, aptius visum est atque consultius loco illorum Decretum Generale unicum noviter adornare ; quod cunctas istiusmodi peculiares definitiones complectens, rem omnem regeret atque absolveret ; datum scilicet *Romæ* sive *Urbis*, sub aliqua propria die ; et si quando, ratione objecti, *Generalis Decreti* titulum sortiri minime posset, tunc *Dubiorum* vel *Romana* titulo inscriberetur. »

II. Sub respectu objecti quod in ipsis proponitur distinguuntur Decreta 1° formaliter generalia, 2° Decreta æquivalenter generalia, 3° Decreta particularia.

1° **Decreta generalia** sunt ea quæ expressis verbis pro universa Ecclesia edita sunt, vel in quibus proponuntur regulæ in quibusvis Ecclesiis, et ab omnibus servandæ pro determinato objecto. Et quando hujusmodi Decreta habent titulum generalem, ab auctoribus vocantur **formaliter generalia**.

Exempla sint : Decretum generale 30 Junii 1896 (n. 3922), in quo describuntur regulæ observandæ quando dicuntur Mis-

sæ votivæ ; — Decretum generale 30 Junii 1896 (n. 3920), quo præscribuntur regulæ observandæ pro numero et ordine Orationum quæ dici debent in diversis Missis de *Requiem* ; — Decretum *Urbis et Orbis*, 28 Junii 1889 (n. 3712), in quo proponuntur conditiones sub quibus conceditur Missa votiva de Sacro Corde Jesu in Feria VI quæ prima unoquoque in mense occurrit. — In his Decretis titulus est generalis, et objectum singuli Decreti tale est quod ubique jam et ab omnibus observari debet ; sive Romæ enim, sive in Belgio, sive in America celebrentur Missæ votivæ, Missæ de *Requiem*, Missa votiva de Sacro Corde Jesu ut supra, ubique gentium et ab omnibus Sacerdotibus servari debent regulæ et conditiones in præfatis Decretis expresse determinatæ. Sunt igitur hæc Decreta formaliter generalia.

2° **Decreta æquivalenter generalia** ea sunt, quæ quidem titulum generalem non præ se ferunt, sed particularem, quia ad petitiones particularium sunt edita ; quorum tamen objectum de quo in ipsis agitur generale est, nempe quod ubique et ab omnibus particularibus erit observandum ; seu in quibus declaratur atque statuitur jus commune quod spectat non ad particulares personas tantum, sed ad omnes et ubique ; qualia sunt Decreta quæ Rubricas interpretantur, earumque sensum determinant. — Objectum quidem est generale, titulus vero est particularis ; titulus autem qualitatem objecti non mutat ; et ideo hujusmodi Decreta censentur et vocantur æquivalenter generalia.

Exempla : Decretum formaliter generale statuit conditiones celebrationis Missæ votivæ de Sacro Corde Jesu in prima Feria VI cujusque mensis, ut supra ; ad dubium propositum de mandato Episcopi Montis Politiani, S. Congregatio declarat hanc Missam debere celebrari cum *Gloria*, et *Credo*, et unica Oratione. (Decret. 20 Maji 1890, n. 3731, ad 1.) Etiamsi Decretum titulum habeat peculiarem *Montis Politiani,* id quod in ea resolutione declaratur profecto est objectum generale, et servari debet non tantum in Diœcesi Montis Politiani, sed ubique et ab omnibus. — Rubrica Missalis præscribit quod Sacerdos celebrans in Altari in quo est Tabernaculum SS. Sacramenti genuflectat in accessu, item antequam incipit Missam (Ritus, Tit. II, n. 2, et Tit. III, n. 1) ; ad petitionem Episcopi Marsorum S. Congregatio decrevit genuflexionem in accessu esse faciendam in plano, alteram vero in infimo gradu Altaris. (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 47, antiq. 4669, ad 51.) Nemo æstimabit hanc declarationem Rubricæ Missalis servandam esse a solis subditis Episcopi Marsorum, et non ab omnibus

Sacerdotibus ubique terrarum Missam celebrantibus. — In his Decretis titulus est particularis, objectum vero petitionis et rescripti est generale, et resolutio utraque æquivalet Decreto generali ab omnibus servando.

3° Decreta particularia illa sunt quæ pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habent ; seu in quibus, sive ex dubii expositione, sive ex responso, sive ex circumstantiis patet agi non de jure communi, sed de jure particulari personarum vel locorum, ex privilegiis vel legitima consuetudine exorto. — Hujusmodi Decreta non solum sub respectu tituli, sed etiam sub respectu materiæ tractatæ seu objecti illas dumtaxat respiciunt Ecclesias aut personas, in quarum gratiam sunt edita et prolata, et ad alias non extenduntur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 160.)

Talia sunt, ex. gr., Decreta plura quibus dantur Indulta specialia pro Missæ celebratione Sacerdotibus infirmis. — Item Decretum quo S. Congregatio declarat servari posse consuetudinem pulsandi tantum organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite missa est*. (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, antiq. 5102, ad 5.)

Q. 13. *Quænam est auctoritas, et quænam obligatio Decretorum S. Rituum Congregationis ?*

R. I. Ad stabiliendam et definiendam auctoritatem Decretorum S. Rituum Congregationis sufficiat sequentia ipsius S. Congregationis Decreta referre :

1. Cum propositum fuerit penes S. Rituum Congregationem sequens dubium, videlicet : « An Decreta a Sacra Rituum Congregatione emanata, et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editæ, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ ? » S. Congregatio, expositis rationum momentis et diligenter consideratis, rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 23 Maji 1846, n. 2916, antiq. 5051, ad 7.) Non raro tamen fit Decretorum relatio ad Summum Pontificem, qui in casu ea suprema sua auctoritate confirmat.

2. Quid sit intelligendum illis verbis superioris De-

creti : *scripto formiter editæ*, explicatur in sequenti Decreto :

« 1. Quæritur : An per verba *dummodo formiter scripto edita fuerint*, sufficiat quod sint subscripta a Sacræ Rituum Congregationis Præfecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munita ; vel potius requiratur, ut sint vel Romæ vel ab Episcopis in suis Diœcesibus promulgata ? »

« 2. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam : An tamquam *formiter edita* habenda sint Decreta et Responsiones in authentica Collectione insertæ ? »

« Et Sacra Rituum Congregatio, post diligens omnium examen, respondere rata est : Ad 1. Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. Ad 2. Affirmative ; uti patet ex adjecta Declaratione. » (Decret. 8 Aprilis 1854, n. 3023, antiq. 5202.)

3. Ad dubium : « An Decreta Sacræ Rituum Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariæ invectæ consuetudini, etiam immemorabili ; et in casu affirmativo, obligent etiam quoad conscientiam ? » S.Congregatio respondendum censuit et rata est declarare : « Affirmative ; sed recurrendum in particulari. » (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 13, antiq. 5102, ad 16.)

II. Quando S. Rituum Congregationis Decreta habent conditiones requisitas ad rigorosum Decretum, aliquid præcipiens vel prohibens ; ex. gr., si tenor est : *servandam esse*, vel *eliminandam esse consuetudinem, ita rescripsit et servari mandavit, etc.* ; aut si versantur circa Rubricas, easque declarant et interpretantur ; seu in particulari casu earum sensum determinant, ut quævis ambiguitas auferatur ; tunc sunt præceptiva, ex natura sua vim legis habent, extenduntur quantum ipsa liturgica lex extenditur, et obligant sub peccato, vel gravi vel levi pro materiæ natura. (Cfr. Decretum supra citatum tertio loco.)

Attamen, etiam pro hujusmodi Decretorum universali obligatione, sapienter vult S. Congregatio, ut quando difficultas oritur ex peculiari conditione locorum, sive ex consuetudinibus quæ rationabiles esse possunt, etiamsi Decreta vim legis habeant, atque ex

se idonea sint ad consuetudines abolendas, tamen semper recurratur in particulari, cum non semper et non omnes consuetudines derogationi absolute subjiciantur.

Nota. Arbitrantur quandoque nonnulli plura reperiri Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione lata, quæ sese inter adversa fronte repugnent. Respondetur eos errare quam maxime, quia plerumque non distinguunt casum a casu ; ignorare, habendam esse quandoque rationem consuetudinis, vel immemorabilis, vel legitime inductæ, et difficillime sine offensione et scandalo abrumpendæ ; neque considerare, in aliqualibus speciebus, attentis diversis factorum circumstantiis, a juris rigore consulto posse vel debere recedi quoad ea quæ circa disciplinam versantur, quin ulla generali regulæ noxa inferatur. (Cfr. Suffragium super Decreto 22 Martii 1827, n. 2661, antiq. 4636, Vol. Collectionis IV, pag. 298.)

Nemo non videt, in propositis casibus, in quibus Sacra Congregatio in minimis et usque ad pulverem, ut dicitur, identidem descendere cogitur, ob hujusmodi causas, aliquando ipsam posse vel debere recedere a decisis ; attamen hæc recessio in legum declaratione rarissime contingit, et si contingit, tunc standum est posterioribus Decretis.

Q. 14. *Da sensum quarumdam formularum, quæ in responsis S. Rituum Congregationis usitatæ sunt.*

R. Propriam habet S. Rituum Congregatio respondendi ad propositas quæstiones rationem : Præmisso titulo (cf. Q. 12, I), et exposito brevi ratione dubio, suam responsionem communiter exorditur per formulam cujus tenor seu sensus est : *Et S. Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, et exquisito voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris* (vel hodiedum sæpius *Commissionis Liturgicæ*, cfr. Q. 9, Nota), *omnibus maturo examine perpensis, respondendum* (vel *rescribendum*) *censuit.* — Sequitur tunc dubii resolutio brevissima, quæ plerumque continetur uno verbo *Affirmative*, vel *Negative*, prout respondendum censet. — Tandem clauditur Decretum per verba : *Atque ita respondit* (vel *decrevit*, vel *rescripsit*, vel *ordinavit*, vel *declaravit*), addito sæpe *et servari mandavit.* Indicatur in fine dies, mensis et annus prolati Decreti. Rarius S. Rituum Congregatio rationem reddit suæ responsionis.

Formula hujusmodi communis est ; sed patet variationes posse dari in diversis casibus, ex. gr., quando Decretum generale editur motu proprio.

Quasdam formulas resolutionis proprie dictæ placet hic ulterius exponere :

1° *Affirmative*, vel *negative*, **in casu de quo agitur** ; — **prout jacet.** — Hac formula S. Congregatio declarare intendit solum dubium propositum, ita ut cæteris casibus non omnino similibus declarationem suam applicare nolit.

2° *Affirmative*, vel *negative*, **et ad mentem** ; vel **juxta mentem.** — Indicatur annexa esse responso monitum aut elucidationem, ad seu juxta cujus sensum ipsa Congregatio responsum dedit. Ordinarie sequitur : *Et mens est, quod etc.*

3° *Affirmative*, vel *negative*, vel *in decisis*, et **amplius.** — Significat causam satis superque fuisse discussam et decisam, et amplius non haberi sermonem de hac, seu amplius proponi vetitam. Reperiuntur hæc verba *et amplius* in variis Decretis præcedentium editionum Collectionis, quorum pleraque e nova editione fuerunt expuncta.

4° *Nihil* ; item *Non expedire.* — Idem est ac : non admittitur petitio, ut incongrua.

5° *Lectum* ; *relatum.* — Intellige : cum lectum aut relatum fuit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum. — Ipsa S. Congregatio significavit aliquando *lectum* idem esse ac *reprobari morem.* (Cfr. Decreta 15 Maji 1664, n. 1287, antiq. 2267; et 15-18 Maji 1819, n. 2600, antiq. 4563.)

6° *Dilata.* — Significat responsum nondum dari ; vel ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis. — In antiquis Decretis reperitur etiam aliquando *dilata* resolutio, quia quæstio non fuit bene posita : nonnumquam tunc fuit additum : *Scribat alter* ; *Iterum proponatur* ; *Dubium reformetur.* Hæc tamen in recenti editione non amplius prostant.

7° *Dentur Decreta* ; *juxta alias decreta.* — Significat in anterioribus Decretis dubium propositum jam fuisse solutum, eaque Decreta, quæ plerumque citantur, esse consultanda. — Et si aliquando consulens instat, respondetur etiam : *Standum in decisis.*

8° *Provisum in primo* ; — *in secundo* ; *etc.* — Indicat in præcedenti numero aut membro primo, secundo, etc.

ejusdem consultationis, seu ejusdem Decreti, in quo plura dubia simul proponuntur, responsum jam fuisse datum et haberi.

9° *Serventur Rubricæ.* — Hujusmodi responsum est formale mandatum ; scilicet : dubium propositum est contra Rubricas, hæ serventur ; vel : dubium propositum spectat observationem Rubricæ præscriptæ, hæc sequenda est, servetur ; quasi diceretur : fiat tantummodo quod Rubrica præscribit, nihil mutando, nihil addendo, nihil omittendo.

De hac resolutione dicunt Ephemerides Liturgicæ : « Cum S. Rituum Congregatio respondet quæsitis illi propositis : *Serventur Rubricæ*, cum facile tamen respondere posset : *Negative*, significare intendit, id quod petitur nolle se permittere, quia vel in toto vel in parte a Rubricis dissonum. Hinc quæstionem indirecte quidem, sed absolute dirimit, inquirentem remittendo ad Rubricas. Ejusmodi autem posita responsione, adhuc posse fieri juxta petita, quæ concessa non sunt, sustineri non potest ; sed Rubricæ omnino servandæ, prouti jacent. » (IV, 1890, pag. 641, in Nota.)

10° *Facto verbo cum Sanctissimo.* — Hac formula injungitur, quando de re graviori agitur, ut rescriptum, vel resolutio S. Congregationis referatur Summo Pontifici ; qui cæteroquin S. Congregationis judicium approbare solet. — Sequitur enim sequens formula in casu post ipsum Decretum : *Facta postmodum de his SSmo Domino Nostro Papæ per Emum Dnum Cardinalem Præfectum* (vel *per Secretarium*) *relatione, Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit.* Quæ confirmatio ordinarie datur paucos post dies.

11° *Consulat probatos auctores* — Cum aliquando ipsa legitima auctoritas ob quædam motiva censeat magis decere ut abstineat a resolutione ferenda, hac adhibita formula, postulantes remittit ad probatos auctores et leges moralis prudentiæ. — In recentiori Collectionis Decretorum editione quædam ex hujusmodi responsionibus omissæ fuerunt una cum propositis dubiis, quædam locum dederunt determinatæ resolutioni, paucæ tantum remanserunt.

Animadvertere hic juvat, quod non raro difficultas oritur ex intellectione Decretorum, quæ non omnibus, ut par est, pervia censetur; quorum consonantia non facile ab omnibus reperitur; et ex quibus non omnes eruere valent principia pro applicatione legis liturgicæ ad singulos casus; eo vel magis quod facta exponi soleant brevissima synoptica ratione. Genuina Decretorum mens determinanda et haurienda sæpius esset ex fontibus, seu præparatoriis scripturis, seu votis, quæ pro decisionibus in Congregatione distribuuntur et leguntur, et in quibus controversiæ exponuntur, quæstionum status cum adjunctis explicantur, rationum momenta adducuntur, et ipsa dubia proponuntur solvenda. Verum hæc documenta plerumque desunt, et in Collectione Decretorum nonnisi pro paucis Decretis reperiuntur. Uti notatum fuit in responso ad Q. 11, hæc Vota et Suffragia eruditissima proponuntur in volumine quarto recentioris editionis Decretorum, ad instar Appendicis ad Collectionem. — Perspicax liturgicus prudentem aptitudinem acquirere studebit, ad recte judicandum, et valorem principiorum et legum juste æstimandum.

ARTICULUS III

De diversis Liturgiis quae hodie apud Catholicos in usu sunt

Q. 15. *Indica diversas quæ hodiedum in usu sunt Catholicas Liturgias.*

R. Apostoli a Christo Domino edocti, accepto Spiritu sancto, SS. Sacrificium offerebant secundum exemplar a Magistro acceptum, stabilientes ubique gentium eumdem cultum, eamdem Liturgiam. Hæc Apostolorum Liturgia tribus prioribus sæculis immutata remansit, et quoad essentiam conservata nobis est in Libris II et VIII Constitutionum Apostolicarum communiterque nominatur **Liturgia Clementina.**

Verum, uti gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus religionis cultumque divinum diversis postea usi sunt institutis, quæ, salva Christianæ fidei integritate, vix possent ab eis vel omitti, vel auferri. Propterea decursu temporis, sæculo præsertim quarto, in diversis regionibus varii efformati fuerunt, et etiam nunc remanent ritus, quibus Officia divina persolvuntur et Sacrificium offertur. Ad hæc scribebat Pius IX in Constitutione *Romani Pontificis*, 6 Januarii 1862:

« Fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus imo major in Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. » Et in Litteris Apostolicis ad Orientales, 6 Januarii 1848 : « Omnino sartas tectas habebimus peculiares vestras Catholicas Liturgias, quas plurimi sane facimus, licet illæ nonnullis in rebus a Liturgia ecclesiarum latinarum diversæ sint. Enimvero Liturgiæ ipsæ vestræ in pretio pariter habitæ fuerunt a Prædecessoribus Nostris, utpote quæ et commendantur venerabili antiquitate suæ originis et conscriptæ sunt linguis, quas Apostoli aut Patres adhibuerunt, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur. »

Quæ Catholicæ Liturgiæ hodiedum adhuc in usu sunt, generatim distinguuntur **Orientales** et **Occidentales**, et sequentes enumerantur :

A. Liturgiæ Orientales, quæ originem ducunt ex antiquissimis Liturgiis Apostolicis tribus, Sancti Petri scilicet, Antiochiæ instituta ; Sancti Marci, Alexandriæ observata ; et Sancti Jacobi, Hierosolymis adhibita :

1° **Liturgia Græcorum**, quæ Sanctos Basilium et Joannem Chrysostomum sæculo quarto reformatores primitivæ S. Jacobi Liturgiæ habuit. Distinguuntur in ea :

a) Ritus Græcus purus, qui non habet hierarchiam constitutam ; qui eum sequuntur sunt sub jurisdictione duorum Delegatorum Apostolicorum qui resident Athenis et Constantinopoli. Italo-Græci, in Italia, Sicilia et Corsica sunt sub jurisdictione Ordinariorum ritus Latini.

b) Ritus Græco-Rumenus, in Austria-Hungaria usitatus ; habens sedem metropolitanam unam cum tribus suffraganeis.

c) Ritus Græco-Ruthenus, in Austria-Hungaria ; habens sedem metropolitanam unam Leopoli (Lemberg), in Galicia, et sex Episcoporum sedes ; præterea sunt in Russia ejusdem ritus tres Episcoporum sedes.

d) Ritus Græco-Bulgarus, in Turchia Europea ; pro

istius ritus Catholicis erexit Leo XIII duos Vicariatus Apostolicos, in Thracia unum, in Macedonia alterum ; habent Episcopos proprii ritus, sed titulares.

e) Ritus Græco-Melchitus, in Asia, Patriarcham habens Antiochiæ, tres Archiepiscopos, et novem Episcopos.

2° **Liturgia Syrorum**, in Asia, quæ videtur esse Liturgia Antiochena S. Petri e græco in syriacum translata sermonem. Distinguuntur in ea :

a) Ritus Syrus, Patriarcham habens Antiochiæ, tres Archiepiscopos, et sex Episcopos.

b) Ritus Syro-Chaldæus, conversis Nestorianis primum concessus, Patriarcham habens Babyloniæ, duos Archiepiscopos, et decem Episcopos.

c) Ritus Syro-Maronitus, Patriarcham habens Antiochiæ, sex Archiepiscopos, et tres Episcopos.

d) Ritus Syro-Sorianus seu Malabaricus ; iste ritus non habet propriam hierarchiam constitutam, sed Catholici sunt sub jurisdictione trium Vicariorum Apostolicorum ejusdem ritus.

3° **Liturgia Armenorum**, quæ majorem suarum precum partem a Liturgiis Græcis mutuavit ; habens Patriarcham in Cilicia Asiæ, et sedes sexdecim in Asia, unam in Africa (Alexandriæ), et duas in Europa, nempe unam in Russia (Artuin), et alteram Leopoli (Lemberg) in Austria-Hungaria.

4° **Liturgia Coptorum**, quam sequuntur Catholici degentes in Ægypto et in Abyssinia. Distinguitur :

a) Copto-Ægyptiana, quæ est S. Marci Alexandrina Liturgia in coptum sermonem sæculo V translata ; hæc habet, ab anno 1895, constitutam a Summo Pontifice Leone XIII hierarchiam, scilicet sedem patriarchalem Alexandriæ, et duas sedes Episcoporum.

b) Copto-Æthiopica, seu Abyssina, e pluribus Liturgiis particularibus conflata, et in linguam Æthiopicam, quæ tamen a populari diversa est, translata ; qui eam sequuntur sunt sub jurisdictione Vicarii Apostolici, qui est Episcopus titularis ritus Latini, et residet in Abyssinia.

(Cfr. La Gerarchia cattolica per l'anno 1903. Notionem brevem Rituum Orientalium, eorumque diversitatis a Liturgia Latina in præcipuis functionibus, vide in

Ephemeride : *L'ami du Clergé*. Langres. XVII, 1895, pag. 922 et sqq. ; et XIX, 1897, pag. 257 et sqq.)

B. Liturgiæ Occidentales. Tres hodiedum existunt :

1° **Liturgia Romana**, a S. Petro Apostolorum Principe primum tradita, paulatim ad hodiernam suam formam deducta et correcta, per totum orbem, Orientales de quibus supra sedes si excipiantur, diffusa, ritus et cæremonias et libros servat qui in præcedentibus articulis sunt indicati.

Ritus Latinus, uti consueto vocatur, numerat (anno 1903) Sedes Patriarchales 8, Archiepiscopales 177, Episcopales 732, simul Sedes 917, quæ omnes sunt residentiales, hoc est, in quarum diœcesibus residere tenentur qui eis sunt præpositi.

Præterea pro regimine regionum in quibus hierarchia nondum est ad modum residentiarum instituta, habentur :

1° Vicariatus Apostolici circiter 130 ; qui eis præpositi sunt, paucis exceptis, Episcopi sunt, sed vocantur Titulares, decorati nempe Titulo Ecclesiæ, seu Sedis quæ antiquitus residentialis, hodie in partibus infidelium reperitur ;

2° Præfecturæ Apostolicæ circiter 50 ; qui eis præsunt, generatim non sunt Episcopali dignitate insigniti.

Insuper numerantur Sedes nullius Diœceseos 18, pleræque Abbatiales.

Addere juvat, præter Episcopos residentiales et Vicarios Apostolicos etiam numerari Episcopos Titulares circiter 200 ; qui plerumque jurisdictione propria non gaudent, sed aut in Curia Romana dignitate et officio funguntur ; aut designati sunt tamquam coadjutores, auxiliarii, suffraganei, etc., Episcoporum residentialium ; aut simpliciter charactere Episcopali condecorati sunt. Titulares vocantur, quia, ut supra jam dictum fuit, titulum tantum et non jurisdictionem habent Sedium quæ hodiedum in partibus infidelium exstant, et in quibus ad residentiam non tenentur. (Cfr. La Gerarchia Cattolica per l'anno 1903.)

In Romana Liturgia distinguitur *Liturgia Monastica*,

quam sequuntur monachi Benedictini, Carthusiani et Cistercienses. Proprios suos ritus habent etiam alii Ordines Regularium; ex.gr., Dominicani, Præmonstratenses, Carmelitæ, etc. — Originem habent istorum Liturgiæ a Romana, sed prolixiora plerumque induxerunt Officia. Sicuti a Romana differunt, ita et inter ipsas non minor habetur varietas.

2° **Liturgia Ambrosiana**, seu Mediolanensis, quam S. Ambrosius vel instituit, vel adauxit, vel melius ordinavit, in minoris momenti ritibus et in rituum ordine tantum a Romana differt. Servatur hodiedum ex privilegio in pluribus ecclesiis Diœcesis Mediolanensis. Ad ejusdem Liturgiæ integritatem multum adlaboravit S. Carolus Borromæus, Archiepiscopus Mediolanensis. — Quædam insuper Ecclesiæ vicinarum Diœcesium etiam hoc ritu Ambrosiano utuntur.

3° **Liturgia Mozarabica.** Circa sæculum quintum in Hispaniis specialis obtinuit liturgicus ordo, habens mixtos Græci Ritus usus cum Romano primitivo Ritu, illuc ex Oriente a Gothis introductus, unde primum Gothica Liturgia hæc dicta fuit; deinceps vero, cum dominarentur sæculo octavo Arabes in Hispania, Liturgia Mozarabica fuit appellata, eo quod Christiani inter Arabes degentes Mozarabes vocabantur, a voce Arabica quæ significat « Arabum consuetudines sequentes. » Ritum Mozarabicum abolevit Romanumque in Hispania restituit S. Gregorius VII († 1085). Ne tamen tantæ vetustatis monumentum penitus intercideret, concessum fuit, ut in uno sacello Ecclesiæ Metropolitanæ Toletanæ, et in sex Ecclesiis ejusdem civitatis, Officia divina peragerentur juxta hunc ritum, a Collegio tredecim sacerdotum a Cardinali Ximenes († 1517) instituto.

Hac Liturgia Mozarabica antiquior, et Orientalibus ritibus adhuc similior exstabat olim Liturgia Gallicana, quam suadente Romano Pontifice, abolevit præsertim Carolus Magnus, cujusque nullibi exinde remansit in aliqua ecclesia vestigium. Plura de Liturgia Gallicana vide apud L. Duchesne, in opere : *Origines du culte chrétien, 1 vol. Paris. 1889.*

Nota. Ecclesia Lugdunensis, antiquitate et dignitate in Gal-

liis præstantissima, proprios ritus accepisse fertur a suo Præsule S. Ireneo, discipulo S. Polycarpi, qui et ipse S. Joannis discipulus et ab eo Smyrnæ Episcopus fuerat ordinatus. Hos proprios ritus a priscis temporibus fideliter tenuit usque ad tempora Caroli Magni, quando Liturgiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ amplexata fuit, nonnullis tantummodo retentis, de ipsius Apostolicæ Sedis assensu, ritibus et consuetudinibus, quibus clerus populusque fidelis firmius adhærebant ; eosque sartos integrosque in sua legitima possessione retinere potuit, quando S. Pius V, anno 1570, Missale Romanum edidit, aliis interdictis et aboletis (cfr. Q. 72). Ast sæculo XVIII Missale hujusmodi permutatum fuit.

Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio concessit et approbavit novam editionem Missalis Romani-Lugdunen., cum Rubricis peculiaribus, servatis nempe ex vetusta Lugdunensis Ecclesiæ Liturgia ritibus et consuetudinibus Romanæ Liturgiæ consonis et probatis ; et Summus Pontifex Leo XIII indulsit, ut typis edi et ab universo clero Lugdunensis Archidiœceseos in posterum adhiberi valeat « Missale Romanum in quo antiqui ritus Lugdunenses servantur, Apostolicæ Sedis auctoritate recognitum et probatum. » (Cfr. Ephemerides Liturgiæ, XVII, 1903, pag. 220.)

Concessio hæc momenti satis magni visa fuit ut hic notetur.

Caritatis spiritu excitati, Summi Pontifices hos omnes ritus non modo non improbandos, sed vero etiam observandos ac retinendos censuerunt. Noverunt siquidem « immaculatam Christi sponsam mira quadam varietate distingui, quæ non officiat unitati ; Ecclesiam scilicet nullis regionum terminis definitam omnes complecti populos, nationes, gentes, quæ fidei unitate et consensione coalescant, diversæ licet moribus, linguis ac ritibus, quos tamen omnium mater et magistra Romana probavit Ecclesia. » (Ex Allocutione Consistoriali Pii IX, die 19 Decembris 1853.)

Quinque sunt totius Liturgicæ materiæ proponendæ Tractatus.

1° Tractatus de **Officio divino** seu de **Horis Canonicis.**

2° Tractatus de **Rubricis Missalis Romani.**

3° Tractatus de **Celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii.**

4° Tractatus de **administratione Sacramentorum,** et de **Sacramentalibus.**

5° **Cæremoniale,** seu Manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas.

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE OFFICIO DIVINO SEU DE HORIS CANONICIS

Conspectus materiæ

Tota materia de Officio divino quatuor absolvitur partibus.

In prima parte agitur de **Officii divini nominibus, origine et elementis.**

In secunda dicitur de **Breviario Romano** ejusque præludiis.

In tertia solvuntur **Quæstiones in Rubricas generales Breviarii.**

In quarta proponuntur **Cæremoniæ** servandæ, præsertim cum Officium divinum solemniter cantatur.

—

PARS PRIMA

DE OFFICII DIVINI NOMINIBUS, ORIGINE ET PARTIBUS

CAPUT I

De nomine et origine Officii divini

Q. 16. *Quid est Officium divinum ?*

R. Officium divinum est publica principalis oratio, quæ ab Ecclesiæ ministris nomine totius cœtus fidelium quotidie funditur.

Dicitur **Officium**, scilicet debitum obsequium, seu tributum, seu pensum ; — **divinum**, vel quia a personis Deo dicatis persolvitur : propter Deum enim laborem istum sanctum subimus, tamquam homines servituti Ejus devoti ; vel quia ejus finis et medium est laus et gloria supremæ divinæ Majestatis.

« Divinam Psalmodiam sponsæ consolantis in hoc exilio absentiam suam a sponso cœlesti, decet esse non habentem rugam neque maculam ; quippe cum sit ejus hymmodiæ filia, quæ canitur assidue ante sedem Dei et Agni, ut illi similior prodeat, nihil, quantum fieri potest, præferre debet, quod psallentium animos, Deo ac divinis rebus, ut convenit, attentos, avocare alio ac distrahere possit. » (Bulla Urbani VIII, 26 Januarii 1631.) Ex præclaris istis verbis innotescit, quænam sit sacræ Psalmodiæ seu Officii divini in Ecclesia catholica præstantia, et quam gloriosum munus et cœleste sacerdotibus incumbat, qui e multitudine electi fuerunt, ut Deo quotidie impendant illud Sacrificium labiorum, de quo ipsa Ecclesia in Hymno qui dicitur ad Laudes in Dedicatione Ecclesiæ dicit :

« Sed illa sedes cœlitum — Semper resultat laudibus, — Deumque Trinum et Unicum — Jugi canore prædicat : — Illi canentes jungimur — Almæ Sionis æmuli. »

Q. 17. *Quibus nominibus sæpe designatur Officium divinum ?*

R. 1° Officium divinum in regula S. Benedicti vocatur regulariter **Opus Dei**, et in variis antiquis monumentis **Opus divinum**, quæ verba idem important quam Officium divinum ; — 2° antiquitus sæpe dicebatur **Cursus**, vel a cursu solis qui orationis horas dirigit, — vel quia, ut hujus orationis expleatur præceptum, psalmorum lectionumque copia legendo et cantando percurritur ; — 3° **Synaxis** nominatur, quia ad illud canendum regulariter conveniunt qui ad illud tenentur, qua de causa etiam **Collecta** nuncupatur ; — 4° **Officium horariarum precum** vocatur, itemque **Horarum canonicarum** nomen sortitum est : **Horarum**, quia certis diei horis persolvitur, **canonicarum**, quia per Ecclesiæ leges quæ Canones appellantur fuit constitutum ; — 5° **Breviarium** cœpit appellari ab eo tempore quo contractum seu abbreviatum fuit : verum in veriori sensu Breviarii nomine divinum non venit Officium, sed magis liber seu codex in quo continetur.

Q. 18. *Quibusnam ex elementis constat Officium divinum ?*

R. I. Officium divinum materialiter sumptum constat ex **Psalmis**, ex **Lectionibus** et ex **Orationibus**.

1° Ad **Psalmodiam** pertinent præter Psalmos etiam Antiphonæ, Versus et Absolutiones; — 2° sub **Lectionum** nomine disponuntur Lectiones ipsæ cum suis Responsoriis, tum etiam Capitula cum Responsoriis,

et Hymni; — 3° Orationibus intelliguntur speciatim ipsæ Orationes quæ Horas concludunt, Preces quæ quandoque Orationibus præmittuntur, Sanctorum Suffragia, et finaliter Antiphonæ Beatæ Mariæ Virginis.

II. Juxta formam qua istæ materiales partes in Officio divino disponuntur, constat Officium divinum pluribus Horis, seu statutis pro oratione diei momentis, quibus toti diei imprimitur religiosa quædam consecratio. — Horæ distinguuntur septem numero: Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium.

Q. 19. *Indica usitatam apud antiquos diei noctisque artificialis divisionem, qua perspecta fiat diversarum Horarum institutio.*

R. Artificialis dies ille est qui cursu solis ab ortu ad occasum definitur, cui contraria est nox ab occasu solis ad ortum. Antiqui tam diem quam noctem in duodecim horas (æquales inter se, inæquales vero in se, id est longiores vel breviores juxta dierum et noctium longitudinem vel brevitatem) dividere consueverunt, quam distributionem sequitur Ecclesia in Horis canonicis. — Sic diei hora prima dicitur, cum post solis ortum duodecima diei pars exacta est; hora tertia, cum quarta pars; sexta hora, cum pars media; hora nona, cum diei tertia quarta pars effluxit. Horæ autem tertia, sexta et nona, etiam in rebus humanis erant insigniores, et diei partes quatuor distinguere, ac negotia distribuere solebant.

Ita quoque duodecim noctis artificialis horæ in quatuor partes dividebantur, quarum quælibet tribus constabat horis, et vigilia dicebatur: tres erant vigiliæ nocturnæ, ad tertiam, ad sextam, ad nonam noctis horam; quarta vigilia, ab hora nona seu gallicinio usque ad ortum solis, dicebatur vigilia matutina, seu antelucanum.

Ex hac diei et noctis in quatuor partes divisione eruitur ratio divisionis Officii in plures Horas: voluit enim Ecclesia, ut qui divino famulatui specialiter sunt consecrati, quolibet ternario horarum, debitis Deum prosequerentur gratiis, Illumque per psalmorum et laudum divinarum repetitionem hisce statutis horis glorificarent.

Q. 20. *Quandonam singulæ ex septem Horis ad recitationem Officii divini fuerunt institutæ ?*

R. Prænotatur quod statuta precum tum diei, tum noctis momenta jam in Sacris Scripturis indicantur ; etenim certas horas oratione sanctificare jam in Veteri Testamento solemne et usitatum erat. In Libro I Paralipomenon (Cap. XXIII, ℣. 30) Levitis injungitur « ut stent mane ad confitendum et canendum Domino : similiterque ad vesperam. » Et in Psalmo CXVIII, Psaltes dicit ℣. 164 : « Septies in die laudem dixi tibi » ; et ℣. 62 : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Ex Actibus Apostolorum constat quod horæ tertia, sexta et nona diei erant horæ orationis ; item quod oratio nocturna sanctificata exemplo Christi Domini (Luc. Cap. VI, ℣. 12) usitata his temporibus erat. « Erant omnes pariter in eodem loco..... hora diei tertia » (Act. Cap. II, ℣. 1, 15). « Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam » (Ib. Cap. X, ℣. 9). « Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam » (Ib. Cap. III, ℣. 1). « Media autem nocte, Paulus et Silas, orantes, laudabant Deum » (Ib. Cap. XVI, ℣. 26).

Ad positam quæstionem responderi potest summatim : Vigiliæ nocturnæ, institutæ tempore persecutionum, servabantur primitus in quibusdam tantum solemnitatibus, sed Romæ sæculo V jam reperiuntur singulis noctibus servatæ.

Prima introducta fuit sæculo IV exeunte, apud monachos Palestinæ, tamquam oratio matutina post requiem dictis Laudibus Matutini concessam.

Ab ipso sui exordio Ecclesia, quæ in orando fuerant Apostolis solemniores horæ, Tertiam, Sextam et Nonam, inde vocatas Apostolicas, orationis dicavit exercitio, privato potius tamen tantum ; publici enim conventus quotidiani in Ecclesia his horis ante sæculum tertium regulariter non introducti videntur.

Vesperarum officium primitus initium videtur fuisse Vigiliæ nocturnæ, et sæculo VI primum separatum a Matutino et distinctum reperitur.

Constitutiones Apostolicæ sex horas diurnas jam commemorant : « Precationes facite mane, tertia, sexta,

nona hora, vespere, et in gallicantu. » (Lib. 8, Cap. XXXIV). Hora cantus gallorum nuntiat adventum diei, ad facienda opera lucis.

Completorii tandem in Occidente primus institutor videtur fuisse S. Benedictus († 543).

Sæculo VI Romæ efformari cœpit regularis nocturnus atque diurnus cursus, qui sæculis VII et VIII in Basilica S. Petri ad expletam formam perfectus, inde ad orbem Catholicum mox propagatus fuit, et ad nos usque in sua eximia forma, mutatis successu temporis particulis, pervenit.

(Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*. Paris, 1893; U. Chevalier, *Poésie liturgique*. Tournai, 1894; Duchesne, *Origines du culte chrétien*. Paris, 1889.)

CAPUT II

De partibus Officii divini speciatim

SECTIO I

De elementis Officii materialiter sumpti

ARTICULUS I

De partibus seu elementis quæ pertinent ad Psalmodiam

§ I. PSALMI

Q. 21. *Quisnam dicitur ecclesiasticus ordo Psalmorum in Officio divino? Explica.*

R. Prænotatur : Psalmi potissima semper fuerunt Christianarum precum pars : in id enim semper intenti fideles fuerunt, ut e Scriptura peterent preces ad Deum fundendas, Eumque laudarent ea ratione quam Spiritus sanctus divinitus inspiravit. Complures totum Psalterium quotidie recitabant. (Cfr. Lectio VI Officii in Festo S. Patritii, 17 Martii.) Ea de causa etiam Ecclesia diei noctisque Officium præsertim ex Psalmis

composuit. S. Benedictus ordinavit singulis hebdomadibus totum Psalterium in Officio persolvi, Psalmosque ita distribuit ut per hebdomadam omnes recitarentur.

Respondetur : **Ecclesiasticus ordo Psalmorum** ille dicitur juxta quem distribuuntur Psalmi in Breviarii Psalterio per hebdomadam disposito, pro Officio de Tempore in Dominicis et in Feriis. Ita distributi sunt in eo ordine Psalmi, ut alii sint matutinales, vespertinales alii ; matutinales ii sunt qui in Matutino, in Laudibus, in Prima et in Completorio inveniuntur, vespertinales vero reliqui per Vesperas dierum hebdomadæ dispertiti. In ea distributione regula servatur, ut nulli umquam Psalmi matutinales pro Vesperis, neque vicissim vespertinales pro Matutino assignentur. Paucos si excipias, matutinales sunt Psalmi 1 ad 108, vespertinales vero Psalmi 109 ad 147. Singularis est Psalmus 118 : *Beati immaculati etc.*, qui quotidie per partes divisus dicitur in Horis diurnis Prima, Tertia, Sexta et Nona ; de eo dicetur postea Q. 58.

In Festis dicuntur diversi Psalmi, ut in propriis locis signantur ; alioquin, ut in Communi Sanctorum.

Ut Psalmus alicui Festo uti proprius adjudicari possit, sufficit ut unus vel alter versus faciat ad Mysterium vel Sanctum de quo Festum peragitur.

(Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900. 1re Partie, Chap. II.)

Psalterium recitatur juxta editionem Vulgatam, sæculo XV exeunte jam pro Breviario loco Italæ assumptam, et a S. Pio V in reformatione Breviarii retentam ; excepto unico Psalmo 94 : *Venite, exsultemus Domino,* qui Invitatorius dicitur ; hic recitatur quotidie juxta editionem Italam, et in solo Festo Epiphaniæ juxta Vulgatam. « Ut sacræ Vulgatæ editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones et distinctiones in sacris Bibliis appositas, additus est Asteriscus *, ut sit nota musicæ partitionis in medio Versu. » (Rubricæ generales Breviarii Romani, Tit. XXII, n. 8.)

Q. 22. *Quomodo concluduntur Psalmi in Officio divino ?*

R. Psalmi concluduntur hymno glorificationis SS. Trinitatis : « *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum.*

Amen. » Excipiuntur tantum Psalmus *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*, et Psalmus *Laudate Dominum de cœlis*, cum sequenti *Cantate Domino*, in Laudibus, qui conjunguntur cum aliis Psalmis, et in fine ultimi tantum dicitur : *Gloria Patri*, ut suis locis notatur ; præterea non dicitur in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, nec in Officio Defunctorum. (Rubricæ generales Breviarii, Tit. XXII, n. 7.)

Hic Hymnus vocatur Doxologia minor, ad differentiam hymni angelici *Gloria in excelsis Deo*, quem Doxologiam majorem dixerunt. Prior pars jam ab Apostolis composita dicitur ; Damasus Pontifex Maximus († 384) statuit ut in fine cujusque Psalmi diceretur : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* (Vide ejus vitam in Breviario, 11 Decembris ; Lectio VI.) Appendix : *Sicut erat, etc.* a Patribus Nicænæ Synodi fuit addita contra Arianos, asserentes fuisse tempus cum Filius non erat cum Patre. Omni tempore cum maxima semper veneratione pronuntiatus fuit hic hymnus, aliis se inclinantibus, aliis se vertentibus ad Orientem.

Q. 23. *Quid notandum venit de Canticis quæ dicuntur in Officio divino ?*

R. Cantica etiam in Officio accepit Ecclesia **septem e Veteri Testamento**, et septem hebdomadæ diebus pro Matutinis Laudibus assignavit ; e quibus Canticum trium puerorum *Benedicite* (Daniel, Cap. III), quod festivum est, in Dominicis, et etiam toto tempore Paschali, et in omnibus Festis locum obtinet ; reliqua autem diversi argumenti in Feriis recitantur, scilicet : Feria 2 Canticum Isaiæ Prophetæ (Cap. XII) ; Feria 3 Canticum Ezechiæ (Isaiæ, Cap. XXXVIII) ; Feria 4 Canticum Annæ (I Regum, Cap. II) ; Feria 5 Canticum Moysis (Exod., Cap. XV) ; Feria 6 Canticum Habacuc (Cap. III) ; Sabbato Canticum Moysis (Deuter., Cap. XXXII) ; — tria vero e novo Testamento, scilicet *Benedictus, Magnificat*, et *Nunc dimittis*, quæ quotidie recitantur respective in Laudibus, in Vesperis et in Completorio ; quæque Evangelica dicuntur quia ex Evangelio sunt deprompta : et ideo stant omnes dum illa recitantur, et ad eorum initium signo Crucis se si-

gnant, tam in Choro, quam extra Chorum, juxta laudabilem communem praxim servatam. (S. Rituum Congregatio, Decret. 20 Decembris 1864, n. 3127, antiq. 5339; et 13 Aprilis 1867, n. 3156, antiq. 5380.)

§ 2. ANTIPHONÆ

Q. 24. *Quid intelligitur per Antiphonas, et quomodo in divino Officio dicuntur?*

R. I. Antiphonæ in Officio divino hodie vocantur illæ breves preces, vel sententiæ, quæ ad omnes Officii Horas dicuntur cum Psalmis; in aliis Horis singuli Psalmi habent suam Antiphonam, in aliis vero una tantum datur Antiphona pro pluribus Psalmis. In Officio solemni Antiphonæ decantari debent ad leges musicas, et juxta earum cantum seu symphoniam modis variis Psalmi etiam decantantur.

Antiphona græcum est vocabulum : φωνή vocem, et ἀντί oppositionem seu vicissitudinem significat ; unde idem est ac vox opposita seu contrasonans, et pro illa vocum reciprocatione accipitur, qua bini cantorum Chori cantum alternant, ita ut chorus choro respondeat.

Antiphonatim Psalmos cantare primum significavit quod duo Chori alternatim diversos Psalmorum versus cantabant ; ad differentiam generis psallendi **Psalmos responsorios**, quo Cantor versus Psalmi cantabat, reliqui autem de Choro formulam seu versum, dictam **acrostichion** post singulos Psalmi versus repetebant ; ad modum fere qui servatur hodiedum ad Psalmum Invitatorium : *Venite, exsultemus*, in initio Matutini.

Romæ autem sæculo VIII Psalmos antiphonatim cantare significavit ita eos cantare, ut Antiphona seu brevis formula repetatur post singulos aut binos versus Psalmi : Chorus cantabat versus Psalmi, Cantores vero modulatam formulam repetebant alternatim ex utraque parte, quemadmodum hodiedum servatur ad Psalmum *Venite, exsultemus* in tertio Nocturno Festi Epiphaniæ, necnon ad Canticum *Benedictus* in Dedicatione Ecclesiæ, et ad nonnullos Psalmos in Consecratione Altaris.

Hæc formulæ repetitio primitus ad plures Officii Psalmos, postea præcipue ad Cantica *Benedictus* et *Magnificat* in Laudibus ac Vesperis servata, mox cessavit, et postea ad initium et finem Psalmi aut Cantici tantum integra pronuntiari consuevit ; et cum discrimen Officii duplicis vel semiduplicis fuit introductum, ante Psalmum aut Canticum tantum inchoari, et in fine Psalmi integra dici cœpit in ritu semiduplici et feriali. Unde habemus regulam Rubricarum sequentem :

II. « In duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantum, Antiphonæ dicuntur ante Psalmos vel Cantica integræ, et post Psalmos vel Cantica integræ repetuntur : in aliis Horis, et in Officio non duplici, in principio Psalmi, vel Cantici, inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. » (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 7.)

Super quo observandum est, ut initium Antiphonæ, quando solum incipitur, non sit unius syllabæ, neque ita præcise enuntiatum, ut auribus dissonet. In diversis editionibus Breviarii diverse notatur asterisco pars Antiphonæ inchoanda ante Psalmum ; editio autem anni 1885 uniformitatem hucusque desideratam præbet.

Q. 25. *Quales, ratione textus, distinguuntur in Officiis divinis Antiphonæ ?*

R. Antiphonæ distinguuntur aut scripturales, aut psalteriales, aut historicæ, aut mixtæ.

Scripturales sunt sententiæ ex libris tum Veteris tum Novi Testamenti desumptæ. Exempla harum habemus in Festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et SS. Apostolorum Petri et Pauli. Inter scripturales speciatim dicuntur Psalteriales, quæ desumuntur ex ipso Psalmo ad quem apponuntur ; quales sunt pleræque in Nocturnis et in Vesperis Dominicæ et Feriarum, necnon in Officiis de Communi Sanctorum. Ipsæ exhibent in una sententia plerumque totam aut præcipuam totius Psalmi substantiam.

Historicæ illæ dicuntur quæ ex historia Mysterii, vel Sancti cujus Festum peragitur, carptim delibutæ per singulos Psalmos distribuuntur ; cujusmodi sunt Antiphonæ Festorum S. Andreæ Apostoli, S. Laurentii, SS. Joannis et Pauli, S. Clementis, S. Cæciliæ, S. Agnetis, S. Martini.

Mixtæ demum illæ vocantur quæ vel ex Psalmis, vel ex alio Scripturæ loco decerptæ, paucis verbis additis, vel mutatis aut transpositis, ad rem Mysterii vel Sancti traducuntur. Tales reperiuntur in quibusdam Officiis B. Mariæ Virginis, ex. gr., Assumptionis.

Scripturales stricte dictæ et mixtæ sæpe exprimunt

totius Psalmi ideam principalem, et rationem ob quam ut proprius Officii vel Festi sit assignatus.

§ 3. VERSUS

Q. 26. *Quid est Versus? Ubinam dicitur in diversis Horis?*

R. I. Versus est brevis sententia, festo vel tempori congrua, ex Sacra Scriptura fere semper deprompta. Constat versu proprie dicto (℣.),qui est ad instar invocationis ad Deum, et dicitur a cantore vel lectore ; et responso (℟.), quo populus, versu veluti excitatus, sensum eumdem sua vice exprimit.

II. Dicitur : ad Matutinum, post ultimum Psalmum et Antiphonam uniuscujusque Nocturni, antequam dicatur *Pater noster*, et pronuntietur Absolutio ; — ad Laudes et Vesperas, post Hymnum ; — ad reliquas Horas, in fine Responsorii brevis ; — in Commemorationibus faciendis, ante Orationem. (Rubricæ generales, Tit. XXIV, nn. 1 et 3.)

Versus a vertendo dicitur, — vel quia ad ejus cantum se omnes olim vertebant ad Orientem, aut ad Altare ; — vel quia, quando auditur, facilius cogitatio transit de præcedenti affectu ad sequentem ; siquidem Versus excitet corda cantantium eorumque intentionem, ad requirendum cum majori devotione faciem Dei in subsequenti Oratione.

Etenim in Nocturnis excitamur ad Orationem Dominicam et Absolutionem ; ante Cantica Evangelica excitamur ad eorum intelligentiam, et ad proximam Orationem ; denique ante Orationem et in Commemorationibus semper adhibetur Versus ut Oratio ferveat.

§ 4. ABSOLUTIONES

Q. 27. *Quid est Absolutio? Quotuplex occurrit in Horis? Unde nomen habet?*

R. I. Absolutio est aliqua brevis deprecatio facta sub finem Psalmorum cujusque Nocturni.

II. Triplex hujusmodi deprecatio describitur in Breviario ; — vel pro quolibet Nocturno Matutini, in Officio quod novem Lectiones ad Matutinum habet ; scilicet : in primo Nocturno dicitur Absolutio : *Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, et miserere*

nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. *Amen* ; in secundo Nocturno : *Ipsius pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen* ; in tertio Nocturno : *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus.* ℟. *Amen* ; — vel pro diversis hebdomadæ Feriis, cum unus tantum Nocturnus dicitur ; nam si fiat Officium trium Lectionum, Absolutio sumitur hoc ordine : Feria secunda et quinta dicitur Absolutio primi Nocturni (*Exaudi*) : Feria tertia et sexta, secundi Nocturni (*Ipsius pietas*) : Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni (*A vinculis*).

In Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum Absolutiones numquam dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. XXV, nn. 1 et 2.)

III. Vocatur **Absolutio**, — vel a prece absoluta, qua primitus Nocturnus terminabatur, cum nondum Lectiones addebantur ; etenim antiquitus post dictos Psalmos instituebatur aliqua quasi mentalis oratio, cujus locum hodie tenet Oratio Dominica ; cui orationi finem imponebat, seu quam absolvebat qui præerat, omnium vota colligens in brevi orationis formula ; — vel dicendum triplicem illam Orationem Absolutionis nomine appellari, sumpta denominatione a nobiliori quæ dicitur post recitatos Psalmos tertii Nocturni, in qua continentur ea verba : *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos, etc.*

Hujusmodi breves deprecationes etiam terminant Primam et Completorium, sed in his Breviarii locis designantur sub nomine **Benedictionis**. Aliæ vero Horæ omnes terminantur propriis diversisque, secundum tempus vel festum, Orationibus.

ARTICULUS II

De partibus quæ pertinent ad Lectiones

§ 1. Lectiones in Nocturnis Matutini

Q. 28. *Quænam fuit antiqua, et quænam est hodierna disciplina de Lectionibus in Matutino ?*

R. I. Romæ olim in Missa tantum, non vero in no-

ctis Officio solebant haberi Lectiones. Quo tempore fuerint introductæ in Officium plane non constat : neque quæ materia peculiari ratione præscripta fuerit, aut quæ forma. Primitus e sola Sacra Scriptura desumptæ videntur ; verum jam inter fragmenta Epistolarum S. Leonis magni († 461) refertur documentum describens ordinem sacrarum Lectionum, quæ e Scriptura Sacra pro toto anni tempore dispositæ, simul et e Tractatibus SS. Patrum, ac Expositionibus Veteris et Novi Testamenti, prout ordo poscet, in Ecclesia legantur. (Cfr. Acta S. Sedis, IV, 1868, p. 498.)

Sæculo septimo institutus est ritus, ut Lectiones e Veteri aut Novo Testamento petitæ pro primo Nocturno, explicarentur per Sanctorum Patrum sermones in secundo Nocturno perlegendos, et Evangelii diei currentis initium, cum homilia, seu cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanatione, ad tertium legeretur Nocturnum. — Tria hæc Lectionum genera Dominicis tantum festisque diebus erant destinata : in Feriis vero, quæ unicum tantum Nocturnum habent, nihil nisi e Scriptura Sacra excerptum, juxta antiquum ritum, recitabatur ; qui Feriarum ritus remansit usque ad tempora S. Pii V, quando Homiliæ in Evangelia, tam Quadragesimæ quam Vigiliarum diebus, legi cœperunt.

II. Itaque hodierna disciplina de Lectionibus in Matutino sequens est : « In Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est in quolibet Nocturno tres ; in Feriis, et in Festis simplicibus leguntur tantum tres Lectiones. » (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 1.) Unde distinguuntur Officia ex numero Lectionum, et vocantur **Officia novem Lectionum, et Officia trium Lectionum.**

Q. 29. *Quid præponitur cuicumque Lectioni in Matutino ? Explica.*

R. Lectionem præcedit **Benedictio**. Juxta veterem disciplinam lector, antequam Lectionem inciperet, a præposito Benedictionem petebat ; primitus hoc faciebat verbis : *Benedic, Pater* ; postea vero usuvenit formula : *Jube domne benedicere.* — *Jubere* in hac formula significat *velle*, seu *dignari*, et petitionem majori cum animi de-

missione ac veneratione conceptam exprimit. Benedictionem petit lector, magnæ iterum humilitatis gratia, a *domno*, ab eo scilicet qui Officio præest, non vero immediate a *Domino* Deo : nomen quidem *Domini* soli Deo tribuitur, syncopatum autem *domni* tamquam honoris titulus homini datur. Itaque formula petitionis idem sonat, ac si diceretur : *velis*, seu *digneris*, *domne*, *benedicere ; da*, *domne*, *benedictionem*. De hac formula scribit S. Petrus Damianus, alio modo eam interpretans, quod lecturus non a Sacerdote, sed ab eo cui Sacerdos jusserit, se postulat benedici ; Sacerdos autem, non subjecto cuiquam benedicendi delegat officium, neque per seipsum benedicere præsumit, sed prius ut a Deo, qui est super omnia benedictus, erogetur exposcit. — Docet idem Sanctus, quod ille qui Officium solus recitat, eodem pacto illud recitare tenetur quam si cum aliis, quia totius Ecclesiæ nomine orat et loquitur : proinde semper dicendum est syncopatum vocabulum *domne* ad hominem dictum, non autem *Domine*, qui terminus in liturgica lingua soli Deo tribuitur. (Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidiœceseos Mechlinien-sis anni 1887 ; ex Liturgia Q. v.)

Falsa est sententia quorumdam auctorum, qui docent obligatum ad Horas canonicas, cum solus Officium recitat, debere dicere in Benedictione Lectionum : *Jube Domine*. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 679.)

Nota. I. In Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum Benedictiones non dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. XXV, n. 1.)

Nota. II. In publica Officii recitatione semper dicitur : *Jube domne benedicere*, etiamsi benedicens sit Episcopus. — Quando Episcopus cum cappa ad thronum officium faciens nonam Lectionem cantat, tunc dicit : *Jube Domine benedicere*, et non *Domne* ; sed in casu omittitur ipsa Benedictio, et Chorus absolute cantat : *Amen*. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. V, n. 9.) Attamen quicumque alius dignior in Choro, quisquis ille sit, nonam Lectionem dicens, ante Lectionem dicit : *Jube domne benedicere*, cui respondet secundus dignior e Choro : *Ad societatem, etc.* (Decret. S. Rituum

Congregationis, 15 Februarii 1659, n. 1108, antiq. 1968, ad 2.)

Q. 30. *Quisnam est ordo Benedictionum in Matutino?*
R. Benedictionum ordo sequens est :

A) In Officio novem Lectionum dicuntur ante Lectiones, per ordinem, ut ponuntur in Breviario ante Psalterium, scilicet :

In primo Nocturno, ante primam Lectionem Benedictio est : *Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus.* ℣. *Amen* ; ante secundam Lectionem : *Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur.* ℣. *Amen* ; ante tertiam : *Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra.* ℣. *Amen.*

In secundo Nocturno, ante primam Lectionem dicitur Benedictio : *Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens.* ℣. *Amen* ; ante secundam : *Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.* ℣. *Amen* ; ante tertiam : *Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.* ℣. *Amen.* — Istæ tres Benedictiones sunt ordine quarta, quinta et sexta ex novem totius Matutini novem Lectionum, et ita quidem indicantur in Breviario.

In tertio Nocturno, ante primam Lectionem Benedictio est : *Evangelica lectio sit nobis salus et protectio.* ℣. *Amen* ; ante secundam : *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.* ℣. *Amen* ; ante tertiam : *Ad societatem civium supernorum perducat nos rex Angelorum.* ℣. *Amen.* — Istæ tres Benedictiones sunt ordine septima, octava et nona ex novem totius Matutini novem Lectionum, et ita indicantur in Breviario.

Nota. Secunda tertii Nocturni, seu totius Officii novem Lectionum octava Benedictio : *Divinum auxilium, etc.*, dicitur quando Officium fit de Dominica ; et etiam in Festis Domini, ex. gr., Ascensionis Domini, Sacri Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, in Officiis de Passione Domini, uti Orationis Domini in monte Oliveti, etc.

Si autem Officium novem Lectionum fit de Sancto, secunda tertii Nocturni Benedictio dicitur : *Cujus festum colimus, ipse* (vel *ipsa*) *intercedat pro nobis ad Dominum.* ℣. *Amen* ; et quando fit de pluribus Sanctis, dicitur : *Quorum* (vel *Quarum*) *festum colimus, ipsi* (vel *ipsæ*) *inter-*

cedant pro nobis ad Dominum. ℟. *Amen*; et si Officium fit de S. Maria, dicitur : *Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum.* ℟. *Amen.*

Hæc Benedictio : *Cujus,* vel *Quorum festum etc.* dicitur non tantum in die Festo sed etiam per totam Octavam Sancti vel Sanctorum. Dicitur etiam hæc Benedictio quando recitatur Officium votivum de Sanctis, ex. gr., de Sanctis Angelis in Feriis secundis, de S. Joseph in Feriis quartis, etiamsi non sint hæc Officia Festorum proprie dictorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4043, ad Tit. XXV, 1.)

Nota. Singulare videri potest quod in utroque Festo S. Michaelis Archangeli, tum 8 Maji, tum 29 Septembris, octava Benedictio dicatur, non in singulari : *Cujus festum etc.*, sed in plurali : *Quorum festum etc.*; dum in Festis S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii, et S. Raphaelis Archangeli, 24 Octobris, hæc Benedictio præscripta habeatur in singulari. Sed animadvertendum est, quod in utroque prædicto Festo S. Michaelis Ecclesia honorare vult et intendit non solum ipsum Principem cœlestis militiæ, sed et totum exercitum Spirituum cœlestium, qui Archangelo Michaele auctore ac duce, conspiratione cum eodem facta, rebellantes angelos ad tartara detruserunt. Et ideo S. Rituum Congregatio declaravit in Officio S. Michaelis Archangeli « dicendum: *Quorum festum colimus*; quia est Festum omnium Angelorum, quemadmodum clare patet ex ipsis Lectionibus, et in Oratione omnium Angelorum patrocinium imploratur. In Officio autem S. Gabrielis, ejus Festum colitur, et in Oratione ejus auxilium et patrocinium invocatur : prout quoque fit in Officio S. Raphaelis, sicuti apparet in Oratione quæ dicitur in eorum Officiis ; ideo dicendum esse : *Cujus festum colimus etc.* » (Decret. 13 Septembris 1692, n. 1885, antiq. 3295, ad 2.)

Si in tertia Lectione tertii Nocturni legendum sit aliud Evangelium cum Homilia, Benedictio erit : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.* ℟. *Amen.*

Nota. Frequentius hoc jam fit ; nempe quando in aliqua Dominica Officium dicitur, non de Dominica, sed de Festo alicujus Sancti in Dominica occurrente ; item in Feriis majoribus Quadragesimæ, et quibusdam aliis ; tunc enim in Ordine Officii divini, seu Directorio semper annuntiatur nona Lectio dicenda de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, cujus in casu fit Commemoratio, et Lectioni præponitur Benedictio supra indicata.

B) In Officio trium Lectionum :

Si sit de Feria in qua singulæ tres Lectiones sunt de

Scriptura, Benedictiones sumuntur hoc ordine : Feria secunda et quinta, dicuntur Benedictiones primi Nocturni ; Feria tertia et sexta, secundi Nocturni ; Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni, excepta prima Benedictione (*Evangelica*), pro qua dicitur sequens : *Ille nos benedicat, qui sine fine vivit et regnat.* ℟. *Amen.*

Si sit de Feria in qua singulæ tres Lectiones sunt de Homilia super Evangelium, quæcumque sit Feria, semper dicuntur Benedictiones ut in tertio Nocturno, scilicet : prima Benedictio erit : *Evangelica lectio* ; secunda : *Divinum auxilium* ; tertia : *Ad societatem.*

Si Officium sit de Sancto vel de Sancta trium Lectionum (ritus simplicis), Benedictiones semper dicuntur hoc modo : prima : *Ille nos benedicat* ; secunda : *Cujus* (vel *Quorum*, vel *Quarum*) *festum colimus, ipse* (vel *ipsa*) *intercedat* (vel *ipsi* vel *ipsæ intercedant*) *pro nobis ad Dominum.* ℟. *Amen* ; tertia : *Ad societatem.*

Q. 31. *Quomodo concluduntur Lectiones ? Explica.*

R. Lectiones concluduntur per precem : *Tu autem Domine miserere nobis.* Olim adeo prolixæ erant Lectiones, ut ad plures paginas protraherentur, nec finis eisdem imponebatur, donec qui Choro præsidebat, ut lector cessaret signum daret ; quo dato, lector dicebat : *Tu autem Domine miserere nobis* ; et Chorus subjungebat : *Deo gratias.* — Hac formula confitentur Lector et auditores, in Lectione fuisse animadversum, eorum vitam non consentire cum eis quæ lecta fuerunt ; simulque rogant, ut possint per auxilium misericordiæ divinæ verba Lectionis in corde retinere et in vita exsequi. Chorus respondet : *Deo gratias*, gratias agens pro accepto beneficio Lectionis.

Nota. In triduo majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum numquam dicitur hæc conclusio.

A. Lectiones primi Nocturni

Q. 32. *Quomodo vocantur Lectiones primi Nocturni ? Quare ?*

R. Lectiones primi Nocturni vocantur Lectiones de Scriptura, quia semper e Scriptura Sacra desumuntur.

S. Gregorius VII († 1085), per Decretalem *Sancta Romana* (Pars I, Distinctio XV), ordinem harum Lectionum quem hodie servamus præscripsit, etiamsi præcedentibus ævis idem fere jam observatus fuerit. — In assignandis his Lectionibus, duplicem finem habuit Ecclesia, nempe intra annum percurrere totam Scripturam, et deinde has Lectiones, quantum fieri potuit, accommodare ad varium characterem diversorum temporum anni ecclesiastici.

Nota. I. Quia præ brevitate Lectionum tota Scriptura in Lectionibus legi nequit, saltem pars aliqua omnium fere librorum, eorumque initium debet legi ; sed partium selectio sensu tam subtili et cura tam exquisita facta fuit, ut universa Scriptura sub completo conspectu posita videatur.

Evangeliis vero non datur in hac distributione Scripturæ per annum locus, quia ipsa quotidie leguntur in tertio Nocturno et in Missa. — Quidam etiam alii libri non leguntur, præcipue postquam Homiliæ Patrum et Martyrum Acta in Officio fuerunt inserta ; tales sunt Ruth, Judices ; item omittuntur Libri Paralipomenon, Esdras et Baruch. — Canticum Canticorum in Officio de Tempore omittitur, quia legitur in Festo Assumptionis Deiparæ, et etiam infra ejus Octavam, quando Officium de hac Octava dicitur.

Nota. II. Quo ordine distribuantur libri Sacræ Scripturæ per annum legendi, describunt versus sequentes :

« Disce per hoc scriptum quid sit vel quando legendum.
Adventus proprie vult sermones Isaïæ.
Post Natale sacrum, recitat sacra lectio Paulum.
Quinque libros Moysi, tibi septua quadraque misit.
Vult sibi scripta legi Jeremiæ passio Christi.
Actus apostolicus sequitur post Pascha legendus.
Hinc Apocalypsim lege, Canonicasque vicissim.
Post Pentecosten Regum liber exit in hostem.
Inde per Augustum retinet Sapientia scutum.
Per totum mensem sapiens Salomon tenet ensem.
Cantat September Job, Tobiam, Judith, Esther.
Octobri mense Machabæa trophæa recense.
Iste Ezechiel, Daniel, durabunt mense Novembri.
Postea tu repetes bis sex in fine Prophetas. »

Nota. III. Ratio autem hujus Ordinis sequens datur :

1° Tempore Adventus legitur Prophetia Isaiæ, quia nullus apertius locutus est de Nativitate Christi.

2° Post Nativitatem, ab Epiphania ad Septuagesimam, leguntur Epistolæ S. Pauli ; vel quia Apostolus gentium magis quam cæteri allaboravit manifestationi Christi Domini ; vel

etiam, quia ipse perfecte docuit, quomodo novam cum Christo nascente debeamus instituere vitæ rationem.

3° A Septuagesima usque ad tempus Passionis e libro **Genesis** et **Exodi** memorantur creatio, lapsus Adami ejusque sequelæ, quia celebraturi sumus Christum Redemptorem quem meruit habere hæc culpa, ejusque mortem, qua nos liberavit a peccato et eduxit e servitute.

4° **Jeremias** legitur tempore Passionis, quia ipse descripsit et luxit dolores Salvatoris.

5° Post Pascha leguntur **Actus Apostolorum**, referentes initia Ecclesiæ fervoremque fidelium, tamquam fructus Resurrectionis Christi, deinde **Apocalypsis** et **Epistolæ Apostolorum**, ut testimonium Resurrectionis Christi quod magna virtute reddebant Apostoli.

6° Immediate post Pentecosten leguntur **Libri Regum** in quorum lectione significatur tempus Martyriorum, bellorum et persecutionum Ecclesiæ post adventum Spiritus sancti.

7° Ut discamus vitam christianam sapienter instituere, leguntur mense Augusti **Libri Sapientiales** (**Proverbia**, **Ecclesiastes**, **Sapientia**, **Ecclesiasticus** et **Canticum**), et insimul, quia verba movent, exempla vero trahunt, christianæ vitæ virtutum proponuntur mense Septembris exempla **Job**, **Tobias**, **Judith** et **Esther**, ut eorum imitemur patientiam, prudentiam, fortitudinem et temperantiam. — Ut autem ad luctamen contra hostes vitæ christianæ incitemur, recensentur mense Octobris pugnæ ac victoriæ **Machabæorum** ; et tandem mense Novembris accedunt adhortationes Prophetarum eorumque consolationes de mox venturo Messia, in lectionibus **Ezechiel**, **Daniel**, et **XII Minorum Prophetarum**.

Ita regulariter leguntur Lectiones primi Nocturni de Scriptura, quæ suo quovis totius anni die occurrit legenda, quemadmodum assignantur in Officio de Tempore ; propterea sunt dictæ **de Scriptura occurrente**.

B. Lectiones secundi Nocturni

Q. 33. *Quænam Lectiones dicuntur in secundo Nocturno ?*

R. Diebus Dominicis, et etiam in quibusdam diebus hebdomadum per annum, leguntur in secundo Nocturno Sermones, aut Tractatus Sanctorum Patrum. Ita jam præscriptum reperitur a S. Benedicto († 543), et tamquam usum hoc notat S. Gregorius Magnus († 604) ; hi Sermones aut Tractatus primitus ad arbitrium Episcoporum vel Prælatorum assignabantur legendi ; sed postea (temporibus Caroli Magni) ordinata fuerunt Lectionaria ex Sanctorum Patrum Sermonibus et Tractatibus compilata, e quibus Lectiones determinatæ,

plerumque circa Scripturam primi Nocturni legerentur. — Sæculo octavo in Ecclesia Romana etiam inolevit mos legendi Acta Sanctorum in eorum Officiis; et hodie tres Lectiones secundi Nocturni in Festis Sanctorum sunt de eorum vita, vel de aliquo Sermone, aut Tractatu, qui eis convenit; « quæ, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias. » (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 2.)

Nota. Quas nunc habemus de vitis Sanctorum, propositæ tum ad cultum Sanctorum, tum ad nostram pietatem fovendam, et ad eorum imitationem nos provocandum, eæ fuerunt a Cardinalibus Bellarmino et Baronio recognitæ, et approbatæ sub Clemente VIII; qui rejecerunt ex eis omnia quæ jure merito poterant in dubium revocari; quæ vero controversa erant, sed tamen alicujus gravis auctoris testimonio suffulta aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo, quo erant, quo falsitatis argui non possent; quamvis forsan altera sententia sit a pluribus recepta.

Nonnulla in Lectionibus de vitis Sanctorum incerta, suspectæ fidei, et difficultatibus seu controversiis subjecta recognovit Congregatio specialis peritorum a Benedicto XIV instituta, in examine peracto annis 1745 ad 1747, pro reformatione Breviarii; sed infectum remansit hujus correctionis opus. (Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain,* pag. 305 et sqq.) Inter hæc, ait Azevedo (ex Benedicto XIV), tuto asseri posse videtur, facta historica, in Breviario Romano relata et approbata, non modicam obtinere auctoritatem; non autem vetitum esse, ne modeste et cum gravi fundamento difficultates de eis excitentur, et Sedis Apostolicæ judicio subjiciantur.

Non raro etiam, quæ a criticis jam suppositicia, imo falsa habebantur aliquando, hodiedum ex recentius inventis et illustratis monumentis antiquitatis, et ex studiis Sacræ Archæologiæ feliciter confirmata reperiuntur; quare sapienter admonet Pius IX cultores historiæ ecclesiasticæ, ut hac in re caute se gerant. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Augusti, confirmatum 1 Septembris 1870; cfr. Acta Sanctæ Sedis, VI, 1870, pag. 84.)

Ceterum, si quid ex diligenti examine mutandum aut corrigendum judicatur, id data occasione mutatum et correctum reperire est; et ita his ultimis annis prodierunt in Decreto S. Rituum Congregationis, 2 Julii 1883, a SS. D. N. Leone Papa XIII approbato, emendationes quarumdam Lectionum historicarum in Festis: S. Marcelli, Papæ et Martyris, 16 Januarii; SS. Cleti et Marcellini, Pontt. et Martt., 26 Aprilis; S. Silverii, Pontificis et Martyris, 20 Junii; S. Pii I, Pontificis et Martyris,

11 Julii ; SS. Proti et Hyacinthi, Martyrum, 11 Septembris ; S. Silvestri, Papæ et Confessoris, 31 Decembris. (Cfr. Directorium anni 1884.) Istæ modificationes editæ fuerunt, ut in novis Breviarii editionibus inseri debeant ; ad eas assumendas tamen non obligantur, qui Horas canonicas recitant juxta editiones jam existentes. (Monitum S. Rituum Congregationis, 14 Decembris 1883.)

Attamen plura adhuc remanere in Breviario Romano emendanda aiunt critici. Fertur Summum Pontificem Leonem XIII velle in hunc finem suscipere emendationem Breviarii Romani (cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXX, 1898, pag. 336, in nota c) ; quem in finem anno 1902 constituta fuit Commissio historico-liturgica, de qua dictum fuit in nota ad Q. 9.

C. Lectiones tertii Nocturni

Q. 34. *Quænam Lectiones dicuntur in tertio Nocturno ?*

R. Priscis temporibus ad tertium Nocturnum Lectiones e Novo Testamento desumptæ legebantur, sicut etiam usque modo leguntur tribus diebus ante Pascha ; non vero legebatur Evangelium, quia hoc Missæ lectioni erat destinatum.

Postea tertii Nocturni ordo mutatus fuit, et institutus ritus legendi Evangelii diei currentis initium tantum, ad nimiam Officii longitudinem evitandam, et deinde Homiliam seu cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanationem.

Non raro ultima Lectio tertii Nocturni, seu nona in Officio novem Lectionum, omittitur, vel octavæ Lectioni adjungitur ; et legitur nona Lectio vel de Sancto, vel de Homilia in Evangelium alicujus Dominicæ vel Feriæ. — De hac nona Lectione dicetur in Quæstionibus 213-215 tertiæ partis hujus Tractatus.

Similiter ibi (Q. 216) dicetur de Lectionibus in Officio trium Lectionum.

Sæculis VIII et IX varia pro his Lectionibus compilata fuerunt Homiliaria ; tamquam præstantissimum habitum fuit illud quod confecit Paulus Diaconus, monachus Montis Cassini, cum Præfatione Caroli Magni, ex quo major pars Homiliarum quas usque hodie legimus desumpta fuit.

A criticis tamquam apocryphæ notantur circiter quinquaginta ex Homiliis tertii Nocturni, aut ex Sermonibus secundi No-

cturni quorumdam Festorum; et quidem ex iis quæ recentius in Breviario inserta fuere. Tales notantur, ex. gr., Lectiones secundi Nocturni in Festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., de Sermone S. Hieronymi, qui sæculo IX jam tamquam dubius, a Cardinali Baronio et omnibus criticis certe apocryphus censetur. (Cfr. Revue Bénédictine, Maredsous, VIII, 1891, pag. 270.)

Ecclesia non semper optimos codices selegit, sed illam lectionem quæ antiquo usu et traditione consecrata fuit, et nequidem curavit semper differentias juxta unam vel alteram editionem SS. Patrum corrigere. In Horis canonicis persolvendis provocamur non tam ad Patrologici studii dissertationes, quam ad pietatis nutritionem et morum emendationem, studiose inquirendo quid in Sermone nobis proponatur, etiamsi forsan ab alio quam cui adscribitur propositum sit.

§ 2. Lectiones breves

Q. 35. *In quibusnam Horis dicuntur Lectiones breves? Unde nomen habent?*

R. I. Lectiones breves præscribuntur legendæ in fine Primæ et in initio Completorii.

In Prima, hæc Lectio brevis locum tenet lectionis spiritualis, vel expositionis e regula ordinis, quam monachis in hac Officii parte prælegebat Lector.

In Completorio, S. Benedictus pro monachis statuerat, quod præcederet ad eorum ædificationem aliqua lectio aut collatio e vitis aut scriptis Patrum.

II. Utrique lectioni subrogata fuit in Breviario Romano Lectio quæ ob ejus abbreviationem brevis dicta fuit.

In Completorio semper eadem dicitur Lectio brevis, ut assignatur in Psalterio.

In Prima, quando celebratur Festum, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, vel proprium vel de Communi; in Dominicis vero et in Feriis dicitur Lectio brevis in Psalterio assignata pro diversis temporibus anni.

§ 3. Responsoria post Lectiones

Q. 36. *Quid sunt Responsoria quæ dicuntur post Lectiones? Quot constant partibus?*

R. I. Responsoria vocantur preces quas post Lectiones, id est, post quamlibet Lectionem, ad Matutinum dicimus; ideo instituta, ut quiescendi spatium legenti concederetur, et ei qui lecturus est se parandi;

atque ad suppeditandum auditoribus tempus ea quæ lecta sunt perpendendi atque meditandi. Dicuntur **Responsoria a respondere**, quia uno præcinente, Chorus consonando respondet.

II. Responsorium quodlibet duabus constat partibus: prior proprie **Responsorium** dicitur, et ipsa distinguitur duabus partibus quæ asterisco separantur, et quarum ultima repetitur; altera appellatur **Versus**. Et sic ambo invicem committi et aptari decet, ut verba in quibus desinit Versus cum parte Responsorii resumenda quadrent apposite, sensum efficiendo hærentem ac congruum. — Quandoque in Responsorio signantur duo asterisci ante Versum; ex. gr., in Responsoriis tertio, sexto et octavo Officii votivi de Passione D. N. J. C.; tunc post Versum repetitur ea Responsorii pars quæ est a primo asterisco ad secundum, et post *Gloria Patri* dicitur reliqua pars a secundo asterisco ad finem Responsorii. (S. Rituum Congregatio, Decret. 7 Decembris 1844, n. 2872, ad 3, antiq. 4685, ad 7; et 2 Junii 1883, n. 3576, antiq. 5874, ad 13.) Si plures notantur asterisci, in propriis locis indicatur quomodo Responsorium sit legendum; ex. gr., in Dominica I Adventus, ad Responsorium primum.

Regulariter in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni, tam in Officio novem quam trium Lectionum, dicitur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*; cum repetitione partis Responsorii; excepto tempore Passionis, quo tempore loco *Gloria Patri*, repetitur Responsorium a principio; excepto etiam Officio Defunctorum, in quo illius loco dicitur: *Requiem æternam dona eis, Domine.* (Rubricæ generales, Tit. XXVIII, n. 2.)

Tempore Paschali, in fine Responsorii, ante Versum, hoc est, in fine partis repetendæ, additur *Alleluja.*

Generatim in Officiis de Tempore desumuntur Responsoria ex ipsis S. Scripturæ libris qui tunc leguntur, eorumque textus correspondet Scripturæ pro tempore occurrenti; ideoque et ipsa indicant characterem proprium, tum tempori anni ecclesiastici, tum festivitati; habentur ita Responsoria ex libris Genesis, Regum, Job, Tobiæ, Judith, Esther, Machabæorum, etc. Hujusmodi Responsoria, ex uno eodemque Scripturæ libro una cum Lectionibus desumpta, vocantur in Rubricis Breviarii **Historiæ**. (Rubricæ generales, Tit. IV, n. 7.)

Quorumdam ex Responsoriis Officii de Tempore selectam pulchritudinem indicant auctores; ex. gr., Temporis Adventus, Temporis Passionis, etc. (Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*, pag. 104, 110.)

In quibusdam Festis Sanctorum, studiose sumuntur ex Actis Sanctorum, ex. gr., in Officiis S. Martini, S. Cæciliæ, S. Andreæ; plerumque tamen desumpta sunt e Scripturæ diversis locis, quæ aptissime faciunt ad Mysterium vel Festum quod celebratur. Hac ratione S. Thomas ita decore Responsoria in Officio SS. Sacramenti concinnavit, ut ad Responsorium de veteri Testamento Versus de Novo adtexatur, et vicissim, quasi ambo Testamenta laudem SS. Sacramenti clament unum ad alterum.

§ 4. Capitula cum suis Responsoriis

Q. 37. *Quid sunt Capitula, et in quibus Horis dicuntur? Quid de eis insuper notandum est?*

R. I. Capitula sunt brevia Capita, scilicet breviores quædam lectiones, aut exhortationes, quæ dicuntur ad Vesperas, Laudes et alias Horas diurnas post Psalmos; et ad Completorium post Hymnum.

In Officiis præcipuarum Dominicarum per annum, necnon in pluribus Festivitatibus, desumpta sæpe sunt ex Epistolis Missarum, ita ut principium Epistolæ inserviat pro Capitulo in Vesperis, Laudibus, ac Tertia, et finis pro Capitulo in Nona, selecta quadam parte Epistolæ pro Capitulo Sextæ.

Non raro in vetustorum Officiorum Capitulis datur differentia inter eorum et Vulgatæ textum; ex eo quod tempore correctionis Breviarii, sub Clemente VIII, anno 1602 (de qua dicetur in secunda Parte Tractatus), Missale nondum fuerat correctum, eorumque textus ex Epistolis Missalis qualis tunc erat desumptus retentus fuit; facta autem postea, anno 1604, correctione textus Missalis, omissa remansit Capitulorum in Breviario revisio, unde non cum textu Epistolarum concordant. Quod Summi Pontifices negligi posse duxerunt, nulli editori licet privata auctoritate corrigere.

II. Capitula dicuntur in omnibus Officiis, præterquam a Feria quinta in Cœna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum.

Breviora sunt Capitula, forsan ratione occupationum diurnarum.

Capitulum Primæ et Capitulum Completorii semper eadem his Horis propria dicuntur.

In omnibus Festis, et etiam in quibusdam Dominicis et Feriis, idem Capitulum dicitur ad Horas nobiliores scilicet utrasque Vesperas, Laudes et Tertiam.

Dicuntur Capitula a digniore Chori, vel ab alio præposito ; ideo non petitur ante ea benedictio, et omnes stant quando dicuntur, et non terminantur conclusione *Tu autem* ; respondetur tamen : *Deo gratias.*

Q. 38. *Quid sunt Responsoria brevia, et in quibus Horis dicuntur ?*

R. Responsoria quæ dicuntur post Capitula in Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio, dicuntur brevia respectu præcedentis Capituli brevioris.

Omittuntur in Triduo sacro ante Pascha, et in Festo ac Octava Paschatis usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusive.

Parum differunt ab aliis Responsoriis quæ dicuntur post Lectiones in Matutino, nisi quod addatur semper Hymnus Apostolicus *Gloria Patri, etc.*, excepto tempore Passionis ; et quod post *Gloria Patri* repetatur non tantum pars, sed totum Responsorium. (Rubricæ generales, Tit. XXVIII, n. 2.)

Ad Primam et ad Completorium semper dicuntur eadem, eo modo ut in Psalterio describuntur. In Responsorio brevi ad Primam tamen aliquando Versus mutari debet, de qua mutatione dicetur postea in Parte tertia Tractatus, Q. 218.

Tempore Paschali alio modo ordinantur hæc Responsoria quam in Matutino ; etenim in fine Responsorii proprie dicti, ante Versum dicuntur duo *Alleluja*, quæ etiam post dictum Versum repetuntur pro parte Responsorii, et post *Gloria Patri* resumitur ipsum Responsorium cum duobus *Alleluja*. (Rubricæ generales, Tit. XXVIII, n. 5.)

§ 5. HYMNI

Q. 39. *Quid est Hymnus ? Quot constat partibus ? In quibus Horis Officii dicuntur Hymni ? Quandonam fuerunt inserti Hymni in Officio divino ?*

R. I. Hymnus dicitur solemne carmen ad Dei laudem

compositum, atque ad leges musicas decantandum, proprium diei, vel Festo quod celebratur.

Ejus conditiones ita exprimit S. Augustinus : « Hymnus scitis quid est ? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis Hymnum. Si cantas, et non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudes, non dicis Hymnum. » (Sermo in Psalm. 148.)

II. Hymnus ut plurimum quatuor constat partibus :

1° Exordii loco præmitti solet vel invocatio numinis, vel invitatio ad laudandum Deum.

2° Subjungitur statim ipsa Mysterii aut Sanctorum, de quibus Hymnus dicitur, commendatio.

3° Petitioni ordinarie impenditur penultima stropha.

4° Ultimam stropham obtinet glorificatio SS. Trinitatis, qua Hymni æque ac Psalmi concluduntur.

III. « Hymni semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam a triduo ante Pascha usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum. » (Rubricæ generales, Tit. XX, n. 1.)

Hymni fortitudinem significant, et Dei majestatem, necnon ejusdem beneficia vel facta miranda laudant : unde stantes eos canimus, ob reverentiam, et ut ostendamus nos sursum ad Deum habere ora et corda nostra.

Quæ regulæ servandæ sint pro mutationibus faciendis in ultima stropha Hymnorum exponentur in Quæstionibus 195-197 tertiæ partis Tractatus.

IV. Initiis Ecclesiæ coævum esse ritum in Ecclesia cantandi Hymnos, pluribus monumentis comprobari potest. Inter Patres Latinos Hymnorum carmine claruit Sanctus Hilarius Pictaviensis († 368), cujus Liber Hymnorum, de quo testantur S. Hieronymus et S. Isidorus Hispalensis, ad nos non pervenit ; et præcipue S. Ambrosius († 397), qui plures composuit adeo commendatos Ecclesiis, ut pleræque illos adoptare non dubitaverint, et S. Benedictus præscribens canere Hymnos illud in sua Regula vocet **canere Ambrosianum**. De S. Gelasio I Summo Pontifice († 496) legitur in ejus vita (Breviarium, Proprium Romanum, 29 No-

vembris) quod Hymnos ecclesiasticos scripsit ; item de S. Leone II († 684) legimus in Breviarii Officio (28 Junii) quod Hymnos et Psalmos in Ecclesia ad concentum meliorem reduxit.

Quamvis Hymni jam a sæculo sexto per Hispaniam inserti reperiantur in Officiis ecclesiasticis, in Romano Basilicæ Vaticanæ Officio sero equidem Hymni cani cœperunt ; et sæculo VIII quidem, diffusa Liturgia Romana Basilicæ S. Petri, fere ubique (paucis exceptis Abbatiis) usus Hymnorum in Officiis derelictus fuit ; sed, labente sæculo IX, injuria temporum minuente Romanæ Ecclesiæ auctoritate, propagantibus præsertim monachis Cluniacensibus, sæculis X et XI, Hymni Hymnarii Benedictini fere ubique iterum recepti fuerunt ; Romæ tamen post sæculum duodecimum tantum in Officio Romano inserti fuerunt, vel sub Innocentio III († 1216), in Breviario dicto de Camera, seu secundum usum Romanæ Curiæ, vel sub Gregorio IX, quando anno 1241 Haymo, Fratrum Minorum Generalis Minister, hujus Pontificis jussu correxit Breviarium.

Cum postmodum Hymnorum nonnulli, qui in Romano Officio fuerant inserti, in quibusdam partibus circa metri et numeri exactas leges peccarent, initio sæculi XVI, Leo X († 1521) cogitavit de reformatione Hymnarii, et novum compositum fuit Hymnarium a *Z*acharia Ferreri, Episcopo Guardiensi, a Clemente VII anno 1523 approbatum. Sunt Hymni « juxta veram metri et latinitatis normam, » sed in quibus Olympus, et Quirites, et penates nimias partes tenent. Mortuo auctore, hæc humanistarum reformatio relicta fuit, utpote a vera liturgica traditione prorsus aliena. Postea Urbanus VIII, anno 1629, operam adhibuit, ut omnes Breviarii Hymni, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione, ad carminis et latinitatis leges revocarentur. (Cfr. Bulla Urbani VIII, 25 Januarii 1631, in initio Breviarii.)

De hac correctione multi conquesti sunt, et hodie etiam conqueruntur, quasi deformatum dicentes opus christianæ antiquitatis, amissam veterem simplicitatem, enervatamque pietatis vim quam undique veteres

spirabant Hymni ; unde effatum : *accessit latinitas et recessit pietas.* Alii autem plurimi faciunt emendationem.

(Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique.* Paris, 1900, pag. 140; et Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 434.)

Q. 40. *Exhibe ordinem Hymnorum in Breviario Romano, et indica auctores notos singulorum, vel ætatem qua compositi fuerunt.*

R. Hymni numerantur hodie in ipso Breviario Romano circiter 140, et circiter 40 in Appendicibus. — Præterea multos alios Hymnos reperire est in Breviariis Ordinum Religiosorum.

Juvat hic Hymnos secundum ordinem Breviarii Romani recensere ; cum nota auctorum quibus a cultoribus Historiæ liturgicæ adscribuntur, aut sæculorum quibus confecti fuerunt.

Nota. Tamquam auctores Hymnorum indicantur hic illi quos documenta historica, aut constans traditio proponunt.

Investigationis studium intentum nostris diebus instituitur super thesauris liturgicis, ad stabiliendum vel infirmandum quidquid sæculorum traditio nobis de eorum origine transmisit ; et speciatim periti Hymnorum textus perscrutantur, fontes indagant, quique Hymnos composuerint inquirunt ; unde quædam antiquitus certa hodie uti dubia censentur.

Ad exemplum notare placet de Hymnis S. Ambrosio adscriptis : hunc Sanctum multos composuisse Hymnos indubie constat ; non omnes tamen qui antiquitus ipsi tribuebantur tribui cum certitudine posse compertum fuit ; et quidam ex his inde vocati fuerunt « Ambrosiani », nempe ad imitationem S. Ambrosii, qui compositi creduntur a sæculo V ad VII. — Hodie, dum aliqui periti affirmant posse nomine S. Ambrosii condecorari Hymnos circiter quadraginta, alii dicunt id cum certitudine historica non constare nisi pro quatuor tantum, de quibus S. Augustinus occasione data in diversis scriptis testatur.

Hi quatuor Hymni sunt : *Æterne rerum conditor,* qui in Romano Breviario ad Laudes Dominicæ dicitur ; — *Deus creator omnium,* quem Benedictini in Officio vespertino dicunt ; — *Veni redemptor gentium,* de Natali Domini, qui adhuc prostat in Breviariis Fratrum Prædicatorum et Canonicorum Præmonstratensium ; — *Jam surgit hora tertia,* ad Tertiam, qui olim usitatissimus hodie in nullo Breviario occurrit. (Cfr. Kayser, *Beiträge zur Geschichte und Erklärung der ältesten Kirchenhymnen.* Paderborn, 1881, pag. 127-192.)

Præter Hymnum *Æterne rerum conditor,* in sequentibus notis S. Ambrosio adscripti retinentur alii, quos usque hodie ple-

rique auctores eidem Sancto tribuunt, etiamsi certitudo historica constantem traditionem non confirmet.

IN OFFICIIS DE TEMPORE

1. Dominica : ad Matutinum : *Primo die quo Trinitas*. S. Gregorius I (Magnus) († 604).
Nocte surgentes. S. Gregorius.
ad Laudes : *Æterne rerum Conditor*. S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis († 397). Hymnus hic a peritis æstimatur apprime suavis et admodum elegans, ejusque pulchritudinem (ravissante beauté) diserte commentat Pimont, in opere infra citato (Tome I, pag. 48).
Ecce jam noctis. S. Gregorius.
ad Primam : *Jam lucis orto sidere*. S. Ambrosius. Juxta quosdam dicitur « Ambrosianus », id est, ad imitationem Hymnorum S. Ambrosii, a sæculo V ad VII compositus.
ad Tertiam : *Nunc, sancte nobis Spiritus*. S. Ambrosius.
ad Sextam : *Rector potens, verax Deus*. S. Ambrosius.
ad Nonam : *Rerum, Deus, tenax vigor*. S. Ambrosius.
ad Vesperas : *Lucis Creator optime*. S. Gregorius? Juxta alios Ambrosianus.
ad Completorium : *Te lucis ante terminum*. S. Ambrosius.

2. Feria II : ad M. *Somno refectis artubus*. S. Ambrosius.
ad L. *Splendor paternæ gloriæ*. S. Ambrosius.
ad V. *Immense cœli Conditor*. S. Ambrosius.

3. Feria III : ad M. *Consors paterni luminis*. S. Ambrosius.
ad L. *Ales diei nuntius*. Prudentius (Aurelius Prudentius Clemens) ex Hispania († 413).
ad V. *Telluris alme Conditor*. S. Ambrosius.

4. Feria IV : ad M. *Rerum Creator optime*. S. Gregorius.
ad L. *Nox, et tenebræ, et nubila*. Prudentius.
ad V. *Cœli Deus sanctissime*. S. Ambrosius.

5. Feria V : ad M. *Nox atra rerum contegit*. S. Gregorius.
ad L. *Lux ecce surgit aurea*. Prudentius.
ad V. *Magnæ Deus potentiæ*. S. Ambrosius.

6. Feria VI : ad M. *Tu Trinitatis Unitas*. S. Gregorius.
ad L. *Æterna cœli gloria*. Sæculi VI.
ad V. *Hominis superne Conditor*. S. Ambrosius.

7. Sabbato : ad M. *Summæ Parens clementiæ*. S. Gregorius.
ad L. *Aurora jam spargit polum*. S. Gregorius.
ad V. *Jam sol recedit igneus*. S. Ambrosius.

8. In Adventu : ad V. *Creator alme siderum*. S. Gregorius.
ad M. *Verbum supernum prodiens*. S. Ambrosius.
ad L. *En clara vox redarguit*. S. Ambrosius.

9. In Nativitate Domini : ad V. et M. *Jesu Redemptor omnium*. S. Ambrosius.
ad L. *A solis ortus cardine*. Sedulius (Cœlius Sedulius) pres

byter in Achaia († 430). Vocatur hic Hymnus *abecedarius*, seu *Carmen alphabeticum*, cujus singulæ 23 strophæ successive incipiunt cum successivis litteris alphabeti. Est Hymnus omni pietatis affectu plenissimus, quo auctor Christi miraculorum nobilis præco totam Redemptoris vitam prosequitur. Ab hoc dulcissimo carmine non potuit Ecclesia quin sibi flosculos quosdam delibaret. (Daniel : *Thesaurus hymnologicus*, II, pag. 144.) Septem primæ strophæ hujus Carminis in hoc Laudum Nativitatis Domini Hymno proponuntur. Vide etiam infra in Epiphania.

10. In Festo SS. Innocentium : ad M. *Audit tyrannus anxius*. Prudentius, in *Cathemerinon* (Hymnus XII, *de Epiphania*).
ad L. et V. *Salvete, flores martyrum*. Prudentius.

11. In Epiphania : ad V. et M. *Crudelis Herodes, Deum*. Sedulius. Sunt Strophæ 8, 9, 11 et 13 Hymni abecedarii, de quo supra ; ante correctionem sub Urbano VIII factam stropha 8 legebatur : *Hostis Herodes impie*.
ad L. *O sola magnarum urbium*. Prudentius.

12. In Quadragesima : ad V. *Audi, benigne Conditor*. S. Gregorius.
ad M. *Ex more docti mystico*. S. Gregorius.
ad L. *O sol salutis, intimis*. Sæculi IX.

13. Tempore Passionis : ad V. *Vexilla Regis prodeunt*. Venantius Fortunatus, Episcopus Pictaviensis († 603).
ad M. *Pange lingua gloriosi*. Claudianus Mamertius, presbyter Ecclesiæ Viennensis in Gallia († 474), frater S. Mamertii, Episcopi Viennensis, qui instituit Processiones Rogationum in Litaniis minoribus.
ad L. *Lustra sex qui jam peregit*. Claudianus Mamertius.

14. Tempore Paschali : ad V. *Ad regias Agni dapes*. Sæculi VI.
ad M. *Rex sempiterne cœlitum*. Sæculi VI.
ad L. *Aurora cœlum purpurat*. Sæculi VI.

15. In Ascensione Domini : ad V. et L. *Salutis humanæ Sator*. Sæculi X.
ad M. *Æterne Rex altissime*. Sæculi IX.

16. In Pentecoste : ad V. et ad Tertiam : *Veni, Creator Spiritus*. Carolus Magnus, Imperator († 814), vel juxta alios Rabanus Maurus, Episcopus Maguntinus († 856). Hæc est hujus egregii Carminis excellentia, ut Ecclesia illud cantet non solum in Officio Octavæ Pentecostes, sed et in summis ac præclarissimis cæremoniis, ex. gr., in consecratione Episcopi, in ordinatione Presbyteri, in coronatione Regis, in dedicatione Ecclesiæ, in celebratione Concilii et Synodi, etc.
ad M. *Jam Christus astra ascenderat*. Sæculi VIII.
ad L. *Beata nobis gaudia*. S. Hilarius, Episcopus Pictaviensis († 368).

17. In Festo SS. Trinitatis : ad V. *Jam sol recedit igneus*. S. Ambrosius. Idem ac Sabbato ad V. n. 7.)

ad M. *Summæ Parens clementiæ.* S. Gregorius. (Idem ac Sabbato ad M. n. 7.)
ad L. *Tu Trinitatis Unitas.* S. Gregorius. (Idem ac Feria VI ad M. n. 6.)

18. In Festo SS. Corporis Christi : ad V. *Pange lingua gloriosi.* S. Thomas Aquinas († 1274).
ad M. *Sacris solemniis.* S. Thomas Aquinas.
ad L. *Verbum supernum.* S. Thomas Aquinas.

IN COMMUNI SANCTORUM

19. Apostolorum : ad V. et L. *Exsultet orbis gaudiis.* Sæculi IX.
ad M. *Æterna Christi munera.* Ambrosianus, sæculi V.

20. Apostolorum, Tempore Paschali : ad V. et M. *Tristes erant Apostoli.* Sæculi VI. Est pars Carminis Paschalis, *Aurora*, cujus initium habetur in Laudibus Temporis Paschalis, supra n. 14.
ad L. *Paschale mundo gaudium.* Sæculi VI, ut præcedens.

21. Unius Martyris : ad V. et M. *Deus tuorum militum.* Ambrosianus, sæculi VI.
ad L. *Invicte Martyr, unicum.* Sæculi X.

22. Plurimorum Martyrum : ad V. *Sanctorum meritis.* Sæculi VIII.
ad M. *Christo profusum sanguinem.* Ambrosianus, sæculi VI.
ad L. *Rex gloriose martyrum.* Ambrosianus, sæculi VI.

23. Confessoris Pontificis : ad V. et M. *Iste Confessor Domini.* Sæculi X. Nonnulli credunt hunc Hymnum fuisse compositum in honore S. Martini, Episcopi Turonensis.
ad L. *Jesu, Redemptor omnium.* Sæculi IX.

24. Confessoris non Pontificis : ad L. *Jesu, corona celsior.* Ambrosianus, sæculi VI.

25. Virginum : ad V. et L. *Jesu, corona virginum.* Ambrosianus, sæculi VI.
ad M. *Virginis Proles.* Sæculi IX.

26. Non Virginum : ad V. et L. *Fortem virili pectore.* Silvio Antoniano, Cardinalis († 1603).
ad M. *Hujus oratu Deus alme nobis.* Idem.

27. Dedicationis Ecclesiæ : ad V. et M. *Cœlestis urbs Jerusalem.* Sæculi VII.
ad L. *Alto ex Olympi vertice.* Sæculi VII.

28. Festorum B. Mariæ V. : ad V. *Ave, maris stella.* Venantius Fortunatus ?
ad M. *Quem terra, pontus, sidera.* Venantius Fortunatus.
ad L. *O gloriosa virginum.* Venantius Fortunatus.

29. In Officio parvo B. Mariæ V. : *Memento, rerum Conditor.* S. Ambrosius.

IN FESTIS

30. Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 8 Decembris :
ad V. et ad L., ut supra in Festis B. M. V. n. 28.
ad M. *Præclara custos virginum.* Sæculi XVII.

31. Sanctissimi Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam :
ad V. *Jesu dulcis memoria.* S. Bernardus, Abbas Claravallensis († 1153). Quidam tamen adscribunt Hymnum Abbatissæ cuidam Ordinis S. Benedicti, sæculi XIV. (Guéranger. *L'Année liturgique,* T. III.)
ad M. *Jesu Rex admirabilis.* Idem ut ad V.
ad L. *Jesu decus angelicum.* Idem ut ad V.

32. Cathedræ S. Petri Romæ, 18 Januarii, et Antiochiæ, 22 Februarii :
ad V. et M. *Quodcumque in orbe.* S. Paulinus, Patriarcha Aquileensis († 802). Est pars Hymni qui integer describitur apud Guéranger : *L'Année liturgique,* T. XII, pag. 435.
ad L. *Beate pastor Petre.* Elpis, ex Sicilia, uxor Senatoris Boëcii († 524). Est pars Hymni qui integer describitur apud Guéranger : *L'Année liturgique,* T. XII, pag. 460.

33. Conversionis S. Pauli, Apostoli, 25 Januarii :
ad V. et M. *Egregie Doctor Paule.* Elpis. Idem notetur quod ad Hymnum præcedentem.

34. S. Martinæ, Virg. et Mart., 30 Januarii :
ad V. et M. *Martinæ celebri.* Urbanus VIII († 1644).
ad L. *Tu natale solum.* Urbanus VIII.

35. SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., 11 Februarii :
ad V. *Bella dum late furerent.* Illmus Vincentius Tarozzi, Secretarius Epistolarum Latinarum SS. D. Leonis XIII.
ad M. *Sic patres vitam peragunt.* Idem.
ad L. *Matris sub almæ numine.* Idem.

36. S. Joseph, Sponsi B. M. V., 19 Martii. Clemens XI, anno 1714, Officium S. Joseph quod hodie legimus composuit, seu formam præsentem huic dedit, illudque universali Ecclesiæ præscripsit ; non ideo tamen dicendum est Hymnos hujus Officii ab eodem Pontifice fuisse compositos. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 302.)
ad V. *Te Joseph celebrent.* Videtur tribuendus Gersoni († 1429).
ad M. *Cœlitum Joseph decus.* Ignoti auctoris est, sed jam prostat in Breviario Benedictino anni 1580.
ad L. *Iste, quem læti colimus.* Sæculi XVI, ut præcedens.

37. VII Dolorum B. M. V., Feria VI post Dominicam Passionis :
ad V. *Stabat Mater dolorosa.* Jacopone de Todi (Jacobus de Benedictis), Ordinis S. Francisci Assisiatis († circa 1306).

ad M. *Sancta Mater, istud agas.* Est pars Hymni qui incipitur ad V.
ad L. *Virgo virginum præclara.* Est pars Hymni qui incipitur ad V.

38. S. Hermenegildi, Mart., 13 Aprilis :
ad V. et L. *Regali solio.* Urbanus VIII.
ad M. *Nullis te genitor.* Urbanus VIII.

39. Patrocinii S. Joseph, Dominica III post Pascha :
ad V. et M. *Te Joseph celebrent.* Ut in Festo, 19 Martii, ad V. n. 36.
ad L. *Cœlitum Joseph decus.* Ut in Festo, 19 Martii, ad M. n. 36.

40. Inventionis S. Crucis, 3 Maji : Sunt iidem Hymni qui recensentur supra pro Tempore Passionis, n. 13.

41. Apparitionis S. Michaelis Archang., 8 Maji :
ad V. et M. *Te splendor et virtus Patris.* Rabanus Maurus.
ad L. *Christe, sanctorum decus.* Rabanus Maurus.

42. S. Venantii, Mart., 18 Maji :
ad V. *Martyr Dei Venantius.* Sæculi XVIII.
ad M. *Athleta Christi nobilis.* Sæculi XVIII.
ad L. *Dum nocte pulsa lucifer.* Sæculi XVIII.

43. SS. Cordis Jesu, Feria VI post Oct. SS. Corporis Christi :
ad V. *Auctor beate sæculi.* Sæculi XVIII, in Officio concesso anno 1765 a Clemente XIII.
ad M. *En ut superba criminum.* Ut supra ad V.
ad L. *Cor arca legem continens.* Ut supra ad V.

44. S. Julianæ de Falconeriis, Virg., 19 Junii :
ad V. et M. *Cœlestis Agni nuptias.* Franciscus Laurentini, hagiographus, Florentiæ († 1719).

45. Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 24 Junii :
ad V. *Ut queant laxis.* Paulus Warnefrid, dictus Paulus Diaconus, monachus Montis Cassini († 797).
ad M. *Antra deserti.* Continuatio Hymni ad V.
ad L. *O nimis felix.* Continuatio Hymni ad V. et M.

46. SS. Apostolorum Petri et Pauli, 29 Junii :
ad V. *Decora lux æternitatis.* Elpis. 3ª stropha : *O Roma felix*, est S. Paulini. Cfr. nota ad Festa Cathedræ S. Petri, n. 32.
ad L. *Beate Pastor Petre.* Elpis. Cfr. nota ad Festa Cathedræ S. Petri, n. 32.

47. Commemorationis S. Pauli Apost., 30 Junii ;
ad M. *Egregie doctor Paule.* Elpis. Cfr. nota in Festo Conversionis S. Pauli, n. 33.

48. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii :
ad V. *Festivis resonent.* Sæculi XVII.
ad M. *Ira justa Conditoris.* Sæculi XVII.
ad L. *Salvete Christi vulnera.* Sæculi XVII.

49. SS. Cyrilli et Methodii, Pontt. et Conff., 7 Julii :

ad V. et M. *Sedibus cœli nitidis*. Iste et sequens compositi fuerunt a R. P. Leanetti et Rmo Salvati, revisi vero a RRmis Caprara et Tripepi.
ad L. *Lux o decora patriæ*. Iidem.

50. S. Elisabeth, Reginæ Portugalliæ, Viduæ, 8 Julii :
ad V. et M. *Domare cordis impetus*. Urbanus VIII.
ad L. *Opes decusque regium*. Urbanus VIII.

51. S. Mariæ Magdalenæ, Pœnitentis, 22 Julii :
ad V. *Pater superni luminis*. Bellarminus, Soc. Jesu, Cardinalis († 1621).
ad M. *Maria castis osculis*. Bellarminus.
ad L. *Summi Parentis unice*. S. Odo Cluniacensis († 943).

52. S. Petri ad Vincula, 1 Augusti :
ad V. *Miris modis repente*. S. Paulinus. Cfr. nota ad Festa Cathedræ S. Petri, n. 32.
ad M. *Quodcumque in orbe*. S. Paulinus. Cfr. n. 32.
ad L. *Beate Pastor Petre*. Elpis. Cfr. n. 32.

53. Transfigurationis D. N. J. C., 6 Augusti :
ad V. et M. *Quicumque Christum quæritis*. Prudentius, in *Cathemerinon*. Cfr. n. 10.
ad L. *Lux alma Jesu mentium*. A quibusdam tribuitur S. Bernardo.

54. Exaltationis S. Crucis, 14 Septembris : Sunt iidem Hymni qui supra recensentur n. 13, pro Tempore Passionis.

55. Septem Dolorum B. M. V., Dominica III Septembris :
ad V. *O quot undis lacrymarum*. Rmus Callixtus Palombella, Episcopus, sæculi XVIII.
ad M. *Jam toto subitus vesper*. Idem.
ad L. *Summæ Deus clementiæ*. Idem.

56. Dedicationis S. Michaelis Archangeli, 29 Septembris : Sunt iidem Hymni qui recensentur supra n. 41.

57. SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris :
ad 1 V. *Cœlestis aulæ nuntius*. Rmus P. Augustinus Ricchini, Ordinis S. Dominici, versus annum 1750, Romæ, ubi erat tunc temporis Secretarius S. Congregationis Indicis, et postea fuit Sacri Palatii magister, hunc et tres sequentes hujus Officii Hymnos composuit.
ad M. *In monte olivis consito*. Idem.
ad L. *Jam morte victor obruta*. Idem.
ad 2 V. *Te gestientem gaudiis*. Idem.

58. SS. Angelorum Custodum, 2 Octobris :
ad V. et M. *Custodes hominum psallimus*. Bellarminus.
ad L. *Æterne Rector siderum*. Bellarminus.

59. S. Teresiæ, Virg., 15 Octobris :
ad V. et L. *Regis superni nuntia*. Urbanus VIII.
ad M. *Hæc est dies qua candidæ*. Urbanus VIII.

60. S. Joannis Cantii, Conf., 20 Octobris :
ad V. *Gentis Polonæ gloria*. Sæculi XVIII.

ad M. *Corpus domas jejuniis.* Sæculi XVIII.
ad L. *Te deprecante.* Sæculi XVIII.

61. Omnium Sanctorum, 1 Novembris :
ad V. et M. *Placare, Christe, servulis.* Rabanus Maurus ?
ad L. *Salutis æternæ dator.* Rabanus Maurus ?

IN OFFICIIS VOTIVIS

62. De SS. Angelis. Hymni sunt iidem qui recensentur in Festo Apparitionis S. Michaelis Archangeli, n. 41.

63. De SS. Apostolis. Iidem sunt Hymni ut in Communi Apostolorum, n. 19.

64. De S. Joseph, Sponso B. M. V. Hymni sunt iidem qui recensentur in Festo Patrocinii S. Joseph, n. 39. Cfr. n. 36.

65. De SS. Eucharistiæ Sacramento. Ut in Festo SS. Corporis Christi, n. 18.

66. De Passione D. N. J. C. ad V. *Mœrentes oculi.* Rmus Thomas Strozieri, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Passionis D. N., Episcopus ultimo Tudertinus, sæculi XVIII.
ad M. *Aspice, infami Deus.* Idem.
ad V. *Sævo dolorum turbine.* Idem.

67. De Immaculata Conceptione B. M. V. Ut in Festo, n. 30. Cfr. n. 28.

Prædicti Hymni omnes reperiuntur in Breviario Romano; præterea dantur in Appendice Breviarii circiter 40 Hymni pro Officiis concessis aliquibus locis : ex his indicantur hic ii qui dicendi sunt in Festis quæ celebrantur in Diœcesi Mechliniensi.

IN FESTIS PROPRIIS

68. Exspectationis Partus B. M. V., 18 Decembris : Hymni sunt iidem qui recensentur supra pro Tempore Adventus, n. 8.

69. Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam :
ad V. *O Lux beata cœlitum.* S. P. Leo XIII.
ad M. *Sacra jam splendent.* Idem.
ad L. *O Gente felix hospita.* Idem.

70. Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, Feria III post Septuagesimam :
ad V. et M. *Aspice ut Verbum Patris.* Sæculi XVIII.
ad L. *Venit e cœlo mediator.* Sæculi XVIII.

71. Passionis D. N. J. C., Feria III post Sexagesimam. Hymni sunt iidem qui recensentur supra in Officio votivo de Passione, n. 66.

72. Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., Feria VI post Cineres :
ad V. et M. *Exite Sion filiæ.* Sæculi XVIII.
ad L. *Legis figuris pingitur.* Sæculi XVIII.

73. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam I Quadragesimæ :
ad V. *Quænam lingua tibi.* Sæculi XVIII.
ad M. *Salvete, clavi et lancea.* Sæculi XVIII.
ad L. *Tinctam ergo Christi sanguine.* Sæculi XVIII.

74. SS. Sindonis D. N. J. C., Feria VI post Dominicam II Quadragesimæ :
ad V. *Gloriam sacræ celebremus.* Sæculi XVIII.
ad M. *Mysterium mirabile.* Sæculi XVIII.
ad L. *Jesu, dulcis amor meus.* Sæculi XVIII.

75. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam III Quadragesimæ :
ad V. et M. *Pange lingua gloriosi.* Claudianus Mamertius. Cfr. supra n. 13.
ad L. *Lustra sex qui jam peregit.* Claudianus Mamertius.

76. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Hymni sunt iidem qui recensentur supra in Festo, n. 48.

77. S. Gabrielis, Archangeli, 18 Martii :
ad V. et M. *Christe, sanctorum decus.* Rabanus Maurus. Cfr. n. 41.
ad L. *Placare, Christe, servulis.* Sunt quædam strophæ ex Hymno ad V. et M. in Festo Omnium Sanctorum. Cfr. n. 61.

78. B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum, 24 Maji :
ad V. et M. *Sæpe dum Christi populus.* Sæculi XIX.
ad L. *Te Redemptoris.* Sæculi XIX.

79. Maternitatis B. Mariæ V., Dominica II Octobris :
ad M. *Cœlo Redemptor prætulit.* Sæculi XIX.
ad L. *Te, Mater alma Numinis.* Sæculi XIX.

80. Puritatis B. Mariæ V., Dominica III Octobris :
ad V. *Præclara custos Virginum.* Sæculi XVII. Cfr. n. 30.
ad M. *O stella Jacob fulgida.* Sæculi XIX.
ad L. *O gloriosa virginum.* Venantius Fortunatus. Cfr. n. 28.

81. S. Raphaelis, Archangeli, 24 Octobris :
ad V. et M. *Tibi Christe splendor Patris.* Rabanus Maurus.
ad L. *Christe, sanctorum decus.* Rabanus Maurus. Cfr. n. 41.

Mirum est quoteni medio ævo et postea compositi fuerint pro diversis Officiis Hymni; non solum provinciæ et diœceses, sed et multæ ecclesiæ habebant suum Hymnarium pro diversis Festis et Officiis ad laudem Dei, Mysteriorum et Sanctorum. Collectiones Hymnorum amplissimæ editæ fuerunt, et hodiedum eduntur; ex modernis indicantur quædam sequentes :

Daniel. *Thesaurus Hymnologicus.* Halis et Lipsiæ. 1841-1856. 5 vol.

Mone. *Lateinische Hymnen des Mittelalters.* Freiburg im Breisgau. 1853-1855. 3 vol.
Dreves et Blume. Soc. Jesu. *Analecta Hymnica medii ævi.* Lipsiæ. 1886-1903. 41 vol. Continuatur publicatio.
Chevalier. *Poésie liturgique traditionelle de l'Eglise catholique en Occident.* Tournai. 1894. 1 vol.
Daris. *Notices historiques sur les églises du Diocèse de Liège.* Tom. XV. Liège. 1894. In hoc Tomo describuntur Hymni Breviarii Leodiensis anni 1558, inter quos reperitur Hymnus pro Festo S. Rumoldi, Archidiœcesis Mechliniensis Patroni, pag. 68, necnon Sequentia, pag. 221.

De Hymnis Officii divini exstant præclari antiquorum commentarii. Optimus prodiit : *Les Hymnes du Bréviaire Romain.* Etudes critiques, littéraires et mystiques, par l'abbé S. G. Pimont. Paris, Poussielgue. — 1re partie : Hymnes dominicales et fériales du psautier (1874) ; 2e partie : Hymnes du temps : Avent, Noël, Epiphanie (1878) ; 3e partie : Hymnes du temps : Carême, Passion, Pâques, Ascension, Pentecôte, Trinité, Saint Sacrement (1884).

Nonnullorum Hymnorum notitia, et multorum translatio in gallicam linguam reperitur in præstantissimo opere : *L'année liturgique*, par Dom Guéranger. 15 volumes. Poitiers, Oudin. — Hujus operis Tomus I, de Adventu, prodiit anno 1841 ; ipse auctor opus perduxit usque ad Tomum IX qui explicit Octava Pentecostes ; morte auctoris († 1875) interruptum opus mox continuarunt ab anno 1878 ejus discipuli, et anno 1901 editione Tomi XV perfecerunt. Quanti æstimatur patet ex eo quod in præfatione ultimi Tomi continuator potuit asserere operis, etsi nondum completi, 40 annorum spatio desiderata fuisse 500000 volumina.

Notatur etiam : *La poésie du Bréviaire.* Essai d'histoire critique et littéraire, par l'abbé C. Albin. Ratisbonne, Pustet. — Tome I, Les Hymnes (1899).

Q. 41. *Quænam notatu digna veniunt de Hymno* Te Deum laudamus *?*

R. I. Inter Hymnos solemnior est *Te Deum laudamus*, superscriptus in Breviario Romano : *Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.* Notatur enim in quodam Chronico, quod cum Augustinus ab Ambrosio, cunctis fidelibus urbis Mediolanensis adstantibus, anno 387, in nocte ante Pascha, 25 Aprilis, baptizatus esset, ad egressum e fontibus repente Ambrosius cantavit : *Te Deum laudamus*, Augustinus vero respondit : *Te Dominum confitemur*, et toto obstupescente populo, ita Canticum totum Sancti viri alternatim cantaverunt. — Quidquid sit de hujus legendæ valore, certum est Hymnum in usu

fuisse medio sæculo V, aut saltem ab initio sæculi VI. In Ephemeridibus quibus titulus «Revue Bénédictine», controversia de auctore Hymni *Te Deum* erudite et perspicue discutitur, et graviora afferuntur testimonia quæ favent opinioni S. Nicetam, Episcopum ecclesiæ Remesianæ, in antiqua Dacia mediterranea (hodierna Serbia), ab anno 392 ad annum 414, ejus esse auctorem. (Cfr. Revue Bénédictine. Maredsous, VII, 1890, pag. 151, et XI, 1894, pag. 49 ; Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 496 ; Cabrol, *Le livre de la priere antique*. Paris, 1900, pag. 157.)

II. Constat Hymnus *Te Deum* duabus partibus, quarum prior est Carmen ad Dei laudem, altera Hymnus matutinus.

Pars I continet: 1° Dei, Domini, Æterni Patris quem omnis terra veneratur laudem per choros Angelorum in cœlis (℣℣. 1 Te Deum... — 6) ;

2° laudem et confessionem Trinitatis per Ecclesiam triumphantem in cœlis, et per Ecclesiam militantem in terra (7 Te gloriosus... — 13) ;

3° laudem Christi Redemptoris, Æterni Patris Filii, qui pro nobis natus ex Maria Virgine, morte devicta nobis cœlum aperuit, ubi gloriosus ad dexteram Patris sedet, unde Judex est venturus (14 Tu Rex.... — 19) ;

4° supplicationem auxilii pro famulis pretioso sanguine redemptis, ut salvi fiant, et in æterna gloria cum sanctis numerentur (20 Te ergo... — 23).

Pars II continet : 1° testimonium nostræ quotidianæ laudis Dei (℣℣. 24 Per singulos.... 25) ;

2° supplicationem divini auxilii per diem quæ incipit, et misericordiæ quam speramus (26 Dignare... — 28) ;

3° actum solemnem perennis fiduciæ (29 In te Domine...)

Conscriptum fuisse Hymnum pro matutinis Officiis, ex postremis ejus versibus facile colligi potest : *Per singulos dies benedicimus te ; Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire* ; quæ dicta aptata sunt viris Choro addictis, et quotidie Deo laudes in exordio diei persolventibus.

Superscribitur in Psalterio *Hymnus*, lato sensu ; nam cum metrum non habeat, stricte dictus Hymnus appel-

lari nequit, et ideo in indice Breviarii refertur inter Cantica.

III. Sæculo VIII Hymnus iste cantatus fuit in fine Vigiliæ, seu Matutini, solummodo in Festis de Sanctis Papis Martyribus ; a sæculo XI vero jam dicitur quemadmodum hodierna Rubrica Breviarii id præscribit, scilicet :

Dicitur post ultimam Lectionem Matutini « in omnibus Festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum Octavas, excepto Festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica ; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis a Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Nativitate Domini inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, et in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta Feria secunda Rogationum in qua non dicitur. » (Rubricæ generales, Tit. XXXI, n. 1.)

Præterea Ecclesia in majoribus quibusdam et solemnioribus functionibus hunc Hymnum adhibet, ex. gr., in Consecratione Episcopi, in Benedictione Abbatis et Abbatissæ, in Benedictione et Consecratione Virginum ; in Benedictione et Coronatione Regis ; in Processionibus pro gratiarum actione, et in Translatione SS. Reliquiarum insignium ; etc.

ARTICULUS III

De elementis quæ pertinent ad Orationem

§ 1. Orationes

Q. 42. *Quænam elementa Officii divini proprie dicuntur Orationes ? Quare ?*

R. Omnia hucusque recensita Officii divini elementa sunt Orationes in lato hujus vocis sensu, etiam ipsæ Lectiones, quæ sunt non solum ad instructionem, sed et ad ædificationem. Nihilominus continet Officium divinum preces quasdam, quæ Orationes in strictiori vocis sensu ab Ecclesia vocantur, cum eminenter op-

portunæ orationis qualitates et characterem habeant. Etenim preces istæ, specialiter Orationes dictæ, in compendiosa brevitate complectuntur summam, substantiam, collectionem omnium eorum, quæ tamquam fructum Mysterii seu Festi a Deo præcipue optamus consequi. Et ideo omnes Horæ concluduntur eadem recurrente propria diei Oratione. Excipiuntur tantum Prima et Completorium, quæ proprias suas Orationes habent, numquam mutandas, præterquam in triduo mortis Christi.

Antiquitus Horæ Officii divini omnes absolvebantur sola Oratione Dominica alta voce recitata ; Orationes stricte dictæ enim Missæ Sacrificio erant destinatæ, et in Officium serius, sæculo nempe VIII, invectæ fuerunt.

Q. 43. *Quid præmittitur Orationi ? Explica. Quænam notantur in Rubricis de conclusione Orationum ?*

R. I. Orationi præmittitur salutatio : *Dominus vobiscum ; Et cum spiritu tuo.* Istorum verborum, quæ desumpta sunt ex libro Ruth (Cap. II, ℣. 4), sensus est : Dominus in vobis maneat, et gratiam vobis det mecum devote orandi ; non vacat mysterio, quod populus salutanti Sacerdoti respondeat, non *Et tecum*, sed *Et cum spiritu tuo*, (juxta Apostolum, in II ad Tim., Cap. IV, ℣. 22, et ad Galat., Cap. VI, ℣. 22) ; quasi respondentes optent Dominum implere spiritum ejus devotione, qua magno cum fervore pro omnibus oret, ita ut ejus oratio non solum lingua proferatur, sed multo magis corde et spiritu. (De Ponte, *De Christiani hominis perfectione*, Tom. IV, Tract. 2, Cap. 11.) Post salutationem dicitur insinuatio seu indictio Orationis per verbum *Oremus*, quod spectat et Sacerdotem et populum, ut communis sit, ore et corde, gratiarum actio et petitio.

Sacerdos, etiam quando solus Officium recitat, Orationi præmittit ℣. *Dominus vobiscum* ; intendere namque debet se loqui cum Ecclesia ; idipsum a Diacono quoque præstatur, absente Sacerdote, vel de illius præsentis licentia ; ab aliis autem pro *Dominus vobiscum* semper pronuntiatur ℣. *Domine exaudi orationem meam*, et respondetur : *Et clamor meus ad te veniat.* (Rubricæ generales, Tit. XXX, n. 3.)

De constructione Orationis dicitur speciatim in Tractatu de Rubricis Missalis, Q. 69.

II. Circa conclusiones Orationum notat Rubrica: « Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur *Per Dominum* ; si ad Filium, *Qui vivis et regnas*. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur *Per eumdem* ; si in fine Orationis, dicatur *Qui tecum vivit et regnat*. Si fiat mentio Spiritus sancti, dicatur *In unitate ejusdem Spiritus sancti, etc.* »

« Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione *Per Dominum*, vel aliter, ut supra : aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione ; sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo quam ut supra, Orationes dicuntur : item in Litaniis, Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur. » (Rubricæ generales, Tit. XXX, nn. 4, 5.)

Pro expositione multarum ex Orationibus Officii cfr. Pichenot, *Les collectes, ou simples homélies sur les oraisons*. Paris, Bray. 1867. — Cfr. etiam quæ de Orationibus pulchre dicit Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900, pag. 53 et 66.

Q. 44. *Quænam est præcipua ex Orationibus in Officio divino ? Quid de ea præscribunt Rubricæ ?*

R. I. Præcipua, et quæ a primis Ecclesiæ temporibus in Officio usitata fuit Oratio, est Oratio Dominica *Pater noster*.

In omni supplicatione, seu Litania (de qua dicetur in Quæstione sequenti) semper occurrit. Usus etiam, sed recentior, habet, ut dicatur cum Salutatione Angelica *Ave Maria*, ante Horas, excepto Completorio. — Non dicitur ante Laudes, propter rationem indicandam Q. 50 et Q. 54.

II. « Oratio Dominica *Pater noster*, et Salutatio Angelica *Ave Maria*, semper dicitur secreto ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem *Fratres : Sobrii*, dicto Versu *Adjutorium nostrum*, dicitur tantum *Pater noster*, secreto ; et in fine Completorii, statim post Orationem

beatæ Mariæ, dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo*, totum similiter secreto. Finitis Horis, et dicto Versu *Fidelium animæ*, dicitur similiter secreto *Pater noster* tantum, nisi alia Hora subsequatur : tunc enim dicitur semel tantum *Pater noster*, cum *Ave Maria*, pro principio sequentis Horæ ; qua finita, dicitur *Pater noster*, ita ut semper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem post Vesperas immediate sequatur Completorium, dicto *Fidelium animæ*, incipitur Versus *Jube domne benedicere.* »

« Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clara voce *Et ne nos inducas*, semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba *Pater noster*, ut in Precibus, et similibus ; alias numquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes vero et Vesperas, quando in feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario. » (Rubricæ generales, Tit. XXXII, nn. 1 et 2.)

Notare juvat quod in Oratione Dominica post *Sed libera nos a malo* additur *Amen*, quando Oratio dicitur tota secreto, ut ante et post Horas, et in initio Completorii ; quando vero dicitur clara voce, vel in toto vel in parte, infra Horas, semper dicitur sine voce *Amen*.

Salutatio Angelica *Ave Maria*, et Symbolum *Credo*, semper dicuntur cum voce *Amen* in fine.

§ 2. Preces

Q. 45. *Quid intelligitur nomine Precum ? Quomodo distinguuntur ?*

R. 1. Nomine Precum intelliguntur quidam Versiculi (℣.) cum suis Responsoriis (℟.), qui certis diebus in Officio dicuntur ante Orationem, incipientes ab invocatione divinæ misericordiæ per supplicationem *Kyrie eleison*, seu *Domine miserere*.

A S. Benedicto († 543) vocantur « supplicatio Litaniæ » ; sunt enim quasi reliquiæ antiquæ Litaniæ, quæ a primis temporibus semper dicebatur ante Orationem ; et vetustissimus earum usus ex eo quidem probatur, quod primæ supplicationes, *Kyrie eleison*, retentæ fuerint uti vestigium illius linguæ, nempe græcæ, quæ usque ad sæculum tertium liturgica lingua fuit. (Cfr.

Cabrol, *Le livre de la prière antique*, pag. 47 et 69.) Quas hodie Preces ad Laudes et Vesperas in Officio feriali dicimus jam tales invenire est in Officiis sæculi VII.

II. Distinguuntur Preces Dominicales, et Feriales.

Dominicales dicuntur ad Primam tantum et ad Completorium, quando non celebrantur Festa duplicia eorumque Octavæ ; exceptis Vigilia Epiphaniæ, necnon Feria sexta et Sabbato post Octavam Ascensionis, in quibus, licet Officium sit tantum semiduplex, tamen non dicuntur.— Indicant istæ Preces humilitatem quæ in principio et in exitu diei maxime convenit.

Feriales, quæ etiam **flebiles** dicuntur, recitantur in Officiis dierum pœnitentiæ vel jejuniorum, quales sunt Feriæ Adventus et Quadragesimæ, Quatuor Tempora (exceptis Quatuor Temporibus Pentecostes), et Vigiliæ in quibus jejunium præscribitur (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes) ; recitantur ad Vesperas, ad Completorium, ad Laudes et ad omnes Horas diurnas ; et flexis genibus, quia his diebus majora humilitatis signa ostendere debemus.

Preces feriales numquam, uti ex dictis patet, dici possunt in Dominicis diebus ; ad illas distinguendum a prioribus, istæ vocatæ fuerunt Dominicales, utpote quæ solæ in Dominicis diebus dicuntur, licet etiam aliquando recitentur in diebus per Hebdomadam.

In Rubricis generalibus (Tit. XXXIV) magis determinate exponitur quando tum Dominicales, tum Feriales Preces dici debent.

Nota. I. Rubrica præscribit Preces Feriales dicendas esse flexis genibus : præscriptum hoc intelligendum est pro Officio quod in Choro dicitur, non autem pro privata recitatione, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 41, antiq. 4669, ad 44). Ubi vero genuum flexio in privata recitatione commode potest observari, convenire dicunt auctores ut tunc etiam Rubrica servetur.

Nota. II. Preces feriales aliquando dicendæ sunt ad Laudes. Rubrica (Tit. XXXIV, n. 5) loquitur etiam de Precibus his dicendis « ad Matutinum » ; sed per Matutinum hic intelligendæ sunt Laudes ; et etiamsi Matutinum proprie dictum separetur a Laudibus, eo dicto, ante Orationem non debent dici Preces ; etenim ad dubium : « Num Preces, quæ flexis genibus ad omnes Horas in Feriis pœnitentialibus dicuntur, pariter in fine Matutini, quando separatur a Laudibus, sunt addendæ ? » S. Ri-

tuum Congregatio rescribendum censuit: « Negative. » (Decret. 27 Januarii 1899, n. 4011, ad 1.)

§ 3. Commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum

Q. 46. *Quid intelligis nomine Commemorationum communium, seu Suffragiorum? In quibus Officiis omittuntur?*

R. I. Commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum sunt preces (Antiphonæ, Versus et Orationes), quæ dicuntur in Laudibus et Vesperis, post Orationem propriam diei, et Commemorationes speciales Dominicæ, vel Festi, vel Feriæ, vel Vigiliæ, in Kalendario seu Directorio declaratas. Sunt de Cruce, de S. Maria, de S. Joseph, de SS. Apostolis Petro et Paulo, de Patrono vel Titulo Ecclesiæ, et de Pace. Dicuntur de S. Maria et de SS. Petro et Paulo, tamquam Patronis totius Ecclesiæ; item ab anno 1871 de S. Joseph, postquam illum Pius IX, votis et precibus annuens totius catholici orbis, universalis Ecclesiæ Patronum declaravit; de S. Patrono vel Titulo Ecclesiæ propriæ, tamquam particulari protectore.

Suffragia hæc introducta fuerunt in Officio primum a monachis Galliæ ; in Romano Officio non dicta fuerunt ante sæculum XI, et prima eorum mentio occurrit in Tractatu qui vocatur « Micrologus », et conscriptus fuit a quodam monacho Bernoldo de Constantia († 1100).

Vocantur **Commemorationes Sanctorum**, quia ad recolendum et commemorandum eorum sanctitatis meritum sunt institutæ ; **communes**, quia non uni aut alteri Officio sunt particulares, verum cuilibet Officio ordinis infra determinandi communes. Dicuntur etiam **Suffragia Sanctorum**, quia ad Sanctos eas dirigimus, ad exposcendum et impetrandum eorum nobis salutare patrocinium.

II. Quo digniora sunt Festa, vel quo majoris momenti Mysteria alicui Tempori propria, eo magis mens et intentio in iis solis inhæret, cæteraque communiora ab iis seponit ; unde minor numerus Orationum in Officio divino respondet majoris Festi seu Solemnitatis, vel præstantioris Mysterii celebrationi.

Ideo Suffragia prædicta **omittuntur** in quibusdam anni Temporibus, et in quibusdam Festis.

A) **In quibusdam anni temporibus** ; scilicet :

1° **Ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ** omittuntur : Commemoratio de Cruce, quia Mysterium Nativitatis Domini unice intenditur ; — Suffragia Sanctorum, ne ante Christum natum videamur implorare patrocinium eorum, quos Christus adventu suo gratia et sanctitate donavit ; — de Pace, quæ ante Christi Nativitatem minime exstabat.

2° **A Dominica Passionis usque ad Octavam Pentecostes** eædem omittuntur Commemorationes, ut Christo patienti tamquam præcipuo exemplari unice intendamus, et spem nostram ad Christi resurgentis et gloriosi singulare refugium et patrocinium elevemus. Attamen ad recolendum Crucis victoriam, ex qua Resurrectionis gloria exorta est, tempore Paschali fit specialis quædam et sola S. Crucis Commemoratio.

B) **In quibusdam Festis** ; scilicet :

1° In quocumque **Officio quod majus est feriali**, itaque in quocumque Festo etiam Simplici, et in Dominicis extra tempus Paschale, omittitur Commemoratio de Cruce.

2° In quocumque **Festo duplici et infra Octavas Festorum**, etiamsi de Dominica vel Semiduplici infra eas fiat, omittuntur omnes Commemorationes communes.

Nota. Quando dicuntur Officia votiva de S. Joseph, Sponso B. M. V., feria quarta, vel de Immaculata Conceptione B. M. V. ritu semiduplici, in quibusdam Sabbatis, omittitur respective Commemoratio communis vel de S. Joseph, vel de B. Maria V., cujus dicitur Officium (cfr. Q. 154). Hoc autem non obtinet pro Commemoratione communi SS. Apostolorum Petri et Pauli, quando feria tertia recitatur Officium votivum omnium Sanctorum Apostolorum ; hanc enim non debere omitti declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

Item notat Rubrica (Tit. XXXV, n. 2) quod tempore Paschali Commemoratio de Cruce, huic tempori propria, non dicitur in Officio votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, neque in Officio votivo de Passione Domini.

In tertia parte Tractatus dicetur speciatim de regulis servandis pro Commemoratione communi de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ (QQ. 229, 230, 231).

§ 4. Antiphonæ B. Mariæ V. in fine Officii

Q. 47. *Quænam, et quibus anni temporibus dicuntur in fine Officii Antiphonæ B. Mariæ Virginis?*

R. Quatuor recensentur finales **Antiphonæ**, ad laudem B. Mariæ V. in fine Horarum canonicarum pro temporis diversitate dicendæ :

1° *Alma Redemptoris Mater*, quæ dicitur a Vesperis Sabbati ante Dominicam I Adventus usque ad Vesperas inclusive diei 2 Februarii ; cum diversis Versu et Oratione tum per Adventum, tum a primis Vesperis Nativitatis Domini.

2° *Ave Regina cœlorum*, dicta a Completorio diei 2 Februarii, etiam quando Festum Purificationis B. Mariæ V. transfertur, aut cum Octava celebratur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Januarii 1693, n. 1890, ad 3, antiq. 3301, ad 6.) Dicitur autem hæc Antiphona usque ad Completorium inclusive Feriæ IV majoris Hebdomadæ.

3° *Regina cœli*, dicta a Completorio Sabbati sancti usque ad Nonam inclusive Sabbati post Pentecosten.

4° *Salve Regina*, quæ dicitur a primis Vesperis Festi SS. Trinitatis in Sabbato post Pentecosten usque ad Nonam inclusive Sabbati ante Dominicam I Adventus.

Quatuor istæ Antiphonæ tantum sunt divini Officii additamenta quædam, sero in Breviarium Romanum invecta ; etenim in eo non reperiuntur ante sæculum XVI ; verum apud Franciscanos et quosdam etiam Monachos in usu erant a sæculo XIII, sed post Completorium tantum ; cujus instituti ratio habetur in sequenti Decreto Capituli generalis Monachorum Angliæ : « Ne serpens versutus, quod vigilantes nequit subvertere, dormientes nocturne illudat, opus esse censemus, ante somnum ejus implorare suffragium, per quam exstitit caput ipsius serpentis contritum ; hinc est quod statuimus, ut singulis diebus statim post Completorium in honorem B. Mariæ V. una cum Choro cantetur Antiphona ; post quam sequatur de ea Oratio. »

Versus et Oratio quæ recitantur post Commemorationem S. Mariæ in Suffragiis, a Nativitate usque ad Purificationem, eadem sunt quam Versus et Oratio quæ dicuntur post Antipho-

nam *Alma*, a Nativitate usque ad Purificationem. Ex eo quod Antiphona hæc finalis Officii non reputetur tamquam ipsius Officii pars, sed tamquam additamentum, ut supra dictum fuit, intelligi potest quare Ecclesia non præscripserit mutationem aliquam faciendam. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 445.)

De auctoribus istarum Antiphonarum dici possunt sequentia : *Alma Redemptoris Mater* tribuitur a multis, sed, ut videtur, minus recte, Hermanno Contracto, monacho Benedictino in Reichenau († 1054) ; — *Ave Regina Cœlorum* habet innominatum auctorem ; — de Antiphona *Regina cœli* traditur ab Angelis eam fuisse compositam, eique additum a S. Gregorio Magno postremum versiculum : *Ora pro nobis Deum*, occasione processionis Romæ institutæ tempore Paschali contra pestis luem ; in Antiphonario Basilicæ S. Petri Romæ, sæculi XII, describitur jam *Regina cœli* tamquam una ex Antiphonis in Vesperis Paschæ ; — *Salve Regina* Hermanno Contracto, de quo supra, tribuitur, ejusque usus mire propagatus fuit a S. Bernardo ; relatum est in Chronico Spirensi, S. Bernardum Sedis Apostolicæ ad Germanos Legatum, dum quadam die hæc Antiphona recitaretur in ecclesia Spirensi, genua flexisse, et ultima addidisse verba : *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.*

Q. 48. *In quibus Horis debent dici istæ Antiphonæ, et quo corporis situ ?*

R. I. Istæ Antiphonæ debent dici : A) extra Chorum : 1° in fine Completorii ; 2° « in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium ; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ » ; B) in Choro « semper dicuntur quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro. » (Rubricæ generales, Tit. XXXVI, n. 2.)

Post Completorium semper et in omni casu dicuntur istæ Antiphonæ, etiamsi statim post Completorium diceretur Matutinum sequentis diei ; præterquam Feria V in Cœna Domini, et Feria VI in Parasceve, quia tunc Completorium terminatur per Orationem : *Respice, quæsumus etc.* ; — post alias Horas autem, earum recitatio omittitur, tum in Triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha ; tum quando subsequuntur cum Officio diei vel Officium Defunctorum, vel Septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ ; et etiam quando post aliquam Horam in Choro immediate subsequitur Missæ conventualis celebratio.

II. In Choro dicuntur stando, ob memoriam Resur-

rectionis Domini : 1° toto tempore Paschali ; 2° extra tempus Paschale a Vesperis Sabbati, etiam cum in Quadragesima ante meridiem persolvuntur, aut cum post Vesperarum tempus Officium Sabbati adhuc recitatur, usque ad occasum solis diei Dominicæ, etiam si recitaretur ante occasum solis Matutinum sequentis Feriæ secundæ ; quia hic ritus servatur non ratione Officii cujuscumque quod intra hoc tempus dicitur, sed potius ratione diei et Officii Dominicæ ; stando enim etiam dicuntur, cum Officium Dominicæ post solis occasum recitatur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Aprilis 1853, n. 3009, ad 8, antiq. 5183, ad 30 ; et 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 42, antiq. 4669, ad 45.) — Alias dicuntur semper flexis genibus, quocumque Festo, etiam ex solemnioribus occurrente.

SECTIO II

De singulis Horis canonicis

ARTICULUS I

De Matutino

Q. 49. *Expone variam et successivam disciplinam circa tempus recitationis Matutini.*

R. 1° In Noctis Officio unicus erat priscis temporibus Nocturnus, qui constabat duodecim Psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali Officio et in primo Nocturno Dominicæ dici solet ; sed quia Dominica dies tota Deo colendo atque laudando sacra esse debet, cœperunt monachi noctem quæ Dominicam præcedit orando etiam transigere, et tribus diversis noctis temporibus seu horis Dei laudes cantare, quæ res nostros tres Dominicæ Nocturnos profecto demonstrat. — Non solum autem Dominicis diebus, sed etiam præcipuis anni Festis, noctis Officium in tres Nocturnos dividebatur ; sed hæc Festa olim exiguo erant numero, et idcirco trium Nocturnorum Officia minus frequentia. — Igitur, quibus diebus opus facere non licebat, Dominicis scilicet et Festis, tribus diversis noctis horis, con-

tra vero reliquis diebus quibus opus faciebant, semel tantum per noctem orabant monachi.

2° Postea, tepescente fervore, et quum nimis arduum visum fuit tribus per noctem vicibus assurgere, Nocturni non amplius separatim, ut antea, sed continuate, una cum Laudibus, decantari cœperunt media nocte.

3° At, cum nec onus illud media nocte surgendi clerus toleraret, concessum fuit ut ultima noctis vigilia antelucana seu matutina, clerici ad Nocturnos cum Laudibus recitandum convenirent.

4° Hodiedum, extra Ecclesias regularium, inducta est consuetudo in Choro dicendi Matutinum cum Laudibus ab initio crepusculi matutini ad ortum solis ; in Commemoratione generali Defunctorum, et in Triduo Sacro majoris Hebdomadæ in diem antecedentem anticipatur juxta præscriptum Cæremonialis Episcoporum. — Pro recitatione privata statuit Rubrica Missalis, ut Matutinum cum Laudibus recitetur a Sacerdotibus ante celebrationem Missæ. (Ritus, Tit. I, n. 1 ; et De Defectibus, Tit. X, n. 1.)

Nota. De privilegio a consuetudine introducto, et ab Ecclesia approbato, Matutinum cum Laudibus in recitatione privata pridie hora Vesperarum recitandi agitur in Theologia, exstatque sequens Decretum S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « Quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei præcedentis ;... namque... non omnium eadem est super hac re sententia ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem, et occasum. Atque ita rescripsit. » (Decret. 16 Martii 1876, n. 3391, antiq. 5653.) — Hoc tempus diei pro variis anni partibus indicatur in Directoriis.

Nota. Aliud ejusdem S. Congregationis Decretum, quo ad quæstionem super satisfactione obligationi responderat consulendos esse probatos auctores (Decret. antiq. 13 Julii 1883, n. 5883, ad 3), e nova Collectionis editione expunctum fuit.

Q. 50. *Quid complectitur Matutinum Officii divini ?*

R. Primitus Matutini nomine appellabatur ea pars

Officii quæ ad auroram incipiente luce dicebatur; quam nos hodie Laudes matutinas, seu Laudes vocamus.

Hodie vero Matutini nomine specialiter intelligimus Vigilias nocturnas, ex quo istæ Laudibus summo mane recitatis conjunctæ fuerunt, ut in Q. 49 expositum fuit.

Dissident auctores, an Vigiliæ nocturnæ, quæ nomine nunc Matutini veniunt, sint Hora canonica distincta a Laudibus : rem inspiciendo secundum propriam naturam et institutionem, Vigiliæ nocturnæ sunt Hora distincta a Laudibus ; istæ propterea adhuc habent proprium initium, scilicet ℣. *Deus in adjutorium, etc.*

Nunc tamen, juxta Rubricas, Matutinum et Laudes tamquam una Hora inspiciuntur, unde post Nocturnos non indicatur dicenda Oratio, quæ est consuetus terminus Horarum ; — et quidem aliquando tamquam una eademque Hora expresse designantur ; ita, ex. gr., de Precibus legitur in Rubricis generalibus (Tit. XXXIV, n. 5) : « In Vigiliis Preces feriales dicuntur tantum *ad Matutinum*, et per Horas », ubi sub Matutini nomine comprehenduntur etiam Laudes, post quas solas dicuntur Preces. — In communiori appellatione etiam Matutinum intelligitur aggregatum ex Nocturnis et Laudibus.

Q. 51. *Expone ordinem servandum in Introductione ad Matutinum.*

R. « Ad Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundum diversitatem Officii, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur : *Pater noster, Ave Maria, Credo,* omnia secreto : deinde clara voce Hebdomadarius dicit, *Domine labia mea, etc.*, pollice signando sibi os signo Crucis, *Deus in adjutorium, etc.*, manu extensa signando se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dexterum (quod servatur in principio omnium Horarum, cum dicitur *Deus in adjutorium*) cum *Gloria Patri* et aliis, ut in principio Psalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officiis de Tempore, vel de Sancto, quod dicitur cum Psalmo *Venite exsultemus,* eo modo quo in principio Psalterii describitur. Dicto Psalmo, et repetito Invitatorio, dicitur Hymnus,

qui Officio de Tempore, vel de Sancto, convenit. » (Rubricæ generales, Tit. XIII, n. 1.)

Q. 52. *Unde originem habet Invitatorium Matutini ?*

R. Invitatorium, quo nomine indicatur Versus, qui est quasi hortatio, seu signum quo Ecclesia filios suos ad Officium vocat, originem habet a monachis, qui ad surgendum pro Officio nocturno excitabantur verbis : *Venite adoremus*, desumptis ex Psalmo 94 : *Venite exsultemus* ; inde jam a sæculo VII nomen habuit « responsorii hortationis ».

Hac ratione Officio additus fuit iste Psalmus, repetito ad binos ejus versus ex toto aut ex parte Invitatorio. Igitur non constituunt hic verba illa repetita Antiphonam proprie dictam, sed Versum qui vocatur acrostichon. (Cfr. Q. 24.)

Jam ab initio Officii Invitatorium excitat ad devotionem determinatam per characterem Temporis vel Festi, ex. gr., *Regem venturum Dominum, — Christum pro nobis passum, — Regem Confessorum Dominum, venite adoremus.*

Psalmus *Venite exsultemus* terminatur, sicut et omnes Psalmi, per ℣. *Gloria Patri, etc.*, quo dicto, repetitur pars Invitatorii, et dein totum Invitatorium ; ex. gr., *Gloria... sæculorum. Amen. Venite adoremus. Regem Confessorum Dominum, * Venite adoremus.* — Speciale aliquid notandum hic venit pro Officiis de tempore Passionis, Dominica Passionis scilicet, et sequentibus diebus, nisi occurrat Officium de Festo, usque ad Feriam V in Cœna Domini exclusive ; etenim in Officio de tempore Passionis, in fine Psalmi *Venite exsultemus* non dicitur *Gloria Patri* ; attamen, ait Rubrica specialis hujus temporis, « repetitur Invitatorium, ut alias, in fine. » Itaque, dicto integro Invitatorio post versum *Quadraginta annis, etc.*, quemadmodum semper fit, statim, omisso *Gloria Patri*, et omissa parte Invitatorii quæ alias post *Gloria Patri* dicitur, repetitur Invitatorium integrum ; nempe, dicto versu Psalmi *Quadraginta annis, etc.*, statim bis dicitur : *Hodie si vocem Domini audieritis, * Nolite obdurare corda vestra ;* et nihil aliud.

Q. 53. *Describe ritum servandum in recitatione Nocturnorum.*

R. A) **In Officiis novem Lectionum** : « In Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis et Versibus, quæ Tempori, vel Festo conveniunt, et totidem Lectiones cum octo Responsoriis, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur, per tres Nocturnos distinctos, hoc modo. »

« In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona », quæ in Duplicibus etiam ante singulos Psalmos integra dicitur, in Semiduplicibus vero in principio Psalmi inchoatur tantum ; « sed tempore Paschali, id est, a Dominica in Albis usque ad Pentecosten (præterquam in Officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona : et in fine Psalmorum post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus; postea *Pater noster*, *Et ne nos*, Absolutio *Exaudi*, Benedictio *Benedictione perpetua*, et aliæ ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu » vel in principio Breviarii ante Psalterium « ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurrunt (nisi aliæ assignentur), et ad singulas Lectiones dicitur unum Responsorium conveniens Officio : si de Tempore, ut in Proprio Temporis : si de Sancto, ut in Proprio Sanctorum ; alioquin ut in Communi, etiamsi Lectiones primi Nocturni sint de Scriptura Officii de Tempore. »

« In fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii, eo modo quo notatur in tertio Responsorio primæ Dominicæ de Adventu, nisi aliter in propriis locis signetur. »

« In secundo Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, Antiphonæ, Versus, *Pater noster*, Absolutio *Ipsius pietas*, et ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu : tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, et ad quamlibet Lectionem unum Responsorium. »

« In tertio Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, ut supra : post tertiam Antiphonam, Versus, *Pater no-*

ster, Absolutio *A vinculis*, et Benedictiones consequentes ad singulas Lectiones, quæ erunt de Homilia Evangelii de Tempore, vel de Festo, secundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post septimam et octavam Lectionem dicitur Responsorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum : aliquando autem dicitur etiam post nonam Lectionem, ut suis locis notatur : et in fine ultimi Responsorii, aut octavi, aut noni dicitur *Gloria Patri*, ut supra, nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*. »

B) **In Officiis trium Lectionum** : « In Officio trium Lectionum, ad Matutinum *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, *Domine labia*, *etc.*, Invitatorium, et Hymnus in feriali Officio de Feria, si non sint in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio : in Festis, de Festo, ut in Communi Sanctorum : deinde Nocturnum Feriæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, et tempore Paschali cum una Antiphona *Alleluja* : qui dicuntur tam in Officio feriali, quam in Festis Simplicibus. »

« Post Psalmos et Antiphonas dicitur Versus, in feriali Officio, ut in Psalterio : in Festis, ut in Communi Sanctorum : qui in Festis sumitur secundum Ferias ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsoria, ut dicitur in Rubricis de Versibus et Responsoriis. Post Versum dicitur *Pater noster*, Absolutio et Benedictiones, ut habetur in Rubrica de Absolutionibus et Benedictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singulæ in Officio feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore : si adsit Homilia, singulæ tres de Homilia. In Festis, prima et secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquæ de Sancto. »

« Post singulas Lectiones in Feriis extra tempus Paschale dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsoria : tempore vero Paschali, et in Festis, duo tantum Responsoria dicuntur, scilicet post primam et secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorii, secundi scilicet, aut tertii, dicitur *Gloria Patri*, cum

repetitione partis Responsorii, nisi aliud notetur. Quæ Responsoria in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum ; in feriali Officio ex Dominicis, quando propria per Ferias non distribuuntur, ordine descripto in Rubrica de Responsoriis. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem, dicitur Hymnus *Te Deum.* » (Rubricæ generales, Tit. XIII, nn. 2 ad 9.)

Q. 54. *Quomodo terminantur, tum Matutinum cum separatur a Laudibus, tum Nocturni cum separatim dicuntur ?*

R. I. Quando in recitatione privata Matutinum separatur a Laudibus, tunc post Hymnum *Te Deum*, aut post ultimum Matutini Responsorium si *Te Deum* non dicitur, statim additur ℣. *Dominus vobiscum*, ℟. *Et cum spiritu tuo*, et Oratio Officii propria, sine ulla Commemoratione ; qua dicta, adjunguntur Versus *Dominus vobiscum, Benedicamus Domino, Fidelium animæ etc.*, cum suis Responsis, et nihil amplius. *Pater noster* non debet addi. — Cum postea dicuntur Laudes, præmitti non debent *Pater noster* et *Ave Maria*, sed statim dicitur ℣. *Deus in adjutorium etc.*, ut in Psalterio.

Prædicta probantur, tum ex speciali Rubrica Breviarii in Officio Nativitatis Domini, tum ex sequentibus S. Rituum Congregationis Decretis :

1. Ad dubium : « Si contingat in recitatione privata, separari Matutinum a Laudibus, quæritur quomodo concludendum sit Matutinum, præsertim in feriis majoribus, in quibus preces flexis genibus addendæ sunt ad omnes Horas ? et quomodo inchoandæ sint Laudes? » S. Congregatio rescribere rata est : « Matutinum in casu concludendum Oratione de Officio diei ; Laudes autem inchoandas ut in Psalterio. » (Decret. 18 Martii 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 2.)

2. « A Sacra Rituum Congregatione quum exquisitum fuerit an quoties in privata recitatione separentur Laudes a Matutino, hoc semper concludendum sit post respectivam Orationem, per ℣. *Dominus vobiscum*, ℣. *Benedicamus Domino* et ℣. *Fidelium animæ, etc.* Et Sacra Rituum Congregatio respondit : Affirmative. » (Decr. 1 Februarii 1886, n. 3653, antiq. 5961.)

Nota. I. Non inutile erit animadvertere, quod hoc ultimum Decretum aliquantum immutatum fuit : in præcedente enim Collectionis editione ad propositum dubium adjuncta reperire est verba : « nec non cum *Pater noster*, juxta sententiam, quam tenet S. Alphonsus de Ligorio in suo opere Theol. Mor. Lib. IV, Art. IV, n. 167. » Hæc autem in recenti editione expuncta fuerunt. — Cfr. Ephemerides Liturgicæ (XIII, 1899, pag. 681), quæ varias exponunt rationes quare *Pater noster* in casu non sit addendum.

Nota. II. Quando Matutinum separatur a Laudibus, tunc Preces feriales in Feriis pœnitentialibus dicendæ ad Laudes, non sunt addendæ in fine Matutini. (Cfr. Q. 45, Nota II.)

II. Quid sit faciendum cum Nocturnus ob aliquam causam separetur a Nocturno, non constat ex Rubricis aut Decretis. Auctores quidam dicunt quod in casu apposite admodum dicentur post Nocturnum ea omnia quæ supra tradita fuerunt dicenda, cum Laudes a Matutino separantur, nempe Oratio Officii diei cum suis adjunctis ; attamen nulla lege constat id esse urgendum. Sequens Nocturnus vero incipietur absolute per Antiphonam, nihil præmisso.

Nota. Prædicta de separatione Laudum a Matutino referuntur tantum ad recitationem privatam, ut in initio responsi dictum fuit ; nam in Choro Laudes a Matutino numquam sejungi possunt ; etenim Rubrica Breviarii (Tit. XXXI, n. 4) dicit quod post Matutinum « statim inchoantur Laudes, præterquam in Nocte Nativitatis Domini » ; in ea enim post Hymnum *Te Deum* dicitur Oratio, et dicto *Benedicamus Domino* celebratur prima Missa post mediam noctem ; qua finita dicuntur Laudes. Præter hanc unicam exceptionem, nulla admittitur.

Placet sequentia e quodam S. Rituum Congregationis Decreto describere, relative ad separationem Matutini a Laudibus in Choro : Superior Societatis Presbyterorum SS. Sacramenti postulavit « ut liceat suæ Societatis Alumnis in Choro recitationem Matutini a Laudibus sejungere, ita ut Matutinum anticipetur pridie primis vespertinis horis, et Laudes recitentur summo mane ; quum Alumnis suis media nocte surgere ad Matutinum cum Laudibus recitandum impossibile sit, dum quisque ad adorationem faciendam perdurante nocte per turnum surgere debet. » S. Congregatio ad postulatum rescripsit : « Negative. » (Decret. 11 Martii 1871, n. 3241, antiq. 5476.)

ARTICULUS II

De Laudibus

Q. 55. *Describe ritum servandum in dicendis Laudibus.*

R. « Ad Laudes, dicto Hymno *Te Deum*, vel ultimo Responsorio, Hebdomadarius absolute dicit : *Deus in adjutorium, etc.*, ut supra, et dicuntur Psalmi, et Canticum *Benedicite*, vel aliud, ut habetur in feriali Officio, extra tempus Paschale, cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Psalmi et Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive) et in feriali Officio temporis Paschalis, ac in Festis tam novem, quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In prædictis vero Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali Officio per annum, extra tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio. »

« Antiphonæ in Dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In Festis novem et trium Lectionum, si non adsint propriæ, dicuntur de Communi. Post Psalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum *Benedictus*, cum eodem Cantico, et Oratio : omnia pro qualitate Officii de Tempore, vel de Festo. »

« Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem. Commemorationes vero de Cruce, de sancta Maria, de sancto Joseph, de Apostolis, de Patrono et de Pace, similiter quando dicendæ sunt, dicuntur post Orationem, nisi alia commemoratio Festi Simplicis vel ad instar Simplicis occurrat, quæ semper prædictas commemorationes præcedit, de quibus in propriis Rubricis dicitur. »

« Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum*, et *Oremus* ; post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum* ; deinde, *Benedicamus Domino*, et Versus *Fidelium animæ, Pater noster, Dominus det nobis suam pacem*, et Antiphona beatæ Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a Choro : alioquin in fine

ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, ut in propria Rubrica dicetur. » (Rubricæ generales, Tit. XIV, nn. 1 ad 4.)

Q. 56. *Quisnam est Ecclesiæ finis in dicendis Laudibus ?*

R. Laudes sunt expressio summæ admirationis Dei, et jubili Ecclesiæ militantis et triumphantis ; quæ exprimuntur nascente die, quando aurora lucescit, eamque gallus cantu nuntiat. In Dominicis motiva laudandi Deum sunt : Creatio terræ (Ps. 92, *Dominus regnavit*) ; cognitio Dei Creatoris (Ps. 99, *Jubilate*) ; redemptio hominum e misera conditione expressa in Ps. 62, *Deus, Deus meus* ; et gaudium ex redemptione facta (Ps. 66, *Deus misereatur*) ; unde invitantur ad laudandum Deum, in sequentibus Cantico *Benedicite*, et Psalmo 148, *Laudate*, omnes creaturæ in cœlo et in terra, ac in Psalmis 149, *Cantate*, et 150, *Laudate*, Ecclesia triumphans Angelorum et Sanctorum. Tandem dicitur Canticum *Benedictus*, quocum Zacharias advenientem salutavit Salvatorem Orientem ex alto ; ut in principio diei, oriente sole, Ecclesia laudet Dei misericordiam, quam per diem Deus abunde præstabit.

Iidem Psalmi Dominicæ recurrunt, tum in omnibus Feriis temporis Paschalis, tum in omnibus Festis Sanctorum ; in quibus motivum laudis Dei est continuata victoria Salvatoris super peccatum et mortem, quam per Ipsius merita reportant Sancti.

Notandum remanet, quod Laudes quoad ordinem pares sunt Vesperis : in utrisque sunt Psalmi quinque, Capitulum, Hymnus, Canticum Evangelicum, Oratio. Sicuti mane et vespere a Judæis in altare thymiamatis incensum offerebatur, ita apud nos adolentur sacrificia incensi Matutinarum Laudum et Vespertinarum. Utriusque igitur Horæ cum par sit finis, convenit par ordo.

ARTICULUS III

De Prima

Q. 57. *Sub quibus ritibus dicitur Prima ?*

R. Dicitur « ad Primam, *Pater noster, Ave Maria, Credo,*

secreto ; *Deus in adjutorium, etc.*, Hymnus *Jam lucis orto sidere* : deinde inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta prætermissa, » scilicet : ad Primam dicitur Antiphona Laudum prima ; ad Tertiam, secunda ; ad Sextam, tertia ; ad Nonam, quinta ; idem servatur in quibusdam Officiis de Tempore. « Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis et Feriis dicuntur ut in Psalterio. In Festis autem, et tempore Paschali, tres tantum, ut etiam ibi adnotatur. »

Nota. I. Primus Psalmus, qui quotidie in Prima dicitur, est 53, *Deus, in nomine tuo, etc.* Antiquitus post hunc Psalmum dicebantur in Dominicis sex alii Psalmi, quorum retentus fuit pro Officio Dominicæ Ps. 117, *Confitemini* (ob versiculum *Hæc est dies quam fecit Dominus* : innuit enim Resurrectionem Domini, quam dies Dominica commemorat), reliqui quinque fuerunt distributi per Ferias in Officio Feriali, a secunda usque ad sextam Feriam inclusive (nullo addito in Officio Feriali Sabbati). Sequuntur tunc duæ primæ partes Psalmi 118, *Beati immaculati,* de quo dicetur in Quæstione sequenti. Dominicis diebus dein, quando Officium dicitur de Dominica, et etiam in Festo SS. Trinitatis, additur Symbolum *Quicumque.*

Nota. II. Aureum hoc Symbolum et omni præconio commendandum, quod incipit verbo *Quicumque,* superscribitur in Breviario Romano : *Symbolum S. Athanasii* ; non ideo tamen voluit Ecclesia pronuntiare opus hoc esse S. Athanasio († 373) adscribendum.

Duabus constat partibus, quarum prior est Confessio SS. Trinitatis, doctrinam Catholicam exhibens contra Arianos ; opus est sæculi V vel VI, usitatum tunc temporis in Gallia Meridionali, vicina Arianis Visigothis Hispaniæ ; altera pars doctrinam tradens de Mysterio Incarnationis, præcipue contra errores Nestorii et Eutychetis, opus est incerti temporis, sed probabilius VII sæculi.

Compositum fuisse videtur pro præparatione ad Baptismum ; sæculo autem IX primum occurrit tamquam pars Officii divini, ad Primam Dominicæ præscriptum ab Haytone, Episcopo Basileensi († 836) ; et sæculo XI in pluribus Ecclesiis Galliarum reperitur non solum diebus Dominicis, sed et quotidie recitatum. Tardius fuit insertum in Breviario Romano.

« Post Antiphonam dicitur Capitulum *Regi sæculorum.* In feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum *Pacem,* deinde Responsorium breve *Christe Fili Dei vivi, etc.* Post Responsorium breve in Officio Duplici, et infra Octavas, statim dicitur Oratio *Domine*

Deus omnipotens. In alio Officio dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus : omnia ut in Psalterio. Ad Versum autem *Adjutorium,* Hebdomadarius signat se signo Crucis a fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor,* omissis illis verbis *Tibi pater,* vel *vobis fratres,* et *Te pater,* vel *vos fratres,* et similiter dicit *Misereatur nostri.... peccatis nostris, perducat nos,* quod etiam servatur ad Completorium. In feriali Officio, quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio. »

« Post Orationem Primæ, vel si dicatur Officium Beatæ Mariæ, post illius Orationem, dicto *Benedicamus,* in Choro legitur Martyrologium : deinde dicitur *Pretiosa* cum reliquis : quæ etiam dicantur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis et aliquibus diebus, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium, alioquin de Communi : alio tempore, tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Psalterio assignata. » (Rubricæ generales, Tit. XV, nn. 1 ad 3.)

Q. 58. *Unde Prima nomen habet, et quot constat hæc Hora canonica partibus ? Explica.*

R. Prima denominatur a prima hora diei post ortum solis, quæ est nostra hora sexta matutina; unde dicitur et est Oratio matutina Ecclesiæ.

Duabus constat partibus : prior pars, seu Prima proprie dicta, vocatur **Officium Chori**, quia in Choro ecclesiæ recitabatur ; hæc per Orationem *Domine Deus omnipotens, etc.* absolvitur. Quæ hanc Orationem sequuntur sunt altera pars, quæ dicitur **Officium Capituli**; quia recitabatur in Capitulo ubi tunc conventus habebatur. Capitulum locus erat claustro contiguus, plerumque versus orientalem plagam ; dicebatur Capitulum, quia ibi inter alia Capitulum Regulæ perlegebatur, quæ res nomen dedit ipsi conventui Monachorum aut Canonicorum.

1° **Officium Chori**, seu Prima proprie dicta, quoad ordinem eodem modo componitur (si excipias numerum Psalmorum in Dominicis et Feriis) quo sequentes Horæ

minores Tertia, Sexta et Nona. — In ea incipit, qui congruenter valde per quatuor minores Horas distribuitur in undecim partibus, quarum singulæ constant duobus octonariis, Psalmus 118, *Beati immaculati in via*; continet enim iste sub diversissimis formis propositum sequendi divina mandata : amor vero et exercitatio mandatorum Dei est obligatio nostra ad singulas horas et ad singula momenta diei.

Quia vero Prima tamquam Oratio matutina habetur, ejus, qua absolvitur, Oratio ei propria est, et per totum annum quotidie eadem recitatur : continet autem hæc in compendiosa sua brevitate omnes conditiones bonæ Orationis matutinæ ; scilicet : ante omnia exprimitur gratiarum actio pro beneficio diei novæ a Deo accepto : *Domine.., qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti* ; dein supplicatio divini auxilii pro recto usu diei concessæ : *tua nos hodie salva virtute* ; tandem propositum cum auxilio gratiæ divinæ peccatum vitandi, et omnes facultates animæ et corporis ad exercitium justitiæ et virtutis consecrandi : *ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra proccdant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.*

Quod officium Chori, seu Prima proprie dicta, terminetur Oratione *Domine Deus*, etiam hodiedum patet ex speciali Rubrica quæ in Psalterio ponitur immediate post hanc Orationem, scilicet : « Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de beata Maria, præponitur lectioni Martyrologii. » Rubrica igitur statuit, quod prædictæ Orationi statim subnectitur Prima beatæ Mariæ, illis diebus in quibus præter Officium præcipuum diei etiam recitari debebat antiquitus Officium parvum B. Mariæ V. ; verum numquam in usu est, interponere Officium Officio, sed tantum post terminatam Horam dicitur respectiva Hora parvi Officii ; ergo ex hac Rubrica merito concluditur Primam hic terminari pro ea parte quæ in Choro antiquitus recitabatur.

2° Officium Capituli, dictum in Capitulo ad quod e Choro se conferebant bini et bini Monachi, tribus constat partibus :

1° Legitur Martyrologium, seu annuntiantur Sancti,

quorum Festa crastino die celebrantur, et sub ejus lectionis finem dicitur ℣. *Pretiosa*. Sequebatur antiquitus Oratio : *Ipsi et omnes Sancti, etc.* ; ut autem major veneratio exhiberetur B. Virgini Mariæ, jam inde a sæculo undecimo, primo loco eam in Officio appellari visum fuit, et prædictæ Orationi adjectum fuit : *Sancta Maria et omnes Sancti, etc.* — Ideo autem voluit Ecclesia singulis diebus legi Martyrologium, ut Sanctorum actus imitemur, quorum exempla admiramur.

2° Succedebat operis distributio singulis quibusque Monachis. Sub ea recitabant preces, quæ incipiunt a ℣. *Deus in adjutorium, etc.* ter repetito, ut in nomine SS. Trinitatis armemur contra diabolum, mundum et carnem, et desinunt ad orationem *Dirigere* ; istis precibus auxilium divinum et pura intentio in omnibus cogitationibus, verbis et operibus petuntur.

3° Ad Absolutionem seu finem Officii Capituli legebatur et exponebatur Capitulum Regulæ Ordinis. Huic lectioni substituta fuit in Breviario Romano *Lectio brevis*, a lectore dicenda consueto Lectionum ritu. Quo facto terminabatur congregatio benedictione a Præposito data : Præpositus primum fatetur quod omne adjutorium nostrum sit in nomine Domini ; deinde per invitationem *Benedicite*, exprimit omnium votum pro impetratione benedictionis divinæ ; vel, omnes excitat ut Domino benedicant. Chorus huic invitationi respondet *Deus*, id est, « Deus benedicat » ; quo dicto, Præpositus dat omnibus, dum Cruce se signant, benedictionem ; simulque requiem defunctis adprecatur.

Hæc defunctorum in fine Primæ commemoratio vestigium est antiquissimæ consuetudinis, juxta quam in Capitulo post Martyrologium legebatur Necrologium, eorum videlicet nomina defunctorum fratrum, amicorum, benefactorum, insigniorumque virorum, qui de Ecclesia bene meriti erant ; horum nomina primum in Dyptichis, deinde in Codice quem Necrologium vocabant, pro eorum commemoratione facienda inscripta erant.

ARTICULUS IV

De Tertia, Sexta et Nona

Q. 59. *Quomodo recitantur Horæ parvæ, Tertia, Sexta et Nona ?*

R. « Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, ante singulas Horas dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, Hymnus, et Psalmi, ut in Psalterio : Antiphonæ secundum Officii qualitatem ; » in Festis sumitur ex Laudibus secunda Antiphona ad Tertiam, tertia ad Sextam, quinta ad Nonam ; in reliquis Officiis Antiphonæ propriæ indicantur in Breviario. « Dictis Psalmis et Antiphona, dicitur Capitulum et Responsorium breve pro qualitate Officii : quæ in Dominicis, et Feriis, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio : in Festis, si in Proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi. Post Responsorium breve dicitur *Dominus vobiscum*, et Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore : si autem fit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum : alioquin ut in Communi. »

« Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, et dicitur *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ*, et *Pater noster*, secreto, ut in Rubrica de Oratione Dominica explicatur. » (Rubricæ generales, Tit. XVI, nn. 1, 2.)

Q. 60. *Expone quos fines Ecclesia in his Horis præcipue intendit.*

R. Prænotato, quod Horæ istæ, dictæ parvæ, sunt omnium brevissimæ, eo quod dicendæ veniant eo tempore, quod principaliter occupationibus diurnis destinatur, respondetur, quod Ecclesia intendit per istas Horas proponere acquisitionem virtutum præcipuarum, quæ objectum sunt et finis mandatorum Dei (quorum laus est in Psalmo 118, qui per Horas dicitur), scilicet 1° amoris Dei ; 2° amoris proximi, insimul et 3° perseverantiæ usque ad felicem terminum.

1° **Amor Dei** intenditur in Hora Tertia, quæ supponitur dici nostra hora nona in mane. Etenim Hymnus qui quotidie dicitur : *Nunc sancte nobis Spiritus*, et in

Octava Pentecostes : *Veni, Creator Spiritus,* est Oratio ad Spiritum sanctum, ut super orantes descendere, et in eis ignem sancti amoris et zeli accendere dignetur : *Flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.* Ideo vero sanctus Spiritus in Tertia præcipue invocatur, quia hac hora super Apostolos descendit.

Fructus præcipuus sancti Spiritus, amor scilicet Dei, iterum exprimitur in Capitulo, in Officio Dominicæ communis, quod est : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* (I Joan. IV, 16.)

2° **Amor proximi** intenditur in Hora Sexta, in meridie seu medio diei recitata. Etenim Hymnus hujus Horæ supplicat pro pace et concordia hominum inter se : *Exstingue flammas litium... Confer... veram pacem cordium.* In Capitulo vero Officii Dominicæ communis proponitur, quid pro acquisitione supplicatæ pacis et concordiæ necessarium sit : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* (Gal. VI, 2.)

3° Finis Horæ **Nonæ**, quæ supponitur dici in nostra decima quinta, seu tertia hora post meridiem, est impetratio **perseverantiæ**; ut, sicuti attingitur terminus diei, ita et attingi possit felix terminus æternæ beatitudinis : *Largire lumen vespere, quo vita nusquam decidat ; sed præmium mortis sacræ perennis instet gloria.* In Capitulo Officii per annum celebratur nostra cum Christo Domino unio, cujus meritis acquirere possumus æternam beatitudinem : *Empti enim estis pretio magno* ; deinde exprimitur etiam medium perseverantiæ et beatitudinis acquirendæ : *glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. VI, 20) : etenim imitando Christum per perfectum amorem Dei et proximi, adimplemus obligationem non solum singulæ diei, sed et totius vitæ, et præparamus nostram glorificationem in cœlo.

ARTICULUS V

De Vesperis

Q. 61. *Quo ritu dicuntur Vesperæ ?*

R. Dicitur ▪ ad Vesperas, *Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium, etc.* Deinde dicuntur quinque Psalmi

cum quinque Antiphonis, ut in Proprio, aut Communi Sanctorum signantur. In Dominicis autem, et Feriis, Antiphonæ et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona *Alleluja*), nisi aliæ propriæ Antiphonæ vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus, et triduo ante Pascha) assignentur. »

« Post Psalmos et Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad *Magnificat* cum eodem Cantico ; et Oratio ; omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii. »

« Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante Orationem ; Commemorationes vero de Cruce, S. Maria, S. Joseph, Apostolis, Patrono, et Pace, post Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum, ut in aliis Horis. » (Rubricæ generales, Tit. XVII, nn. 1 ad 3.)

Q. 62. *Quibus nominibus insignita fuit Hora canonica Vesperarum ; quis est Ecclesiæ in ea dicenda finis ; quod fuit antiquitus, et quod est hodie tempus ejus recitationis ?*

R. I. Variis nominibus reperitur hæc Hora inscripta : **Lucernarium**, **Hora lucernaria**, quia sero, et accensis cereis seu lucernis ad pellendas tenebras, recitabatur ; — **Eucharistia** vocatur in regulis S. Basilii, eo quod ad referendas pro beneficiis a Deo per diem acceptis gratias instituta præsertim fuit ; — **Hora duodecima** dicitur in quibusdam regulis, ab hora diei artificialis postrema, qua recitabatur ; — **Vesperæ** potissimum dicta fuit, a sidere quod Vesper vocatur, et decidente sole exoritur.

II. Vesperæ sunt officium gratiarum actionis Deo, pro beneficiis ab Ipso per diem acceptis. Vesperarum officium semper fuit habitum tamquam omnium diei Horarum solemnissimum, respondetque vespertino sacrificio incensi seu thymiamatis, quod Deus a Judæis fieri volebat. In eo dicitur, quod nobilitate magis præstat inter tria Cantica evangelica, *Magnificat*, quo B. Maria celebravit adimpletam promissionem Redemptoris (quem advenientem tantum celebraverat Zacharias Cantico Laudum Matutinarum *Benedictus*), et Ecclesia laudat Dei misericordiam abunde per diem præstitam.

Olim regulariter benedictio post Vesperas dabatur, quod et hodiedum servatur ab Episcopo cum Vesperas ipse peragit, aut Vesperis interest.

III. Supra (in responso ad Q. 20) jam breviter notatum fuit, Vesperas primitus non fuisse Horam distinctam; erant initium quasi Vigiliæ nocturnæ, et speciatim ejus Vigiliæ quæ Sabbatum inter et Dominicam celebrabatur, et cujus prima pars vespere, secunda ad gallicantum, tertia ad solis ortum agebatur.

Tamquam Hora a Matutino distincta reperiuntur Vesperæ sæculo VI in quibusdam ecclesiis Hispaniæ et Galliarum, et apud monachos.

Romæ prioribus sæculis Officium Vesperarum erat privati usus pro fidelibus, et publice persolvendum notatur sæculo VIII tantum, a monachis in Basilica Vaticana; inde computatur ut Hora canonica distincta, et quidem inter præcipuas.

Primitus dicebantur vespere, scilicet, sole recedente, seu ultima diei artificialis hora labente; instituto autem postea Completorio, ad horam diei undecimam, et temporum decursu, adhuc citius anticipatæ fuerunt.

IV. Hodie Vesperæ in Choro cantantur circa nostram horam decimam quintam, seu tertiam post meridiem; in privata recitatione vero dici possunt a meridie usque ad mediam noctem.

Nota. Relative ad horam Vesperarum in Choro describere placet sequens S. Rituum Congregationis Decretum: « Exposuit Cathedrale Capitulum Vicentinum vertente anno 1873 legitime congregatum edixisse ut in propria Ecclesia Vesperæ diebus ferialibus quocumque anni tempore, excepta Quadragesima, persolverentur una post meridiem hora cum tribus quadrantibus. Verum post aliquod tempus nonnullis ex prædictis Canonicis dubium occurrit an innovatio esset conformis spiritui Ecclesiæ; ac apud Episcopum institerunt, ut antiqua praxis redintegraretur. Ipse vero statuit ad S. Rituum Congregationem recurrere; ac ab eadem humiliter exquisivit quid de facta innovatione esset censendum. » S. Congregatio rescribendum censuit: « Innovationem esse improbandam. Atque ita declaravit. » (Decret. 2 Aprilis 1875, n. 3340, antiq. 5593.)

In Officio Feriæ IV Cinerum notatur sequens Rubrica specialis: « Hodie, et duobus sequentibus diebus, dicuntur Vesperæ hora consueta. Sabbato vero et dein-

ceps usque ad Pascha dicuntur ante comestionem, tam in Festis quam in Feriis, exceptis Dominicis in quibus dicuntur hora consueta. » — Hæc Rubrica memoria est antiquæ disciplinæ, juxta quam prioribus sæculis quadragesimale jejunium non solvebatur nisi post Vesperas, sole ad occasum vergente ; sæculo autem decimo quarto anticipata fuit comestio ad meridiem, et ut moris antiqui vestigium aliquod remaneret, invectus etiam exstitit semperque retentus mos anticipandi in Quadragesima Vesperas ante prandium. Hoc autem fit solum a Sabbato ante Dominicam I in Quadragesima, quia ante sæculum nonum Quadragesima ab hac Dominica tantum initium ducebat.

Nota. I. Quando Vesperæ in aliqua Ecclesia, ubi non adest Chori obligatio, tempore Quadragesimæ, infra hebdomadam in aliquo Festo cum apparatu externo persolvuntur, seu cantantur, ibi etiam observari debet hæc Rubrica de Vesperis ante comestionem dicendis. Etenim ad dubium : « In Ecclesiis parochialibus ubi non adest Chori obligatio, tempore Quadragesimali, in Festo S. Joseph vel aliorum Sanctorum possuntne cantari Vesperæ post comestionem, seu post meridiem ad populi devotionem fovendam ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Negative. » (Decret. 29 Aprilis 1887, n. 3675, antiq. 5983, ad 2.)

Nota. II. S. Rituum Congregatio declaravit quod in aliquo Festo intra Quadragesimam occurrente licet, ubi non existit obligatio Chori, cantare statim post Missam Vesperas Festivitatis. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3574, antiq. 5871, Dub. II.) Profecto supponit S. Congregatio hanc Missam celebratam hora convenienti. — In Ecclesiis Choralibus, ubi communiter tertia incipitur circa horam nostram nonam, Vesperæ dicuntur circa decimam.

Nota. III. Hæc Rubrica specialis de Vesperis ante comestionem dicendis sine dubio obligat pro Choro ; obligat etiam in quacumque Ecclesia ubi Vesperæ cantantur in aliquo Festo. Pro recitatione privata nulla exstat lex, nisi dicas sufficere legem Rubricæ non distinguentis. — Multi auctores dicunt hujus Rubricæ observationem pro recitatione privata non esse de præcepto, sed laudabile esse, convenire, pro majori conformitate eam observare.

Q. 63. *Unde habentur, et quomodo distinguuntur Vesperæ primæ et secundæ ?*

R. I. Ad imitationem Judæorum qui Festorum initium ducebant a vespere (*a vespera usque ad vesperam*), Ecclesia Festa sua a vespere diei præcedentis incipit,

et omnibus Festis novem lectionum duas tribuit Vesperas, primas et secundas.

Duas Vesperas ejusdem Officii peragere antiquitus in usu non erat, et vetus Officium Romanum solum indicat Vesperas ad initium Officii. Micrologus (sæculo XI) duas Vesperas admittere videtur; sed potius dicendum est Vesperas secundas fuisse introductas ad finem sæculi XII, occasione reformationis Officii divini tempore Innocentii III († 1216).

II. Primæ Vesperæ juxta mentem Ecclesiæ solemnius peraguntur; secundæ vero minus nobiles et solemnes censentur; quare admittuntur in secundis quandoque nonnullæ Commemorationes, quæ a primis abiguntur.

Notari potest hac super re dispositio Cæremonialis Episcoporum, cujus Rubrica maximam solemnitatem requirit pro Vesperis celebratis in Vigiliis plurium majorum Festorum per annum quæ enumerat; imo præscribit Episcopo ut ipse primas Vesperas celebret, si erit Missam solemniter sequenti die celebraturus; dum pro secundis Vesperis dicit, posse ipsas etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis, in die Nativitatis Domini, in Festo Sancti Titularis Ecclesiæ vel Patroni Civitatis. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. I, nn. 2, 3.)

ARTICULUS VI

De Completorio

Q. 64. *Describe ritum Completorii.*

R. « Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio : deinde *Pater noster, Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Converte, Deus in adjutorium,* Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in fine Psalterii; et post Antiphonam in Duplicibus et infra Octavas dicitur Oratio; in alio autem Officio ante Orationem dicitur *Kyrie eleison,* cum reliquis precibus, ut ibidem in Psalterio. »

« Post Versum *Benedicat et custodiat nos, etc.* dicitur una ex Antiphonis beatæ Mariæ, cum Versiculo et Oratione, ut ibidem : et dicto Versu *Divinum auxilium,* di-

citur secreto *Pater noster, Ave Maria* et *Credo.* » (Rubricæ generales, Tit. XVIII, nn. 1, 2.)

Q. 65. *Explica nomen Completorii, et indica hujus Horæ partes.*

R. I. Completorium sic dicitur, quia in eo completur divinum Officium, ultima diei hora ante finem crepusculi vespertini ; erat olim oratio vespertina monachorum, quam persolvebant dum e refectorio ad dormitorium pergebant, et in ipso dormitorio terminabant ; a sæculo VIII obtinuit usus dicendi Completorium in Choro vel in Capitulo.

II. Tres in eo distinguuntur partes.

1° Quædam Completorium proprie dictum præcedebant ; etenim, dato signo, monachi omnes conveniebant ad Capitulum, ubi a Lectore ritu consueto instituebatur Lectio spiritualis ad ædificationem audientium. Pro hac lectione inserta fuit in Breviario Lectio brevis ex Epistola S. Petri.

Finita lectione omnes pergebant ad Chorum, ubi mox instituebatur examen conscientiæ et Confessio peccatorum.

2° Post peccatorum Confessionem, sub consueto Horarum initio : *Deus in adjutorium*, rejecto Hymno post Psalmos, dicuntur Completorii Psalmi, et quæ sequuntur, usque ad Canticum Simeonis inclusive, quod Canticum olim Orationis seu Collectæ locum tenebat. — His diversis precibus exprimuntur petitio divini auxilii, ut Deus dignetur a nobis omnia mala avertere ; fiducia in divina misericordia ; et commendatio divinæ providentiæ.

3° Ultima pars, seu Oratio *Visita quæsumus* (quæ composita non videtur ut in ecclesia dicatur), recitabatur cum monachi post Completorium jam e Choro recesserant ad dormitorium, dum fiebat aspersio aquæ benedictæ ; ea dicta, dabatur monachis benedictio, et tandem implorabatur auxilium B. Mariæ V., cujus instituti ratio data fuit Q. 47.

Nota. Quæ superius breviter tradita sunt de Officio divino ejusque partibus, longius proponuntur apud sequentes auctores:

Fornici. Institutiones liturgicæ ad usum Seminarii Romani. 1 vol. (Diversæ sunt editiones Romanæ et exteræ.)

A Carpo. Compendiosa bibliotheca liturgica. 1 vol. 8°. Bononiæ, 1878.

Gavantus et Merati. Thesaurus sacrorum Rituum. 4 vol. 4°. Romæ, 1738. (Variæ sunt editiones.)

Cavalieri. Opera liturgica. Tom. 5, 1 vol. Bassani, 1778.

Ephemerides Liturgicæ. Publicatio mensilis. Romæ, Annus I (1887) et sequentes.

Schober. Explanatio critica editionis Breviarii Romani quæ a S. Rituum Congregatione uti typica declarata est. 1 vol. 12°. Ratisbonæ, 1891.

Du Saint Office considéré au point de vue de la piété, par M. Bacuez, Directeur du Séminaire de Saint-Sulpice. 1 vol. 12°. Paris, 1889. (4ª edit.)

Bernard. Cours de Liturgie Romaine. Le Bréviaire. 2 vol. 12°. Paris, 1887.

Maugère. Le Bréviaire Romain commenté. 1 vol. 12°. Paris, 1887.

Bernard. Le Bréviaire Romain. Commentaire. 1 vol. 12°. Citeaux, 1887.

Lerosey. Manuel liturgique. 4 vol. in 12°. Paris, 1889.

Batiffol. Histoire du Bréviaire Romain. 1 vol. 12°. Paris, 1893.

Chevalier. Poésie liturgique traditionnelle de l'Eglise Catholique en Occident. 1 vol. 8°. Tournai, 1894. Introduction.

Cabrol (Dom Fernand). Le livre de la prière antique. 1 vol. 12°. Paris, 1900.

Cabrol (Dom Fernand). Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie. Paris. Fasciculus II editus fuit anno 1903.

Revue bénédictine (Messager des fidèles). Publication mensuelle. Maredsous, I Année (1884) et suivantes.

Probst. Brevier und Breviergebet. 1 vol. 8°. Tubingen, 1868.

Schuch. Pastoral-Theologie. 1 vol. 8°. Linz, 1885. (7ª edit.)

Amberger. Pastoral-Theologie. 3 vol. 8°. Regensburg, 1885. (4ª edit.)

Pleithner. Aelteste Geschichte des Breviergebetes. 1 vol. 8°. Kempten, 1887.

Baeumer (P. Suitbert). Geschichte des Breviers. 1 vol. 8°. Freiburg, 1895.

APPENDIX

Officiorum quorumdam Specimina

Quo facilius Officii divini recitationem addiscat qui recens eam aggreditur, opportunum visum fuit subtexere breviter quædam specimina, eaque regularia, quæ tamquam exemplaria sint cæterorum Officiorum, et tironem quasi manu ducant ne aberrare queat.

66. Specimen Officii Duplicis et Semiduplicis

Primum datur specimen Officii duplicis, in Festo S. Norberti, Episcopi et Confessoris, 6 Junii; et Officii semiduplicis votivi de SS. Apostolis, quod singulis Feriis tertiis liberis ad libitum recitatur; hæc duo Officia supponuntur occurrere Feria II, et Feria III post Festum SS. Trinitatis, 6 et 7 Junii.

AD MATUTINUM

1. *Oratio* : † Aperi, Domine, os meum... *ad cujus initium consueto formatur pollice crux super labia.*

2. Pater... Ave... Credo...

3. † Domine, labia mea... *Formatur pollice crux super labia.* Et os meum...

4. † Deus, — in adjutorium — meum — intende. *Formatur manu crux fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum.* Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

DUPLEX	SEMIDUPLEX
5. Regem Confessorum Dominum, venite adoremus. — Regem Confessorum Dominum, venite adoremus.	Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus. — Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus.

Venite, exsultemus... jubilemus ei. Regem..., venite adoremus.
Quoniam Deus... ipse conspicit. Venite adoremus.
Quoniam ipsius... pascuæ ejus. Regem..., venite adoremus.
Hodie si vocem... opera mea. Venite adoremus.
Quadraginta annis... requiem meam. Regem..., venite adoremus.
Gloria Patri... Sicut erat... sæculorum. Amen.
Venite adoremus. Regem..., venite adoremus.

Hymnus : Iste Confessor... beatas...	*Hymnus* : Æterna Christi...

DUPLEX

SEMIDUPLEX

IN PRIMO NOCTURNO

1. *Antiphona* : Beatus vir, *integra. Ps.* Beatus vir... Gloria Patri... *Ant.* Beatus vir, *integra.*

1. *Antiphonæ verba* : In omnem terram. *Ps.* Cœli... Gloria Patri... *Ant.* In omnem terram exivit, *integra.*

2. *Ant.* Beatus iste sanctus, *integra. Ps.* Quare... Gloria... *Ant.* Beatus iste sanctus, *integra.*

2. *Ant. verba* : Clamaverunt justi. *Ps.* Benedicam... Gloria... *Ant.* Clamaverunt, *integra.*

3. *Ant.* Tu es gloria mea, *integra. Ps.* Domine... Gloria... *Ant.* Tu es gloria mea, *integra.*

3. *Ant. verba* : Constitues eos principes. *Ps.* Eructavit... Gloria... *Ant.* Constitues, *integra.*

4. ℣. Amavit... ℟. Stolam...

4. ℣. In omnem... ℟. Et in fines...

5. Pater noster... a malo. *Absolutio I* : Exaudi, Domine... Amen. Jube domne benedicere. *Benedictio I* : Benedictione... Amen.

6. *Lectiones tres leguntur de Scriptura occurrente, ex Proprio de Tempore, et primæ præponitur titulus libri qui legitur.*

Incipit liber primus Regum. Fuit vir... sacerdotes Domini. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

De libro primo Regum. Factum est... in oculis tuis. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

7. *Responsorium I.* Euge serve bone...

7. *Responsorium I.* Ecce ego mitto...

8. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Unigenitus... Amen.

9. *Lectio II.* Venit ergo dies... decem filii? Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

9. *Lectio II.* Et abiit mulier... ib jugiter. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

10. *Resp. II.* Ecce sacerdos...

10. *Resp. II.* Tollite jugum...

11. Jube domne benedicere. *Benedictio III* : Spiritus... Amen.

12. *Lectio III.* Surrexit... caput ejus. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

12. *Lectio III.* Et ait ei... ibi Dominum. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

13. *Resp. III.* Juravit Dominus...

13. *Resp. III.* Dum steteritis...

IN SECUNDO NOCTURNO

1. *Ant.* Invocantem, *integra. Ps.* Cum invocarem... Gloria... *Ant.* Invocantem, *integra.*

1. *Ant. verba* : Principes populorum. *Ps.* Omnes gentes... Gloria... *Ant.* Principes populorum, *integra.*

2. *Ant.* Lætentur omnes, *integra. Ps.* Verba... Gloria... *Ant.* Lætentur omnes, *integra.*

2. *Ant. verba* : Dedisti hæreditatem. *Ps.* Exaudi Deus... Gloria... *Ant.* Dedisti hæreditatem, *integra.*

3. *Ant.* Domine Dominus noster, *integra. Ps.* Domine Dominus... Gloria... *Ant.* Domine Dominus noster, *integra.*

3. *Ant. verbum* : Annuntiaverunt. *Ps.* Exaudi Deus... Gloria... *Ant.* Annuntiaverunt, *integra.*

4. ℣. Elegit... ℟. Ad sacrificandum...

4. ℣. Constitues... ℟. Memores...

5. Pater noster... a malo. *Absolutio II* : Ipsius pietas... Amen. Jube domne benedicere. *Benedictio I* : Deus... Amen.

DUPLEX	SEMIDUPLEX
6. *Lectiones tres leguntur de Vita Sancti, ex Proprio Sanctorum, 6 Junii.*	6. *Lectiones tres leguntur eæ quæ indicantur in fine Breviarii pro Officio votivo de SS. Apostolis, feria III.*
Lectio IV. Norbertus... revocavit. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.	*Lectio IV.* De Sermone S. Augustini Episcopi. Isti sunt... et Prophetarum. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.
7. *Resp. IV.* Inveni David...	7. *Resp. IV.* Vidi conjunctos...
8. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Christus... Amen.	
9. *Lectio V.* Cum Lauduni... propagatus est. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.	9. *Lectio V.* Hoc ergo... sola dilectio. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.
10. *Resp. V.* Posui adjutorium...	10. *Resp. V.* Beati estis.
11. Jube domne benedicere. *Benedictio III* : Ignem... Amen.	
12. *Lectio VI.* Antverpiam... sexta Junii. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.	12 *Lectio VI.* Isti ergo... coronemur. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.
13. *Resp. VI.* Iste est qui ante...	13. *Resp. VI.* Isti sunt triumphatores...

IN TERTIO NOCTURNO

1. *Ant.* Domine, *integra*. *Ps.* Domine quis habitabit... Gloria... *Ant.* Domine, *integra*.	1. *Ant. verbum* : Exaltabuntur. *Ps.* Confitebimur... Gloria... *Ant.* Exaltabuntur, *integra*.
2. *Ant.* Vitam petiit, *integra*. *Ps.* Domine in virtute... Gloria... *Ant.* Vitam petiit, *integra*.	2. *Ant. verba* : Lux orta est. *Ps.* Dominus regnavit... Gloria... *Ant.* Lux orta est, *integra*.
3. *Ant.* Hic accipiet, *integra*. *Ps.* Domini est terra... Gloria... *Ant.* Hic accipiet, *integra*.	3. *Ant. verbum* : Custodiebant. *Ps.* Dominus regnavit... Gloria... *Ant.* Custodiebant, *integra*.
4. ℣. Tu es sacerdos... ℟. Secundum...	4. ℣. Nimis honorati... ℟. Nimis confortatus...
5. Pater noster... a malo. *Absolutio III* : A vinculis... Amen. Jube domne benedicere. *Benedictio I* : Evangelica lectio... Amen.	
6. *Lectiones tres leguntur de Homilia quæ indicatur in Proprio Sanctorum, 6 Junii, sumenda e Communi.*	6. *Lectiones tres leguntur de Homilia quæ indicatur propria in Officio votivo de SS. Apostolis.*
Lectio VII. Lectio sancti... Matthæum. In illo tempore... bona sua. Et reliqua. Homilia S. Gregorii Papæ. Lectio... damnat. Tu autem, Domine, miserere nobis, Deo gratias.	*Lectio VII.* Lectio sancti... Matthæum. In illo tempore... erit nobis ? Et reliqua. Homilia S. Hilarii Episcopi. Apostoli... suscipere. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.
7. *Resp. VII.* Amavit eum...	7. *Resp. VII.* Isti sunt qui...
8. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Cujus festum colimus... Amen.	8. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Quorum festum colimus... Amen.
9. *Lectio VIII.* Quis itaque... de-	9. *Lectio VIII.* Interpositis...

DUPLEX

signatur. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

10. *Resp. VIII.* Sint lumbi vestri...

11. Jube domne benedicere. *Benedictio III* : Ad societatem... Amen.

12. *Lectio IX.* Sed is qui... reportant. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

SEMIDUPLEX

agnoscit? Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

10. *Resp. VIII.* Isti sunt viri...

12. *Lectio IX.* Omnis itaque... copulavit. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

Si, quod in his præsentibus Officiis non est, in aliquo Officio dicenda foret nona lectio specialis, vel de Homilia (ex. gr., *si Festum S. Norberti celebraretur die Dominica*), *vel de Sancto, hic, loco indicatæ sub n.* 12 *nonæ lectionis diceretur ; præmissa, ad n.* 11, *si de Homilia legeretur Benedictione* : Per Evangelica dicta... Amen.

13. Te Deum laudamus... in æternum.

Si quis hic abrumperet lectionem Officii, Laudes a Nocturnis separans, diceret :

1. *Subdiaconus* : ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

2. Oremus. Deus, qui beatum Norbertum... valeamus. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

2. Oremus. Deus, qui nos per beatos Apostolos... proficere. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

3. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

LAUDES

DUPLEX

1. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

2. *Antiphona* : Ecce sacerdos magnus, *integra. Ps.* Dominus regnavit... Gloria... *Ant.* Ecce sacerdos magnus, *integra.*

3. *Ant.* Non est inventus, *integra. Ps.* Jubilate... Gloria... *Ant.* Non est inventus, *integra.*

4. *Ant.* Ideo jurejurando, *integra. Ps.* Deus Deus meus... *in cujus fine non dicitur* Gloria, *sed statim additur Ps.* Deus misereatur... Gloria... *Ant.* Ideo jurejurando, *integra.*

5. *Ant.* Sacerdotes Dei, *integra. Canticum* Benedicite... *in cujus fine non dicitur* Gloria, *neque* Amen. *Ant.* Sacerdotes Dei, *integra.*

6. *Ant.* Serve bone, *integra. Ps.* Laudate... *Ps.* Cantate... *in quorum fine non dicitur* Gloria, *et Ps.* Lau-

SEMIDUPLEX

2 *Antiphonæ verba* : Hoc est præceptum meum. *Ps.* Dominus regnavit... Gloria... *Ant.* Hoc est præceptum meum, *integra.*

3. *Ant. verba* : Majorem caritatem. *Ps.* Jubilate... Gloria... *Ant.* Majorem caritatem, *integra.*

4. *Ant. verba* : Vos amici mei estis. *Ps.* Deus Deus meus... *in cujus fine non dicitur* Gloria, *sed statim additur Ps.* Deus misereatur... Gloria... *Ant.* Vos amici mei estis, *integra.*

5. *Ant. verba* : Beati pacifici. *Canticum* Benedicite... *in cujus fine non dicitur* Gloria, *neque* Amen. *Ant.* Beati pacifici, *integra.*

6. *Ant. verba* : In patientia vestra. *Ps.* Laudate... *Ps.* Cantate... *in quorum fine non dicitur* Gloria,

DUPLEX

date... Gloria... *Ant.* Serve bone, *integra.*

7. *Capitulum* : Ecce sacerdos magnus... reconciliatio. Deo gratias.

8. *Hymnus* : Jesu Redemptor omnium...

9. ℣. Justum... ℟. Et ostendit...

10. *Ant.* Euge serve bone, *integra. Canticum Zachariæ* : † Benedictus—Dominus—Deus—Israel. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum...* Gloria... *Ant.* Euge serve bone, *integra.*

11. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Oremus, Deus, qui beatum Norbertum... valeamus. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

SEMIDUPLEX

et Ps. Laudate... Gloria... *Ant.* In patientia vestra, *integra.*

7. *Capitulum* : Fratres... Christo Jesu. Deo gratias.

8. *Hymnus* : Exsultet orbis...

9. ℣. Annuntiaverunt... ℟. Et facta ejus...

10. *Ant. verba* : Vos qui reliquistis. *Canticum Zachariæ* : † Benedictus — Dominus — Deus — Israel. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum.* Gloria... *Ant.* Vos qui reliquistis, *integra.*

11. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Oremus. Deus qui nos... proficere. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

Si in Officio aliquo præscriberetur facienda aliqua Coumemoratio specialis, hic loci, post Orationem Officii propriam fieret, dicendo Antiphonam Cantici Benedictus, *et Versum ex Laudibus Officii cujus Commemoratio fit, cum Oratione ejus propria, præmisso* Oremus, *et addita vel omissa conclusione, prout hæc Oratio ultima dicenda sit vel non.*

11 *a*) *Suffragia : De S. Maria : Ant.* Sancta Maria... commemorationem. ℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni... Oremus. Concede nos... perfrui lætitia. (*Non dicitur* Per Dominum.

11 *b*) *De S. Joseph : Ant.* Ipse Jesus erat... Joseph. ℣. Os justi... ℟. Et lingua... Oremus. Deus, qui... mereamur in cœlis.

11 *c*) *De SS. Apostolis Petro et Paulo : Ant.* Gloriosi... separati. ℣. In omnem... ℟. Et in fines... Oremus. Deus, cujus... consequamur.

11 *d*) *De S. Rumoldo* (*cfr. Q. 229*) *: Ant.* O amator... defende. ℣. Corona... ℟. Expressa... Oremus. Majestati... expiemur.

11 *e*) *De Pace : Ant.* Da pacem... Deus noster. ℣. Fiat pax... ℟. Et abundantia... Oremus. Deus, a quo... tranquilla. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

12. *Subdiaconus* : Domine,exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

13. Pater noster... malo. Amen. Dominus det nobis suam pacem. Et vitam æternam. Amen.

14. *Ant. B. M. V.* Salve Regina... Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni efficiamur... Oremus. Omnipotens... liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Nota : *Si immediate post Laudes quis diceret Primam, omitteret Laudum conclusionem descriptam sub numeris* 13 *et* 14, *et statim post Versum* : Fidelium animæ... in pace. Amen, *diceret* Pater, Ave, Credo, *pro principio Primæ ; conclusionem vero supra descriptam sub numeris* 13 *et* 14 *adderet post Primam, aut etiam post sequentem, si plures immediate succedentes diceret, Horam, ita ut diceret eam in fine ultimæ Horæ uno tractu cum Laudibus recitatæ.*

PRIMA

DUPLEX

1. Pater... Ave... Credo...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Jam lucis orto sidere...

4. *Antiphonæ primæ Laudum verba* : Ecce sacerdos magnus. *Ps.* Deus in nomine... Gloria... *Ps.* Beati immaculati... Gloria... *Ps.* Retribue... Gloria... *Ant.* Ecce sacerdos magnus, *integra.*

5. *Capitulum* : Regi sæculorum... Amen. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : Christe Fili Dei...

7. ℣. Exsurge Christe... ℟. Et libera...

SEMIDUPLEX

4. *Antiphonæ primæ Laudum verba* : Hoc est præceptum meum. *Ps.* Deus in nomine... Gloria... *Ps.* Beati immaculati... Gloria... *Ps.* Retribue... Gloria... *Ant.* Hoc est præceptum meum, *integra.*

7 *a*) *Dicuntur Preces Dominicales* : Kyrie eleison... Pater... a malo. Credo... æternam. Amen.

℣. Et ego .. ℟. Et mane...

℣. Repleatur... ℟. Ut cantem...

℣. Domine... ℟. Et omnes...

℣. Cor mundum... ℟. Et spiritum...

℣. Ne projicias... ℟. Et spiritum...

℣. Redde... ℟. Et spiritu...

℣. † Adjutorium — nostrum — in nomine — Domini. (*Formatur signum Crucis a fronte ad pectus.*) ℟. Qui fecit...

Confiteor... omnibus Sanctis; quia peccavi... omnes Sanctos, orare... nostrum.

DUPLEX	SEMIDUPLEX
	Misereatur nostri... peccatis nostris, perducat nos... Amen.
	† Indulgentiam, — absolutionem — et remissionem — peccatorum... Amen.
	℣. Dignare.., ℟. Sine peccato...
	℣. Miserere.. ℟. Miserere...
	℣. Fiat... ℟. Quemadmodum...
	℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor...

8. *Subdiaconus* : ℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Versus Domine, exaudi... *a Subdiacono in Officio semiduplici semel tantum dicitur.*

Oremus. Domine Deus... opera. Per Dominum... sæculorum. Amen.

9. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum...)

Benedicamus Domino. Deo gratias. (*Hic legitur Martyrologium, de præcepto in Choro, ad libitum in recitatione Horarum privata.*)

10. ℣. Pretiosa..... ℟. Mors... *Oratio* : Sancta Maria... sæculorum. Amen.

11. ℣. Deus, in adjutorium... ℟. Domine... (*Dicitur ter, et non formatur hic signum Crucis.*)

12. Gloria Patri... Sicut erat... Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster... a malo.

13. ℣. Respice in servos... ℟. Et sit splendor... Gloria Patri... Sicut erat...

14. Oremus. Dirigere... sæculorum. Amen.

15. Jube domne benedicere. Dies et actus... omnipotens. Amen.

16. *Absolutio. Capitulum Nonæ* : Fungi sacerdotio... odorem suavitatis. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.	16. *Absolutio. Capitulum Nonæ* : Ibant Apostoli... contumeliam pati. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

17. ℣. Adjutorium nostrum... (*Non formatur signum Crucis.*) ℟. Qui fecit...

18. ℣. Benedicite. ℟. Deus. *Benedictio* : † Dominus — nos benedicat, — et ab omni malo — defendat (*formatur signum Crucis a fronte ad pectus*), et ad vitam... in pace. Amen.

19. *Si immediate dicitur Tertia, nihil amplius additur ; si non, additur* Pater noster... a malo. Amen.

Cum in sequentibus Horis Tertia, Sexta et Nona, idem sit qui servatur ordo in Officio tum Duplici tum Semiduplici, sufficiet indicare dicenda pro solo ex propositis Officio Duplici, in Festo S. Norberti.

TERTIA

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Nunc, sancte...

4. *Antiphonæ secundæ Laudum verba* : Non est inventus. *Ps.* Legem pone... Gloria... *Ps.* Memor esto... Gloria... *Ps.* Bonitatem... Gloria... *Ant.* Non est inventus, *integra.*

5. *Capitulum* : Ecce sacerdos magnus... reconciliatio. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : Amavit eum Dominus...

7. ℣. Elegit eum... ℟. Ad sacrificandum...

8. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

9. Oremus. Deus, qui beatum Norbertum... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

10. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ.., in pace. Amen.

11. *Si immediate dicitur Sexta, nihil amplius additur : si non, additur* Pater noster... a malo. Amen.

SEXTA

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Rector potens...

4. *Antiphonæ tertiæ Laudum verba* : Ideo jurejurando. *Ps.* Defecit... Gloria... *Ps.* Quomodo... Gloria... *Ps.* Iniquos... Gloria... *Ant.* Ideo jurejurando, *integra.*

5. *Capitulum* : Non est inventus... plebem suam. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : Elegit eum Dominus...

7. ℣. Tu es sacerdos... ℟. Secundum...

8. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

9. Oremus. Deus, qui beatum Norbertum... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

10. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

11. *Si immediate dicitur Nona, nihil amplius additur ; si non, additur* Pater noster... a malo. Amen.

NONA

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Rerum Deus...

4. *Antiphonæ quintæ Laudum verba* : Serve bone. *Ps.* Mirabilia... Gloria... *Ps.* Clamavi... Gloria... *Ps.* Principes... Gloria... *Ant.* Serve bone, *integra.*

5. *Capitulum* : Fungi sacerdotio... odorem suavitatis. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : Tu es sacerdos...

7. ℣. Justum... ℟. Et ostendit...

8. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

9. Oremus. Deus, qui beatum Norbertum... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

10. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

11. *Si immediate dicuntur Vesperæ, nihil amplius dicitur ; si non, additur* Pater noster... a malo. Amen.

VESPERÆ

DUPLEX	SEMIDUPLEX
Dicendæ supponuntur Vesperæ secundæ Festi S. Norberti, cum commemoratione sequentis Officii semiduplicis, scilicet Officii votivi de SS. Apostolis.	*Dicendæ supponuntur Vesperæ secundæ Officii votivi de SS. Apostolis, a Capitulo de sequenti Officio, quod est Officium votivum de S. Joseph, cum commemoratione præcedentis.*
1. Pater... Ave...	
2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.	
3. *Antiphona* : Ecce sacerdos magnus, *integra*. *Ps.* Dixit Dominus... Gloria... *Ant.* Ecce sacerdos magnus, *integra*.	3. *Antiphonæ verba* : Juravit Dominus. *Ps.* Dixit Dominus... Gloria... *Ant.* Juravit Dominus, *integra*.
4. *Ant.* Non est inventus, *integra*. *Ps.* Confitebor... Gloria... *Ant.* Non est inventus, *integra*.	4. *Ant. verba* : Collocet eum. *Ps.* Laudate pueri... Gloria... *Ant.* Collocet eum, *integra*.
5. *Ant.* Ideo jurejurando, *integra*. *Ps.* Beatus vir... Gloria... *Ant.* Ideo jurejurando, *integra*.	5. *Ant. verba* : Dirupisti Domine. *Ps.* Credidi... Gloria... *Ant.* Dirupisti Domine, *integra*.
6. *Ant.* Sacerdotes Dei, *integra*. *Ps.* Laudate pueri... Gloria... *Ant.* Sacerdotes Dei, *integra*.	6. *Ant. verba* : Euntes ibant. *Ps.* In convertendo... Gloria... *Ant.* Euntes ibant, *integra*.
7. *Ant.* Serve bone, *integra*. *Ps.* Memento Domine... Gloria... *Ant.* Serve bone, *integra*.	7. *Ant. verba* : Confortatus est. *Ps.* Domine probasti... Gloria... *Ant.* Confortatus est, *integra*.
8. *Capitulum* : Ecce sacerdos magnus... reconciliatio. Deo gratias.	8. *Capitulum* : Benedictiones patris tui... fratres suos. Deo gratias.
9. *Hymnus* : Iste Confessor Domini... meruit beatas scandere sedes. Qui pius...	9. *Hymnus* : Te, Joseph, celebrent...
10. ℣. Justum deduxit... ℟. Et ostendit...	10. ℣. Constituit... ℟. Et principem...
11. *Ant.* Amavit eum Dominus, *integra*. *Canticum B. Mariæ V.* : † Magnificat — anima — mea — Dominum. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus...* Gloria... *Ant.* Amavit eum Dominus, *integra*.	11. *Ant. verba* : Cum esset desponsata. *Canticum B. Mariæ V.* : † Magnificat — anima — mea — Dominum. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus...* Gloria... *Ant.* Cum esset desponsata, *integra*.

DUPLEX

12. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

13. Oremus. Deus, qui beatum Norbertum... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

14. *Ant.* Tradent enim vos... et gentibus. ℣. In omnem terram... ℟. Et in fines... Oremus. Deus, qui nos per beatos... celebrando proficere. Per Dominum... sæculorum. Amen.

SEMIDUPLEX

13. Oremus. Deus, qui ineffabili... mereamur in cœlis : Qui vivis... sæculorum. Amen.

14. *Ant.* Estote fortes... æternum, alleluja. ℣. Annuntiaverunt... ℟. Et facta... Oremus. Deus, qui nos per beatos... celebrando proficere. (*Non dicitur* Per Dominum.)

14 *a*) *Suffragia : De S. Maria : Ant.* Sancta Maria.., commemorationem. ℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni... Oremus. Concede nos... perfrui lætitia.

14 *b*) *De SS. Apostolis Petro et Paulo : Ant.* Petrus Apostolus... tuam Domine. ℣. Constitues... ℟. Memores... Oremus. Deus, cujus... consequamur.

14 *c*) *De S. Rumoldo* (*cfr. Q. 229*) : *Ant.* O amator... defende. ℣. Corona... ℟. Expressa... Oremus. Majestati... expiemur.

14 *d*) *De Pace : Ant.* Da pacem... Deus noster. ℣. Fiat pax... ℟. Et abundantia... Oremus. Deus, a quo... tranquilla. Per Dominum... sæculorum. Amen.

15. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

16. *Si immediate dicitur Completorium, nihil amplius dicitur ; si non, additur* Pater noster... a malo. Amen.

COMPLETORIUM

1. ℣. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Noctem quietam... omnipotens. Amen.

2. *Lectio brevis* : Fratres : Sobrii... in fide. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

3. ℣. † Adjutorium — nostrum — in nomine — Domini. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus.* ℟. Qui fecit... Pater noster... a malo. Amen.

4. Confiteor... omnibus Sanctis ; quia peccavi... omnes Sanctos, orare... nostrum.

Misereatur nostri... peccatis nostris, perducat nos... Amen.

† Indulgentiam, — absolutionem — et remissionem — peccatorum. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus...* Dominus. Amen.

5. ℣. Converte nos. *Formari potest ad hæc verba cum pollice Crux in pectore...* ℟. Et averte...

DUPLEX SEMIDUPLEX

6. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

7. *Antiphonæ verbum* : Miserere. *Ps.* Cum invocarem... Gloria... *Ps.* In te Domine... Gloria... *Ps.* Qui habitat... Gloria... *Ps.* Ecce nunc... Gloria... *Ant.* Miserere, *integra.*

8. *Hymnus* : Te lucis ante terminum...

9. *Capitulum* : Tu autem in nobis... Deus noster. Deo gratias.

10. *Responsorium breve* : In manus tuas Domine...

11. ℣. Custodi nos... ℟. Sub umbra...

12. *Ant. verba* : Salva nos. *Canticum Simeonis* : † Nunc — dimittis — servum tuum — Domine. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus...* Gloria... *Ant.* Salva nos, *integra.*

12 *a*) Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster... a malo.
Credo in Deum... æternam. Amen.
℣. Benedictus... ℟. Et laudabilis...
℣. Benedicamus... ℟. Laudemus...
℣. Benedictus... ℟. Et laudabilis...
℣. Benedicat... ℟. Amen.
℣. Dignare... ℟. Sine peccato...
℣. Miserere... ℟. Miserere...
℣. Fiat misericordia... ℟. Quemadmodum ..
℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor meus...

13. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) (*Versus* Domine, exaudi, *a Subdiacono in Officio semiduplici semel tantum dicitur.*)

14. Oremus. Visita... super nos semper. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

15. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) Benedicamus Domino. Deo gratias.

16. *Benedictio* : Benedicat... Dominus, † Pater, — et Filius, — et Spiritus — sanctus. *Formatur signum Crucis a fronte ad pectus.* ℟. Amen.

17. *Antiphona B. M. V.* Salve Regina... Virgo Maria. ℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni... Oremus. Omnipotens... liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

18. ℣. Divinum auxilium... ℟. Amen.

19. Pater noster... Ave Maria... Credo...

20. Sacrosanctæ et individuæ, etc. *Recitatur flexis genibus.*

67. Specimen Officii Dominicæ per annum

Supponitur Officium Dominicæ VIII post Pentecosten, 24 Julii. Notaretur sequenti modo in Directorio pro Ecclesia Metropolitana et Civitate Mechliniensi : De ea. Semiduplex. 9 lectio ex tribus 2 Nocturni Sanctæ Elisabeth. (Hujus Sanctæ, Reginæ Portugalliæ, Officium semiduplex in casu dicitur ad instar simplicis, quia 24 Julii, quæ est ejus dies in Diœcesi Mechliniensi

assignata ex 8 Julii, qua celebratur dies Octava Festi S. Rumoldi, occurrit accidentaliter Dominica VIII post Pentecosten, cujus Officium prævalet.) In Laudibus dicitur commemoratio 1° S. Elisabeth, cum Antiphona et Versiculo propriis, ut describuntur in Officio proprio hujus Sanctæ; 2° Octavæ S.Mariæ Magdalenæ (celebratæ in Ecclesia Metropolitana et Civitate Mechliniensi); 3° S.Christinæ,Virginis et Martyris.Omittuntur Suffragia communia Sanctorum (ratione Octavæ S. Mariæ Magdalenæ).Ad Primam dicuntur Psalmus *Confitemini*, et Symbolum S. Athanasii *Quicumque*, sed omittuntur Preces (ratione Octavæ). — In Diœcesi vero, ubi non celebratur Octava S. Mariæ Magdalenæ, omittitur commemoratio hujus Sanctæ ad Laudes ; sed quia ibi non celebratur Octava, dicuntur Suffragia communia Sanctorum ad Laudes, et Preces ad Primam.

His prænotatis, describitur Officium Dominicæ ut sequitur.

MATUTINUM

1. Pater... Ave... Credo.

2. † Domine, labia mea... Et os meum...

3. † Deus, in adjutorium.... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat. Alleluja.

4. *Invit.* Adoremus Dominum, — Qui fecit nos. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

5. *Ps.* Venite, exsultemus... jubilemus ei. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Quoniam Deus... conspicit. Qui fecit nos.

Quoniam ipsius... pascuæ ejus. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Hodie si vocem... opera mea. Qui fecit nos.

Quadraginta... requiem meam. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Gloria Patri... Sicut erat... sæculorum. Amen. Qui fecit nos. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

6. *Hymnus* : Nocte surgentes vigilemus...

IN I NOCTURNO

1. *Antiphonæ prima verba* : Servite Domino. *Quatuor Psalmi* : Beatus vir... Gloria Patri... ; Quare... Gloria... ; Domine, quid... Gloria ; Domine, ne in furore... Gloria ; *Antiph.* Servite Domino, *integra.*

2. *Antiph. prima verba* ; Deus judex justus. *Quatuor Psalmi* : Domine Deus... Gloria... ; Domine Dominus... Gloria... ; Confitebor tibi... Gloria,... ; In Domino... Gloria... ; *Antiph.* Deus judex justus, *integra.*

3. *Antiph. prima verba* : Tu Domine. *Quatuor Psalmi* : Salvum me fac...

Gloria... ; Usquequo... Gloria... ; Dixit insipiens... Gloria... ; Domine, quis... Gloria... ; *Antiph.* Tu Domine, *integra.*

4. ℣. Memor fui... ℟. Et custodivi... Pater noster... a malo.

5. *Absolutio* : Exaudi... sæculorum. Amen.

6. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Benedictione... æternus. Amen.

7. *Lectio I.* De libro tertio Regum. Factum est autem... de solio Israel. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

8. *Responsorium* : Præparate corda vestra...

9. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Unigenitus... dignetur. Amen.

10. *Lectio II.* Si autem aversione... omne malum hoc. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

11. *Resp.* Deus omnium exauditor...

12. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Spiritus... nostra. Amen.

13. *Lectio III.* Expletis autem annis... talenta auri. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

14. *Resp.* Dominus qui eripuit.

IN II NOCTURNO

1. *Antiph. prima verba* : Bonorum meorum. *Ps.* Conserva me... Gloria... *Antiph.* Bonorum meorum, *integra.*

2. *Antiph. prima verba* : Propter verba. *Ps.* Exaudi... Gloria... *Antiph.* Propter verba, *integra.*

3. *Antiph. prima verba* : Diligam te. *Ps.* Domine fortitudo mea... Gloria... *Antiph.* Diligam te, *integra.*

4. ℣. Quoniam tu... ℟. Deus meus... Pater noster... a malo.

5. *Absolutio* : Ipsius pietas... sæculorum. Amen.

6. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Deus Pater... clemens. Amen.

7. *Lectio IV.* Ex libro S. Augustini Episcopi de Civitate Dei. Facta est quidem... futurorum. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

8. *Resp.* Percussit Saul mille...

9. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Christus... vitæ. Amen.

10. *Lectio V.* Nam præter libros... præsentata. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

11. *Resp.* Montes Gelboë, nec ros...

12. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Ignem... nostris. Amen.

13. *Lectio VI.* Notum est enim... appellaverunt. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

14. *Resp.* Ego te tuli de domo...

IN III NOCTURNO

1. *Antiph. prima verba* : Non sunt loquelæ. *Ps.* Cœli enarrant... Gloria... *Antiph.* Non sunt loquelæ, *integra.*

2. *Antiph. primum verbum* : Exaudiat. *Ps.* te Dominus in die... Gloria... *Antiph.* Exaudiat, *integra.*

3. *Antiph. primum verbum* : Domine. *Ps.* in virtute tua... Gloria... *Antiph.* Domine, *integra.*

4. ℣. Exaltare... ℟. Cantabimus... Pater noster... a malo.

5. *Absolutio* : A vinculis... Dominus. Amen.

6. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Evangelica lectio... protectio. Amen.

7. *Lectio VII.* Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. In illo tempore : Dixit... bona ipsius. Et reliqua. Homilia sancti Hieronymi Presbyteri. Si dispensator... fuerint ? Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

8. *Resp.* Peccavi super numerum...

9. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Divinum auxilium... nobiscum. Amen.

10. *Lectio VIII.* Denique post... in cœlum ? Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

11. *Resp.* Duo Seraphim clamabant...

12. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Ad societatem... Angelorum. Amen.

13. *Lectio IX.* Elisabeth Aragoniæ... matrimonium collocata. Juncta conjugio... indefessa. Defuncto rege... Sanctos adscripta est. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

14. Te Deum laudamus... in æternum.

Si hic abrumpitur lectio Horarum et Laudes non immediate dicuntur, sequenti modo Matutinum terminatur

15. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

16. Oremus. Largire nobis... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

17. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

18. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

LAUDES

1. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

2. *Antiphonæ primum verbum* : Alleluja. *Quatuor Psalmi* : Dominus regnavit... Gloria... ; Jubilate... Gloria... ; Deus Deus meus... (*non dicitur* Gloria) ; Deus misereatur... Gloria... *Antiphona* : Alleluja, alleluja.

3. *Antiph. prima verba* : Tres pueri. *Canticum* : Benedicite omnia... (*non dicitur* Gloria, *neque* Amen). *Antiph.* Tres pueri, *integra.*

4. *Antiph. primum verbum* : Alleluja. *Tres Psalmi* : Laudate... (*non dicitur* Gloria) ; Cantate... (*non dicitur* Gloria) ; Laudate... Gloria... *Antiph.* Alleluja, alleluja, alleluja.

5. *Capitulum* : Benedictio, et claritas... sæculorum. Amen. Deo gratias.

6. *Hymnus* : Ecce jam noctis...

7. ℣. Dominus regnavit... ℟. Induit Dominus...

8. *Antiph. prima verba* : Ait dominus villico. *Canticum Zachariæ* : † Benedictus... Gloria... *Antiph.* Ait dominus villico, *integra.*

9. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

10. Oremus. Largire nobis... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

11. *Antiph.* Tu gloria Jerusalem, *integra.* ℣. Meritis... ℟. Propitius... Oremus. Clementissime Deus... gaudia pervenire.

PER DIŒCESIM	IN CIVITATE MECHLINIENSI
12. *Antiph.* Simile est, *integra.* ℣. Diffusa... ℟. Propterea... Ore-	12. *Antiph.* Maria unxit pedes, *integra.* ℣. Elegit... ℟. In taberna-

PER DIŒCESIM

mus. Indulgentiam... professione virtutis.

13. *Suffragia* : a) *de S. Maria : Antiph.* Sancta Maria, *integra*. ℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni... Oremus. Concede... perfrui lætitia.

b) *De S. Joseph : Antiph.* Ipse Jesus, *integra*. ℣. Os justi... ℟. Et lingua... Oremus. Deus, qui... mereamur in cœlis.

c) *De SS. Apostolis : Antiph.* Gloriosi principes, *integra*. ℣. In omnem... ℟. Et in fines... Oremus. Deus, cujus... consequamur.

d) *De Patrono vel Titulari Ecclesiæ. Instituetur ab iis qui Seminarium jam reliquerunt, Commemoratio, vel Titularis Ecclesiæ cui adscripti sunt, vel Patroni loci quem incolunt, per Antiph. et ℣. Laudum et Orationem Officii. Dicetur autem hæc Commemoratio, vel hic, vel alio præcedenti loco, secundum Titularis vel Patroni dignitatem, attamen semper post Commemorationem S. Christinæ.*

e) *De Pace : Antiph.* Da pacem, *integra*. ℣. Fiat pax... ℟. Et abundantia... Oremus. Deus, a quo... protectione tranquilla. Per Dominum... sæculorum. Amen.

IN CIVITATE MECHLINIENSI

culo... Oremus. Beatæ... inferis resuscitasti.

13. *Antiph.* Simile est, *integra*. ℣. Diffusa... ℟. Propterea... Oremus. Indulgentiam... professione virtutis. Per Dominum... sæculorum. Amen.

14. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

15. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

16. Pater noster... a malo. Amen. ℣. Dominus det... ℟. Et vitam æternam. Amen.

17. *Antiph. B. M. V.* Salve Regina... Virgo Maria. ℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni... Oremus. Omnipotens... liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

18. Divinum auxilium... nobiscum. Amen.

Si prima diceretur statim post Laudes, omitterentur ea quæ notantur numeris 16, 17, 18.

PRIMA

1. Pater... Ave... Credo...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Jam lucis...

4. *Antiphonæ verbum* : Alleluja. *Psalmi quatuor* : Deus in nomine... Gloria... ; Confitemini... Gloria... ; Beati immaculati... Gloria... ; Retribue...

Gloria... ; *Symbolum S. Athanasii* : Quicumque... Gloria... *Antiph.* Alleluja, alleluja, alleluja.

5. *Capitulum* : Regi sæculorum... sæculorum. Amen. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : Christe Fili Dei... ℣. Exsurge... ℟. Et libera...

PER DIŒCESIM	IN CIVITATE MECHLINIENSI
6 *a*) *Dicuntur Preces* : Kyrie eleison, etc., *eodem modo qui supra descriptus est ad Primam in Officio Festi semiduplicis, Q. 66, n. 7 a*).	*Omittuntur Preces Dominicales ratione Octavæ.*

7. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

8. Oremus. Domine, Deus... et opera. Per Dominum... sæculorum. Amen.

9. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

10. Benedicamus Domino. Deo gratias.

Et dicuntur omnia reliqua ut supra Q. 66, nn. 10 et sqq. notantur pro Officio Festi, excepto quod Lectio brevis dicitur ea quæ indicatur in Psalterio : Dominus autem dirigat... patientia Christi. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias. *Non vero dicitur in hoc Officio Dominicali pro Lectione brevi Capitulum Nonæ.*

TERTIA

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium.... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Nunc, sancte...

4. *Antiphonæ verbum* : Alleluja. *Psalmi tres* : Legem... Gloria... ; Memor... Gloria... ; Bonitatem... Gloria... *Antiphona* : Alleluja, alleluja, alleluja.

5. *Capitulum* : Deus caritas est... Deus in eo. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : Inclina cor meum...

7. ℣. Ego dixi... ℟. Sana animam...

8. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

9. Oremus. Largire nobis... valeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

10. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

11. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

12. *Si non statim dicitur Sexta, additur* : Pater noster... a malo. Amen.

SEXTA

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Rector potens...

4. *Antiphonæ verbum* : Alleluja. *Psalmi tres* : Defecit... Gloria... ; Quomodo... Gloria... ; Iniquos... Gloria... *Antiphona* : Alleluja, alleluja, alleluja.

5. *Capitulum* : Alter alterius... legem Christi. Deo gratias.

6. *Responsorium breve* : In æternum Domine...
7. ℣. Dominus regit... ℟. In loco...
8 ad 12, *ut supra ad Tertiam.*

NONA

1. Pater... Ave...
2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.
3. *Hymnus* : Rerum Deus...
4. *Antiphonæ verbum* : Alleluja. *Psalmi tres* : Mirabilia... Gloria... ; Clamavi... Gloria... ; Principes... Gloria. . , *Antiphona* : Alleluja, alleluja, alleluja.
5. *Capitulum* : Empti enim estis... corpore vestro. Deo gratias.
6. *Responsorium breve* : Clamavi in toto corde...
7. ℣. Ab occultis... ℟. Et ab alienis...
8 ad 12, *ut supra ad Tertiam.*

VESPERÆ

A Vesperis hujus Dominicæ VIII post Pentecosten, Officium non amplius diceretur de Dominica, sed de sequenti Festo duplici 2 classis S. Jacobi Apostoli. Ut pro Horis Vesperarum et Completorii Dominicæ detur specimen, supponitur Officium Dominicæ XXII post Pentecosten et IV Octobris, 22 Octobris, in qua Horæ istæ dicuntur de Dominica, cum commemoratione S. Hedwigis, Viduæ (semiduplicis simplificati, cujus hodie in nostra Diœcesi Mechliniensi est dies fixa ex 17 Octobris). Vesperæ dicuntur de Dominica, cum commemoratione primum sequentis Officii (Votivi de SS. Angelis), dein S. Hedwigis, et Commemorationibus communibus.

1. Pater... Ave...
2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.
3. *Ant. verba* : Dixit Dominus. *Ps.* Domino meo : Sede... Gloria... *Ant.* Dixit Dominus, *integra.*
4. *Ant. verbum* : Fidelia. *Ps.* Confitebor... Gloria... *Ant.* Fidelia, *integra.*
5. *Ant. verba* : In mandatis. *Ps.* Beatus vir... Gloria... *Ant.* In mandatis, *integra.*
6. *Ant. verba* : Sit nomen Domini. *Ps.* Laudate pueri... Gloria... *Ant.* Sit nomen Domini, *integra.*
7. *Ant. verba* : Nos qui vivimus. *Ps.* In exitu Israel... Gloria... *Ant.* Nos qui vivimus, *integra.*
8. *Capitulum* ; Benedictus Deus... tribulatione nostra. Deo gratias.

9. *Hymnus* : Lucis Creator optime...

10. ℣. Dirigatur... ℟. Sicut incensum...

11. *Ant. verba* : Reddite ergo. *Canticum B. M. V.* † Magnificat... Gloria... *Antiph.* Reddite ergo, *integra.*

12. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

13. Oremus. Deus, refugium nostrum... consequamur. Per Dominum nostrum... sæculorum. Amen.

14. *Ant.* Omnes sunt administratorii, *integra.* ℣. In conspectu... ℟. Adorabo... Oremus. Deus, qui miro ordine... nostra muniatur.

15. *Ant.* Manum suam aperuit, *integra.* ℣. Diffusa est... ℟. Propterea... Oremus. Deus, qui beatam Hedwigem... adversantia superare.

16. *Suffragia : de S. Maria, de S. Joseph, de SS. Apostolis, de Patrono vel Titulari, de Pace, ut supra in Officio ad Vesperas Festi semiduplicis, Q. 66, n. 14 a), addito post a) Suffragio de S. Joseph.*

17. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor meus... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

18. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

19. *Si non statim dicitur Completorium, additur* : Pater noster... a malo. Amen.

COMPLETORIUM

Completorium totum dicitur ut supra describitur pro Festo semiduplici, Q. 66.

68. Specimen Officii Festi simplicis

Officium Festi simplicis « habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi Feriales, et a Capitulo fit de Festo, nisi cum eo concurrat Officium novem Lectionum, quia tunc de eo fit sola commemoratio... ; et ejus Officium terminatur ad Nonam, et nihil amplius fit de eo nec commemoratio. » (Rubricæ generales, Tit. III, n. 3.)

Rarius celebratur Festum simplex a suis Vesperis, quia plerumque concurrit Officium novem Lectionum, cujus dicuntur Vesperæ secundæ, ita ut Festi simplicis tantum fiat commemoratio. Matutinum Festi simplicis differt a Matutino Festi novem Lectionum, cum habeat tantum unum Nocturnum cum duodecim Psalmis, ut in Psalterio, secundum Feriam quæ occurrit ; ad Laudes vero et Horas omnia dicuntur pro Festo simplici, quemadmodum dicuntur pro Festo semiduplici. Itaque sufficiet indicare specimen pro Vesperis et pro

Matutino, cum pro reliquis Horis specimen Officii Festi semiduplicis superius datum sufficiat.

Supponitur Festum simplex S. Evaristi, Papæ et Martyris, in Kalendario notatum ad 26 Octobris, occurrere celebrandum Feria IV in hebdomada. Die præcedenti, 25 Octobris, Feria III, celebratum fuit Festum simplex SS. Chrysanthi et Dariæ, Martyrum ; sed, ut supra dicitur, eorum Officium terminatur ad Nonam : ideo die 25 Octobris, Feria tertia, dicuntur Vesperæ Feriales, scilicet, dicuntur Antiphonæ et Psalmi Feriæ tertiæ, ut in Psalterio ; a Capitulo vero dicuntur de S. Evaristo, sumendo Capitulum et sequentia de Communi unius Martyris, ut indicatur in Breviario. Pro Matutino Festi S. Evaristi sequentia indicarentur in Directorio : Invitatorium et Hymnus de Communi unius Martyris ; Antiphonæ et Psalmi Feriæ quartæ ; Versus ex tertio Nocturno de Communi ; Absolutio *A vinculis* ; Benedictiones 1ª *Ille nos*, 2ª *Cujus*, 3ª *Ad societatem* ; Lectiones 1ª et 2ª de Scriptura occurrente (in supposito erit Hebdomada IV Octobris, ergo Lectiones istæ erunt de Feria IV infra Hebdomadam IV Octobris), 3ª propria ; Responsoria ex tertio Nocturno de Communi ; post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum*. Ad Laudes et Horas omnia ut in Festo semiduplici.

VESPERÆ

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluia.

3. *Ant. verba* : In domum Domini. *Ps.* Lætatus sum... Gloria... *Ant.* In domum, *integra*.

4. *Ant. verba* : Qui habitas. *Ps.* Ad te levavi... Gloria... *Ant.* Qui habitas, *integra*.

5. *Ant. verbum* : Adjutorium. *Ps.* Nisi quia Dominus... Gloria... *Ant.* Adjutorium, *integra*.

6. *Ant. verbum* : Benefac. *Ps.* Qui confidunt... Gloria... *Ant.* Benefac, *integra*.

7. *Ant. verba* : Facti sumus. *Ps.* In convertendo... Gloria .. *Ant.* Facti sumus, *integra*.

8. *Capitulum* : Beatus vir qui suffert... diligentibus se. Deo gratias.

9. *Hymnus* : Deus tuorum militum...

10. ℣. Gloria et honore... ℟. Et constituisti...

11. *Ant. verba* : Iste sanctus. *Canticum B. M. V.* † Magnificat... Gloria... *Ant.* Iste sanctus, *integra*.

12. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

13. Orémus. Infirmitatem... nos protegat. Per Dominum... sæculorum. Amen.

14. *Dicuntur Suffragia de S. Maria, et reliqua, cum Suffragio de Pace, ut supra in Vesperis Festi semiduplicis, Q. 66.*

15. *Conclusio Vesperarum, et Completorium dicuntur ut supra describuntur in Vesperis et in Completorio Festi semiduplicis, Q. 66.*

MATUTINUM

1. Pater... Ave... Credo...

2. † Domine, labia... Et os meum...

3. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

4. *Invitatorium.* Regem Martyrum Dominum, — Venite adoremus. Regem Martyrum Dominum, venite adoremus.

5. *Ps* Venite exsultemus, *cum repetitione Invitatorii integri, vel ultimæ partis ejus* (Venite adoremus), *ut supra in Matutino Officii Festi semiduplicis, Q. 66.*

6. *Hymnus* : Deus, tuorum militum...

IN NOCTURNO

1. *Ant. verba* : Avertit Dominus. *Ps.* Dixit insipiens... Gloria... ; *Ps.* Exaudi... Gloria... *Ant.* Avertit Dominus, *integra.*

2. *Ant. verbum* : Quoniam. *Ps.* Miserere... Gloria... ; *Ps.* Miserere... Gloria... *Ant.* Quoniam, *integra.*

3. *Ant. verba* : Justa judicate *Ps.* Si vere... Gloria... ; *Ps.* Eripe me... Gloria... *Ant.* Justa judicate, *integra.*

4. *Ant. verba* : Da nobis. *Ps.* Deus repulisti... Gloria... ; *Ps.* Exaudi... Gloria... *Ant.* Da nobis, *integra.*

5. *Ant. verba* : Nonne Deo. *Ps.* Subjecta erit... Gloria... ; *Ps.* Exaudi... Gloria... *Ant.* Nonne Deo, *integra.*

6. *Ant. verbum* : Benedicite. *Ps.* Jubilate... Gloria... ; *Ps.* Exsurgat... Gloria... *Ant.* Benedicite, *integra.*

7. ℣. Magna est gloria... ℟. Gloriam...

8. Pater noster... a malo. *Absolutio* : A vinculis... Amen. Jube domne benedicere. *Benedictio I* : Ille nos... Amen.

9. *Lectio I.* De libro secundo Machabæorum. Heliodorus autem... habere aurea. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

10. *Resp. I.* Corona aurea...

11. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Cujus festum colimus... Amen.

12. *Lectio II.* Alii etiam... salute privatus. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

13. *Resp. II.* Hic est vere martyr...

14. Jube domne benedicere. *Benedictio III* : Ad societatem... Amen.

15. *Lectio III.* Evaristus Græcus... Kalendas Novembris. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

16. Te Deum laudamus... in æternum.

Pro conclusione Matutini, casu quo quis hic abrumperet lectionem Officii,

et pro sequentibus Horis, Laudibus, Prima, Tertia, Sexta et Nona, confer quæ superius indicantur, Q. 66, pro Officio Festi semiduplicis, quocum omnia pro recitatione Officii Festi simplicis in his concordant.

Hac eadem die 26 Octobris, ex eo quod Festi simplicis Officium terminetur ad Nonam, et quod sequenti die fiat Officium de Vigilia SS. Simonis et Judæ, Apostolorum, cujus Officium tantum incipit ad Matutinum, indicantur Vesperæ Feriales, seu dicendæ de Feria quarta occurrente. Officii Ferialis ordo et ritus describitur in sequenti specimine.

69. Specimen Officii Ferialis

Duplex describitur specimen Officii Ferialis : unum Feriæ per annum, quod rarius recitatur, ex quo Officia Votiva a Summo Pontifice Leone XIII, per Decretum S. Rituum Congregationis, diei 5 Julii 1883 (n. 3581, antiq. 5879), concessa, loco Officiorum Ferialium persolvi possunt ; alterum Feriæ Sacri Adventus, quæ a die 17 ad 24 Decembris, quo tempore Officia Votiva non sunt concessa, occurrit, et quædam particularia per annum non observanda in Officio requirit.

Primum supponitur Officium Feriæ III post Festum SS. Trinitatis, 7 Junii, pro quo sequentia indicaret Directorium : De ea. Officium ut in Psalterio ; Lectiones hujus Feriæ ; Responsoria Feriæ II præcedentis (cfr. Rubricæ Generales Breviarii, Tit. XXVII, n. 7). Resumuntur Suffragia Sanctorum ad Laudes et Vesperas, et dicuntur Preces ad Primam et Completorium. Vesperæ Feriales ; Oratio Dominicæ præcedentis.

Alterum supponitur Officium Feriæ V post Dominicam IV Adventus, 22 Decembris, quod sequenti modo præscriberetur in Directorio : De ea. Ad Matutinum, Invitatorium *Prope est* ; Hymnus *Verbum* ; Antiphonæ, Psalmi, et Versus ut in Psalterio. Ad Laudes et Horas dicuntur Antiphonæ assignatæ pro Feria V : *De Sion*, et sequentes (habentur in Breviario post Dominicam III Adventus) ; Psalmi hujus Feriæ ex Psalterio ; ad *Benedictus* Antiphona *Consolamini*. Preces feriales flexis genibus. Vesperæ Feriales ; Antiphonæ et Psalmi ex Psalterio ; ad *Magnificat* Antiphona *O Rex*, ritu duplici.

MATUTINUM

1. Pater... Ave... Credo...

2. † Domine, labia... Et os meum...

3. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

7 JUNII, FERIA III

4. *Invitatorium.* Jubilemus Deo, — Salutari nostro. Jubilemus Deo, Salutari nostro.

5. *Ps.* Venite exsultemus, *cum repetitione Invitatorii integri, vel ultimæ ejus partis* (Salutari nostro), *ut supra in Matutino, Q. 66.*

6. *Hymnus* : Consors paterni luminis...

22 DECEMBRIS, FERIA V

4. *Invitatorium.* Prope est jam Dominus : — Venite adoremus. Prope est jam Dominus : Venite adoremus.

5. *Ps.* Venite exsultemus, *cum repetitione Invitatorii integri, vel ultimæ ejus partis* (Venite adoremus), *ut supra in Matutino, Q. 66.*

6. *Hymnus* : Verbum supernum...

IN NOCTURNO

1. *Ant. verba* : Ut non delinquam. *Ps.* Dixi... Gloria... ; *Ps.* Exspectans... Gloria... *Ant.* Ut non, *integra.*

2. *Ant. verbum* : Sana. *Ps.* Beatus... Gloria... ; *Ps.* Quemadmodum... Gloria... *Ant.* Sana, *integra.*

3. *Ant. verbum* : Eructavit. *Ps.* Deus... Gloria... ; *Ps.* Eructavit... Gloria... *Ant.* Eructavit, *integra.*

4. *Ant. verbum* : Adjutor. *Ps.* Deus.., Gloria... ; *Ps.* Omnes... Gloria... *Ant.* Adjutor, *integra.*

5. *Ant. verba* : Magnus Dominus. *Ps.* Et laudabilis... Gloria... ; *Ps.* Audite... Gloria... *Ant.* Magnus, *integra.*

6. *Ant. verba* : Deus deorum. *Ps.* Dominus locutus est... Gloria... ; *Ps.* Quid gloriaris... Gloria... *Ant.* Deus, *integra.*

7. ℣. Immola... ℟. Et redde...

8. Pater noster... a malo, *Absolutio* : Ipsius... Amen. Jube domne benedicere. *Benedictio I* : Deus Pater... Amen.

9. *Lectio I.* De libro primo Regum. Factum est autem... in oculis tuis. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

1. *Ant. verba* : Domine Deus. *Ps.* Salvum... Gloria... ; *Ps.* Deus... Gloria. *Ant.* Domine, *integra.*

2. *Ant. verba* : Esto mihi. *Ps.* Inte... Gloria... ; *Ps.* Deus... Gloria... *Ant.* Esto, *integra.*

3. *Ant. verba* : Liberasti virgam. *Ps.* Quam bonus... Gloria... ; *Ps.* Ut quid... Gloria... *Ant.* Liberasti, *integra.*

4. *Ant. verba* : Et invocabimus. *Ps.* Confitebimur... Gloria... ; *Ps.* Notus... Gloria... *Ant.* Et invocabimus, *integra.*

5. *Ant. verba* : Tu es Deus. *Ps.* Voce... Gloria... ; *Ps.* Attendite... Gloria... *Ant.* Tu es Deus, *integra.*

6. *Ant. verba* : Propitius esto. *Ps.* Deus... Gloria... ; *Ps.* Qui regis... Gloria... *Ant.* Propitius, *integra.*

7. ℣. Ex Sion... ℟. Deus noster...

8. Pater noster... a malo. *Absolutio* : Exaudi... Amen. Jube domne benedicere. *Benedictio I* : Benedictione... Amen.

9. *Lectio I.* De Isaia Propheta. Utinam dirumperes... exspectantibus te. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

7 JUNII, FERIA III

10. *Resp. I.* Præparate...

11. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Christus... Amen.

12. *Lectio II.* Et abiit mulier... ibi jugiter. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

13. *Resp. II.* Deus omnium...

14. Jube domne benedicere. *Benedictio III* : Ignem... Amen.

15. *Lectio III.* Et ait ei... ibi Dominum. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

16. *Resp. III.* Dominus...

22 DECEMBRIS, FERIA V

10. *Resp. I.* Canite tuba...

11. Jube domne benedicere. *Benedictio II* : Unigenitus... Amen.

12. *Lectio II.* Occurristi... iniquitatis nostræ. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

13. *Resp. II.* Non auferetur...

14. Jube domne benedicere. *Benedictio III* : Spiritus... Amen.

15. *Lectio III.* Et nunc... in ruinas. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

16. *Resp. III.* Me oportet...

Pro conclusione Matutini in casu separationis Nocturni a Laudibus, conferatur methodus in præcedentibus indicata, Q. 66.

LAUDES

1. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

2. *Ant. verba* : Dele Domine. *Ps.* Miserere... Gloria... *Ant.* Dele, *integra.*

3. *Ant. verbum* : Salutare. *Ps.* Judica... Gloria... *Ant.* Salutare, *integra.*

4. *Ant. verba* : Ad te de luce. *Ps.* Deus Deus meus... (*non dicitur* Gloria) ; *Ps.* Deus misereatur... Gloria... *Ant.* Ad te de luce, *integra.*

5. *Ant. verba* : Cunctis diebus. *Canticum Ezechiæ* : Ego dixi... Gloria... *Ant.* Cunctis, *integra.*

6. *Ant. verba* : Omnes Angeli ejus. *Ps.* Laudate... ; *Ps.* Cantate... (*in quorum fine non dicitur* Gloria) ; *Ps.* Laudate... Gloria. *Ant.* Omnes, *integra.*

7. *Capitulum* : Nox præcessit... Deo gratias.

8. *Hymnus* : Ales diei nuntius...

9. ℣. Repleti... ℟. Exsultavimus...

10. *Ant. verba* : Erexit nobis. *Canticum Zachariæ* : † Benedictus... Gloria... *Ant.* Erexit, *integra.*

2. *Ant verba* : De Sion. *Ps.* Miserere... Gloria... *Ant.* De Sion, *integra.*

3. *Ant. verba* : Convertere Domine. *Ps.* Domine, refugium... Gloria... *Ant.* Convertere, *integra.*

4. *Ant. verba* : De Sion. *Ps.* Deus Deus meus... (*non dicitur* Gloria) ; *Ps.* Deus misereatur... Gloria... *Ant.* De Sion, *integra.*

5. *Ant. verba* : Ecce Deus meus. *Canticum Moysis* : Cantemus... Gloria... *Ant.* Ecce, *integra.*

6. *Ant. verbum* : Dominus. *Ps.* Laudate... ; *Ps.* Cantate... (*in quorum fine non dicitur* Gloria) ; *Ps.* Laudate... Gloria... *Ant.* Dominus, *integra.*

7. *Capitulum* : Venite, et ascendamus... Deo gratias.

8. *Hymnus* : En clara vox...

9. ℣. Vox clamantis... ℟. Rectas...

10. *Ant. verba* : Consolamini, consolamini. *Canticum Zachariæ* : † Benedictus... Gloria... *Ant.* Consolamini, *integra.*

11. *Dicuntur Preces* : Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster... a malo.

℣. Ego dixi... ℟. Sana..., *et*

7 JUNII, FERIA III

11. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

12. Oremus. Deus, in te sperantium... placeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

12. *a*) *Dicuntur Suffragia* : 1° *de Cruce ; Ant.* Per signum Crucis... ℣. Omnis terra... ℟. Psalmum... Oremus. Perpetua nos... dignatus es. (*Non dicitur* Per Dominum.)

2° *de S. Maria*, 3° *de S. Joseph, etc., usque ad Suffragium de Pace inclusive, post quod dicitur* : Per Dominum... sæculorum. Amen. (*Suffragia hæc describuntur Q. 66.*)

22 DECEMBRIS, FERIA V

omnes sequentes Versus ; post ℣. Domine, exaudi... *dicitur Ps.* De profundis... Gloria... ; *et post Psalmum* ℣. Domine... ℟. Et ostende...

℣. Exsurge... ℟. Et libera...

℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor...

Diaconus adjungit : ℣. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

12. Oremus. Excita, quæsumus... acceleret. Per Dominum... sæculorum. Amen.

(*Non adjunguntur Suffragia de Cruce et Sanctorum.*)

13. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

14. Pater noster... malo. Amen. Dominus det nobis suam pacem. Et vitam æternam. Amen.

15. *Ant. B. M. V.* Salve Regina... Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis... ℟. Ut digni... Oremus. Omnipotens... liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

15. *Ant. B. M. V.* Alma Redemptoris... miserere.

℣. Angelus... ℟. Et concepit... Oremus. Gratiam... perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

Conferatur Nota, Q. 66, pro casu quo post Laudes statim subjungeretur sequens Hora Prima.

PRIMA

1. Pater... Ave... Credo...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Iam lucis...

4. *Ant. verba* : Beati qui ambulant. *Ps.* Deus in nomine... Gloria... ; *Ps.* Ad te Domine... Gloria... ; *Ps.* Beati immaculati ... Gloria... ; *Ps.* Retribue... Gloria... *Ant.* Beati, *integra*.

5. *Capitulum* : Pacem... Deo gratias.

4. *Ant. verba* : De Sion. *Ps.* Deus in nomine... Gloria...; *Ps.* Dominus regit... Gloria... ; *Ps.* Beati immaculati... Gloria... ; *Ps.* Retribue... Gloria... *Ant.* De Sion, *integra*.

5. *Capitulum* : Pacem... Deo gratias.

7 JUNII, FERIA III

6. *Resp. breve* : Christe Fili...

7. ℣. Exsurge... ℟. Et libera...

22 DECEMBRIS, FERIA V

6. *Resp. breve* : Christe Fili... *in quo dicitur* ℣. Qui venturus es in mundum, *loco* ℣. Qui sedes.

7. ℣. Exsurge... ℟. Et libera...

8. *Preces* : Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater... a malo. Credo in Deum... æternam. Amen.

℣. Et ego... ℟. Et mane... ; ℣. Repleatur... ℟. Ut cantem... ; ℣. Domine averte... ℟. Et omnes... ; ℣. Cor mundum... ℟. Et spiritum... ; ℣. Ne projicias... ℟. Et spiritum... ; ℣. Redde... ℟. Et spiritu...

Adjunguntur 22 Decembris Preces Feriales :

℣. Eripe me... ℟. A viro... ; *et 11 sequentes Versus usque ad* ℣. Qui replet... ℟. Renovabitur... *inclusive.*

9. ℣. † Adjutorium... ℟. Qui fecit...

10. *Sequitur Confessio,et reliqua omnia ut supra in Officio Festi semiduplicis, usque ad absolutionem Capituli* (*cfr. Q. 66*).

11. Jube domne benedicere. *Benedictio* : Dies et actus... omnipotens. Amen.

12. *Lectio brevis* : Dominus autem dirigat... Christi. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

12. *Lectio brevis* : Domine, miserere nostri... tribulationis. Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.

13. ℣. Adjutorium... ℟. Qui fecit... ; ℣. Benedicite. ℟. Deus.

14. *Benedictio* : † Dominus nos benedicat... in pace. Amen.

15. Pater... a malo. Amen. (*nisi statim dicatur sequens Hora, quia tunc omittitur.*)

TERTIA

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Nunc, sancte...

4. *Ant. verba* : Deduc me. *Ps.* Legem... Gloria... ; *Ps.* Memor... Gloria... ; *Ps.* Bonitatem... Gloria... *Ant.* Deduc me, *integra.*

4. *Ant. secundæ Laudum verba* : Convertere Domine. *Ps.* Legem... Gloria... ; *Ps.* Memor... Gloria... ; *Ps.* Bonitatem... Gloria... *Ant.* Convertere, *integra.*

5. *Capitulum* : Sana me... tu es. Deo gratias.

5. *Capitulum* : Ecce dies... in terra. Deo gratias.

6. *Resp. breve* : Sana animam...

6. *Resp. breve* : Veni ad liberandum...

7. ℣. Adjutor... ℟. Neque...

7. ℣. Timebunt... ℟. Et omnes...

8. *Preces* : Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater... a malo.

℣. Domine... ℟. Et ostende...

℣. Exsurge... ℟. Et libera...

7 JUNII, FERIA III

8. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

9. Oremus. Deus, in te sperantium... placeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

22 DECEMBRIS, FERIA V

℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor...

Diaconus adjungit : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

9. Oremus. Excita, quæsumus... acceleret. Per Dominum... sæculorum. Amen.

10. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.) Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

11. Pater... a malo. Amen. (*nisi statim dicatur sequens Hora, quia tunc omittitur.*)

SEXTA

1. Pater... Ave...

2. ✝ Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Rector potens...

4. *Ant. verba* : Adjuva me. *Ps.* Defecit... Gloria... ; *Ps.* Quomodo... Gloria... ; *Ps.* Iniquos... Gloria... *Ant.* Adjuva, *integra*.

5. *Capitulum* : Alter alterius... Christi. Deo gratias.

6. *Resp. breve* : Benedicam Dominum...

7. ℣. Dominus... ℟. In loco...

4. *Ant. tertiæ Laudum verba* : De Sion. *Ps.* Defecit... Gloria... ; *Ps.* Quomodo... Gloria... ; *Ps.* Iniquos... Gloria... *Ant.* De Sion, *integra*.

5. *Capitulum* : In diebus... justus noster. Deo gratias.

6. *Resp. breve* : Ostende nobis...

7. ℣. Memento... ℟. Visita...

Pro reliquis, omnia dicuntur ut supra in Tertia, numeris 8 et sequentibus.

NONA

1. Pater... Ave...

2. ✝ Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat... Alleluja.

3. *Hymnus* : Rerum Deus...

4. *Ant. verba* : Adspice in me. *Ps.* Mirabilia... Gloria... ; *Ps.* Clamavi... Gloria... ; *Ps.* Principes... Gloria... *Ant.* Adspice, *integra*.

5. *Capitulum* : Empti... vestro. Deo gratias.

6. *Resp. breve* : Redime me...

7. ℣. Ab occultis... ℟. Et ab alienis...

4. *Ant. quintæ Laudum verbum* : Dominus. *Ps.* Mirabilia .. Gloria... ; *Ps.* Clamavi... Gloria... ; *Ps.* Principes... Gloria... *Ant.* Dominus, *integra*.

5. *Capitulum* : Prope est... salvabitur. Deo gratias.

6. *Resp. breve* : Super te Jerusalem...

7. ℣. Veni Domine,.. ℟. Relaxa...

Pro reliquis, omnia dicuntur ut supra in Tertia, numeris 8 et sequentibus.

VESPERÆ

7 JUNII, FERIA III

1. Pater... Ave...

2. † Deus, in adjutorium... Domine, ad adjuvandum... Gloria Patri... Sicut erat.. Alleluja.

3. *Ant. verba* : In domum Domini. *Ps.* Lætatus... Gloria... *Ant.* In domum, *integra.*

4. *Ant. verba* : Qui habitas. *Ps.* Ad te levavi... Gloria... *Ant.* Qui habitas, *integra.*

5. *Ant. verbum* : Adjutorium. *Ps.* Nisi quia... Gloria... *Ant.* Adjutorium, *integra.*

6. *Ant. verbum* : Benefac. *Ps.* Qui confidunt... Gloria... *Ant.* Benefac, *integra.*

7. *Ant. verba* : Facti sumus. *Ps.* In convertendo... Gloria... *Ant.* Facti, *integra.*

8. *Capitulum* : Benedictus... nostra. Deo gratias.

9. *Hymnus* : Telluris alme...

10. ℣. Dirigatur... ℟. Sicut incensum...

11. *Ant. verbum :* Exsultet. *Canticum B. M. V.* † Magnificat... Gloria... *Ant.* Exsultet, *integra.*

12. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

13. Oremus. Deus, in te sperantium... placeamus. Per Dominum... sæculorum. Amen.

13 *a*) *Dicuntur Suffragia* 1° *de Cruce : Ant.* Per signum Crucis... ℣. Omnis terra... ℟. Psalmum... Oremus. Perpetua nos... dignatus es. (*Non dicitur* Per Dominum.)

22 DECEMBRIS, FERIA V

3. *Ant. verba* : Et omnis. *Ps.* Memento... Gloria... *Ant.* Et omnis, *integra.*

4. *Ant. verbum* : Ecce. *Ps.* Quam bonum... Gloria... *Ant.* Ecce, *integra.*

5. *Ant. verbum* : Omnia. *Ps.* Laudate... Gloria... *Ant.* Omnia, *integra.*

6. *Ant. verbum* : Quoniam. *Ps.* Confitemini... Gloria... *Ant.* Quoniam, *integra.*

7. *Ant. verba* : Hymnum cantate. *Ps.* Super flumina... Gloria... *Ant.* Hymnum, *integra.*

8. *Capitulum* : Non auferetur... gentium. Deo gratias.

9. *Hymnus* : Creator alme...

10. ℣. Rorate... ℟. Aperiatur...

11. *Ant.* O Rex gentium, *integra. Canticum B. M. V.* † Magnificat... Gloria... *Ant.* O Rex gentium, *integra.*

12. *Dicuntur Preces* : Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater... a malo.

℣. Ego dixi... ℟. Sana..., *et omnes sequentes versus; post* ℣. Domine, exaudi... *dicitur Ps.* Miserere... Gloria..., *et post Psalmum* ℣. Domine.., ℟. Et ostende...

℣. Exsurge... ℟. Et libera...

℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor...

Diaconus adjungit : ℣. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

13. Oremus. Excita, quæsumus... acceleret. Per Dominum... sæculorum. Amen.

(*Non adjunguntur Suffragia de Cruce et Sanctorum.*)

7 JUNII, FERIA III	22 DECEMBRIS, FERIA V
2° *de S. Maria*, 3° *de S. Joseph, etc., usque ad Suffragium de Pace inclusive, post quod dicitur* : Per Dominum... sæculorum Amen. (*Suffragia hæc describuntur Q. 66.*)	

14. *Subdiaconus* : Domine, exaudi... Et clamor... (*Diaconus* : Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

15. Pater... a malo. Amen. (*nisi statim dicatur Completorium, quia tunc omittitur.*)

COMPLETORIUM

Completorium totum dicitur ut supra describitur pro Festo semiduplici, Q. 66, excepto quod die 22 Decembris Preces quæ dicuntur post Ant. Salva nos, *in Choro dicendæ sint flexis genibus ; — et quod in fine, loco Antiphonæ B. M. V.* Salve Regina, *cum suo Versu et sua Oratione, dicatur Antiphona B. M. V.* Alma Redemptoris, *cum Versu* Angelus Domini, *et Oratione* Gratiam tuam.

Post Officium divinum dicitur flexis genibus Oratio : Sacrosanctæ... *cum* ℣. Beata viscera... *et* ℟. Et beata... *et additur* Pater noster... Ave Maria...

PARS SECUNDA

DE BREVIARIO ROMANO EJUSQUE PRÆLUDIIS

CAPUT I

De Breviario Romano

Q. 70. *Explica nomen Breviarii Romani.*

R. Breviarii nomen sortitum est Officium divinum, ex quo Officium valde contractum fuit ; quasi diceretur *Breve horarium* sive *Precum epitome*. — At in veriori sensu Breviarium dicitur liber in quo Officium divinum continetur, et significat *Compendium*, sive *Summarium*, *Concisum opus*, et etiam *Indicem*. Est enim admirabile mysteriorum Sacræ Scripturæ compendium, quum contineat Psalmos et selectissima quæque Veteris et Novi Testamenti, Patrum monumenta nobiliora, Acta præcipua Sanctorum, breves denique Orationes ; et indicat quotidie quæ preces sint adhibendæ. — Romanum dicitur, quia preces continet juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Nomen Breviarii primum usurpatum fuit ab Alcuino († 804) ; hic composuit librum precum ad usum laicorum, continentem officium aliquod abbreviatum « qualiter homo laicus... per dinumeratas horas has Deo supplicare debeat » ; quem Carolo Magno Imperatori, cui familiaris erat, dedicavit ; huic libro nomen dedit Breviarii.

Ad persolvendum Officium divinum Clerici pluribus indigebant libris, quos recenset Belethus (sæculi XII) in suo Rationali, Capite LX ; nominantur : Bibliotheca, seu Biblia sacra, pro lectionibus Scripturæ Sacræ ; Passionarius, pro legendis SS. Martyrum ; Legendarius, pro legendis Sanctorum non Martyrum ; Homeliarius, pro Homiliis super Evangelio ; Sermologus, pro Sermonibus et Tractatibus SS. Patrum ; insuper habebantur Psalterium, Antiphonarium, Sacramentarium pro Collectis seu Orationibus, et Martyrologium.

Ex his diversis libris summam componere primum tentaverunt Monachi Benedictini Montis Cassini, cujus summæ exstat manuscriptum anni 1099.

Romæ nomen et res primum occurrunt regnante Innocentio III († 1216), quando introducta fuerunt Breviaria de camera, seu secundum usum Romanæ Curiæ, de quibus dicetur in responso ad Quæstionem sequentem.

Q. 71. *Breviter expone quale olim fuerit Officium divinum, et quomodo fuerit successive mutatum usque ad tempora Concilii Tridentini.*

R. I. In Ecclesiæ exordio Officium divinum constabat certo Psalmorum numero, cum Lectione plus minusve longa e Scriptura Sacra, et terminabatur Oratione Dominica.

II. Versus finem sæculi IV et sæculo V, S. Damasum († 384) inter et S. Gelasium († 496), introducta fuit regularis distributio Psalmorum in diei noctisque Horis, et per hebdomadam, additæque fuerunt Antiphonæ, Collectæ et Responsoria. Psalmorum distributionem pro Officio exhibebat Psalterium, Lectiones vero Lectionarius liber, seu ut vocabatur Comes, reliqua tandem Sacramentarium.

III. Determinata Officii Romani formula constituta fuit sæculo VIII, opusque fuit plurimorum Summorum Pontificum, quos inter præcipue celebratur S. Gregorius Magnus († 604), aliorumque virorum ecclesiasticorum.

Hoc Officium quasi immutatum usque ad sæculi XII finem retinuerunt Romæ Basilica S. Petri et Basilica Lateranensis. Hujus textum ex manuscripto sæculi XII, cui titulus *Antiphonarium Basilicæ S. Petri,* edidit Cardinalis Tommasi (Tomo IV operum editionis Romanæ 1747-1769); pauca si excipiantur, concordat cum iis quæ de Officio Romano Romæ anno 827 scripsit Amalarius in Tractatu *De Ecclesiastico Officio* (cfr. Migne, Patrol. Latin. Tom. CV).

IV. In Bulla editionis Breviarii scribit S. Pius V hanc primam formulam fuisse reformatam a S. Gregorio VII († 1085); sed in quo consistat reformatio non patet ex monumentis. Videtur potius hic S. Pontifex propugnasse antiquum morem Romanum contra quosdam qui attentabant omnia Officia nocturna abbreviare ad modum Officii Paschatis et Pentecostes. Canonem Lectionum e Scriptura sacra per annum de novo ipse præscripsit.

V. Prima tentamina moderni Officii abbreviati et Breviarii testata habentur Romæ, regnante Innocentio III (1198 † 1216). Etenim Papa ejusque Clerici capellares Officium tunc cœperunt recitare, non integraliter sicut in Basilicis persolvebatur, sed abbreviatum et

alteratum, et hoc Officium vocabatur **Breviarium de Camera**, seu **Breviarium secundum usum Romanæ Curiæ.**

In isto novo ordine Antiphonarium, Responsale et Ordo Psalterii, item Commune Sanctorum ex antiquo Officio, paucis tantum immutatis, retenta fuerunt; sed Lectiones valde fuerunt abbreviatæ, et Hymni admissi; Calendarium Sanctorum fuit auctum, variaque nova fuerunt introducta, ut Symbolum S. Athanasii, Suffragia Sanctorum, Officium quotidianum B. Mariæ V., Officium Defunctorum, et alia. Insuper duplicis Officii seu duorum Officiorum in Sanctorum Festis (de Tempore scilicet et de Sanctis) recitatio fuit omissa, et composita fuerunt Officia de Sanctis cum Officiis de Tempore eo fere modo quo adhuc hodiedum fit infra Octavam Nativitatis Domini. Tandem Vesperæ secundæ in Festis tunc fuerunt admissæ.

Hujusmodi Breviarii de Camera hodiedum nusquam repertum fuit exemplar; sed plura de hoc Officio describit Radulphus de Rivo (van Beek?) ex Breda, præpositus Ecclesiæ Tungrensis, in suo Tractatu *De Canonum observantia* (cfr. Bibliotheca veterum Patrum, Lugduni, 1677, Tom. XXVI); hic testatur se vidisse hujusmodi Officii ordinarium Romæ, ubi decessit anno 1403.

VI. Sæculo XIII Haymo, Franciscalium Generalis Minister, cum approbatione Gregorii IX, anno 1241, Breviarium de Camera correxit. Distinxit ipse duo Officia, de Tempore nempe et de Sanctis, duplicemque inde in Breviario induxit partem, deditque Officio et Breviario eam quam hodiedum habet formam.

Fratres minores juxta Regulam Seraphici Patris S. Francisci, anni 1223, debebant persolvere « divinum Officium secundum ordinem S. Romanæ Ecclesiæ », scilicet, uti ipsi interpretati sunt, secundum ordinem qui pro tempore servabatur in Capella Apostolica; et, ait Radulphus Tungrensis, « Officium breviatum secuti sunt ». Non tamen servaverunt illud inalteratum, et mox prodiit quasi ejusdem altera editio ab Haymone correcta, quam confirmavit Gregorius IX. Hæc Officii divini formula ab ipsis mire et ubique fuit propagata; imo paulo post Romæ Nicolaus III (1277-1280) « fecit in Ecclesiis Urbis amoveri... libros Officii antiquos...., et mandavit ut de cetero Ecclesiæ Urbis uterentur... breviariis Fratrum Minorum.... Unde hodie in Roma omnes libri sunt novi et Franciscani ». Ita Radulphus Tungrensis (Prop. 22). Tandem, anno 1337, Avenione ordinatum fuit, ut omnes clerici et personæ diœcesis, pristinis veterum codicum rudimentis omissis, Officium divinum dicant juxta ordinem quo Ecclesia utitur et Curia Romana. Et ita fere ubique a sæcularibus receptum fuit hoc Breviarium.

VII. Post diuturnitatem temporis, sequentibus sæculis ab antiqua institutione deflexit Officii formula, aliis eam mutilantibus, aliis mutantibus; imo paulatim irrepserat prava illa consuetudo ut Episcopi in Ecclesiis privatim sibi quisque Breviarium conficerent. Hinc surrexerunt dissimillima inter se ac pene cujusque Episcopatus propria Officia et Breviaria; unde secuta est tam multis in locis divini cultus perturbatio; ita ut sæculo XVI ineunte necessaria res visa fuerit, divini Officii formulam ad pristinam orandi regulam conformatam revocare. Hanc orandi varietatem gravissime ferens Paulus IV, ab initio sui Pontificatus, anno 1555, emendare constituit, et rationem dicendi Horas ad pristinum morem et institutum redigere suscepit.

Initio sæculi XVI, Leo X (1513-1521) primum cogitavit de reformatione Breviarii, volens illud reddere brevius, facilius, et ab omni errore purgatum; sed præter Hymnarium a Zacharia Ferreri compositum (cfr. Q. 39 in fine responsi) nihil editum fuit, et infecta relicta fuit reformatio.

Hortante Clemente VII (1523-1534), Cardinalis Quignonius, ordinis S. Francisci, composuit Breviarium variis modis immutatum et abbreviatum; ita Officia disposuerat, ut singulis hebdomadis totum Psalterium, assignatis tribus Psalmis unicuique Horæ uniuscujusque diei, et in Lectionibus major pars Sacræ Scripturæ per annum legeretur, Capitulis, Responsoriis, etc. rejectis. Mortuo anno 1534 Clemente VII, promulgatum fuit hoc novum Breviarium sub Paulo III, anno 1535, et concessum pro lectione privata; sed mox inordinate assumptum fuerat pro Choris plurium Ecclesiarum Cathedralium.

Plures editiones hujus Breviarii impressæ fuerunt Romæ, Coloniæ, Venetiis, Parisiis, Lugduni et Antverpiæ. Editionem Venetiis anno 1535 impressam, iterum edidit anno 1888 J.Wickham Legg, Cantabrigiæ, typis atque impensis Academiæ.

Eodem tempore Joannes Petrus Carafa, Episcopus Theatinus, socius S. Cajetani, nobilis Thienæeæ gentis, in instituendo Ordine Clericorum Regularium, qui Theatini dicuntur (cfr. Breviarium, 7 Augusti), promovere cupiens divini cultus studium, reformare intendit Breviarium, ad usum Theatinorum, ejusque reformatio anno 1529 a Clemente VII laudata fuit; et cum ipse postea esset Summus Pontifex, nomine Paulus IV (anno 1555), reformationem suam iterum correxit. Anno 1558 prohibuit novas impressiones Breviarii Cardinalis Quignonii.

VIII. Sed Paulo IV de vita decedente anno 1559, nondum perfectis iis quæ egregie inchoaverat, sub ejus

successore Pio IV, Patres Concilii Tridentini Breviarii reformationem ex ipsius Pauli IV ratione instituere cogitarunt. Instante vero anno 1563 Concilii conclusione, res infecta ad auctoritatem judiciumque Pii IV ex Decreto ejusdem Concilii relata fuit, qui, illis ipsis Patribus a Concilio ad id munus delectis Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perficiendam curavit ; ast et ipse eam absolutam non vidit, cum decessit anno 1565.

Q. 72. *Quis summus Pontifex, et quo anno, restitutum Breviarium edidit ; et quid de aliis Breviariis existentibus decrevit ?*

R. Sanctus Pius V, anno 1568, edita Bulla *Quod a nobis,* Breviarium jussu Concilii Tridentini restitutum edidit. Simul interdixit et abolevit Breviaria alia quæcumque, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis pervulgata. Illa tamen excepit Breviaria, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, ducentis annis in usu jam erant : ex hoc privilegio propria sua Breviaria retinere potuerunt aliqui Monachorum et Religiosorum ordines, Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses, aliique. (Cfr. Bulla *Quod a nobis,* data septimo Idus Julii anni 1568, descripta in capite Breviarii Romani.)

In hac S. Pii V reformatione variæ partes, ex. gr., Antiphonarium et Responsoriale, antiquo Officio Ecclesiæ Romanæ sæculi VIII conformes satis sunt ; item distributio Lectionum de Scriptura generatim eadem est quam ex antiquo Officio statuerat S. Gregorius VII ; Hymnarium sæculi XIII fuit retentum ; ita ut quoad præcipuas et substantiales partes Officium Breviarii de Camera, imo Officium sæculi VIII, ad nostra tempora hac salutari reformatione perducta fuisse gaudere liceat. Lectionarium de Sanctis in multis fuit correctum, et Calendarium Sanctorum restrictum, eo modo ut circiter 160 tantum Officia Festorum fuerint retenta, remanserintque pro Officiis de Tempore in Dominicis et Feriis per annum circiter ducenti dies liberi.

Quando hæc Bulla S. Pii V ad notitiam Orbis Catholici perlata fuit, plurimæ Ecclesiæ eamdem promptissime amplexæ sunt et ad effectum deduxerunt : citat Schober in sua Explanatione critica editionis typicæ Breviarii Romani (Cap. II, n. 17) primo Concilium Mediolanense II, sub S. Carolo Borromæo anno 1569 habitum, deinde secundo loco Concilium

Provinciale Mechliniense I, anni 1570. (Cfr. Synodicon Belgicum, Tom. I, pag. 104, Tit. IV, Cap. XVI.)

Q. 73. *Quid statuit S. Pius V in citata Bulla, de obligatione in Breviario præscripta dicendi certis diebus Officium B. Mariæ V. et Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales et Graduales?*

R. Multorum occupationibus indulgens, obligationem removit, sed vehementer omnes cohortatur ut eas preces et Dei laudes dicant; concessis etiam, omnibus qui illis ipsis diebus in Rubricis præfinitis, B. Mariæ vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dierum; qui vero septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta dierum indulgentiis. Retinuit tamen S. Pius obligationem dicendi Officium parvum B. Mariæ V. in iis ecclesiis, in quibus illud in choro dici consueverat.

Nota. I. Officium in honorem B. Mariæ Virginis quotidie adjungere Officio divino ex testimonio Petri Diaconi (monachi Cassinensis sæculi IX) præscriptum fuit sæculo VIII a S. Gregorio II monachis Benedictinis Montis Cassini. Sæculo XI S. Petrus Damianus collapsam consuetudinem illud recitandi restituit apud Camaldulenses, illiusque Officii recitationem propagavit in pluribus ecclesiis. (Cfr. Breviarium Romanum, 23 Februarii, Lectio VI.) S. Urbanus II, anno 1095, illud præscripsit clericis sæcularibus. Prima attestatio de observantia hujus recitationis apud Clerum Romanum datur in Breviario de Camera tempore Innocentii III.

In non paucis Monasteriis Religiosorum et Monachorum adhuc hodiedum, vel quotidie, vel certis diebus, in Choro dicitur hoc Officium parvum, ex. gr., apud Præmonstratenses.

Illud etiam solum, tamquam quotidianum pensum, recitant multæ Monialium Congregationes, necnon Tertiarii, aliique.

(Cfr. *Commentaire du Petit Office de la T. S. Vierge*, par Schäfer, traduit de l'allemand et augmenté par le R. P. Dom Laurent Janssens. Tournai, 1890.)

Nota. II. Officium Defunctorum ab ineunte sæculo VIII Romæ reperitur institutum tamquam præludium Sacrificii pro defunctis in dormitione oblati. Pauca si excipiantur (Responsorium 9^um^ *Libera*, et Orationes) incorruptum ad nos pervenit. Mox plures Ecclesiæ illud sæpius quam in Officio sepulturæ persolvebant, imo sæculo XI quotidiana ejus celebratio in nonnullis Ecclesiis præscripta reperitur.

In Breviario S. Pii V appositum fuit pro qualibet Feria II in Adventu et in Quadragesima, et cæteris anni temporibus pro prima mensis die non impedita Festo novem Lectionum.

Obligatio illud recitandi remanet in Commemoratione

omnium Fidelium defunctorum, quam primus S. Odilo, abbas Cluniacensis († 1049), in suis monasteriis fieri præcepit, quem ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit. (Martyrologium Romanum, 1 Januarii.)

Q. 74. *Quid in edendo Romano Breviario præstiterunt Summi Pontifices Clemens VIII, et Urbanus VIII ?*

R. Cum ex negligentia typographorum et etiam audacia nonnullorum privatorum, varii errores et quædam mutationes in quibusdam Piani Breviarii editionibus irrepsissent, Clemens VIII, anno 1602, et deinde Urbanus VIII, anno 1631, Breviarium recognoverunt. Clemens VIII præcipue textum restituit ; et insuper admisit distinctiones Festorum duplicium majorum, et Feriarum majorum. (Cfr. Bulla *Cum in Ecclesia*, data 10 Maji anni 1602, descripta in capite Breviarii Romani.) Urbanus VIII præter alia Hymnos sacros ad exactas carminis et latinitatis leges adornavit ; restituit in Psalmis et Canticis interpunctionem editionis Vulgatæ, et canentium commoditati, additis asteriscis, consuluit; emendavitque Patrum Sermones et Homilias, Sanctorumque historias ; ut omni nuga ac macula sublata, per universum orbem una unius Ecclesiæ voce laudes canerentur. Huic editioni hucusque omnia Breviaria Romana ubicumque impressa conformari debebant. (Cfr. Bulla *Divinam Psalmodiam*, data 25 Januarii anni 1631, descripta in capite Breviarii Romani.)

Q. 75. *Refer quædam notatu digna de historia Breviarii Romani, inde a fine sæculi XVII usque ad Pium IX.*

R. I. In Italia, in Hispaniis regionibusque eis subjectis, in pluribus Germaniæ partibus, reformatio Breviarii Romani promptissime accepta fuit, ita ut affirmari possit omnes singulares Ecclesias Romanum Breviarium adoptasse ; in Gallia autem non ubique fuit receptum, sed quædam Ecclesiæ illud suis propriis ritibus accommodarunt.

Verum ab anno 1680 cœperunt in Gallia, sub impulsu Gallicanismi, novæ particularium reformationes Breviarii introduci ; primo editum fuit Breviarium Parisiense, moxque in multis Diœcesibus Breviaria, juxta exemplar Parisiense, sed propriis ritibus iterum accom-

modata vulgata fuerunt ; non minus quam septemdecim Breviaria particularium Diœcesium reperire est ; imo, in nonnullis Diœcesibus Episcopi reformabant quod prædecessores statuerant, et ita reperiuntur Breviaria Parisiensia saltem quatuor vulgata a diversis Archiepiscopis. — Item in Austria et Germania, instigante nonnumquam civili gubernio, reformandi spiritus se manifestavit. Ad hæc impellebant sæpius defectus observantiæ erga Romanam Ecclesiam, et etiam novitatis cupido.

II. Summus Pontifex Benedictus XIV (1740-1758) iterum cogitavit de reformatione Breviarii, sequentibus ductus rationibus :

1° Frequentia Festorum : inde a S. Pio V, cum hoc tempore Ecclesia floruisset non paucis Sanctis, sensim creverat Kalendarium Sanctorum, ita ut medio sæculo XVIII jam celebrarentur Sanctorum Festa duplicia 132, semiduplicia 96 in Kalendario Ecclesiæ universæ ; ex qua frequentia surrexit frequentius Festorum impedimentum per occurrentiam Officiorum de Mysteriis vitæ, passionis et resurrectionis Domini, frequensque necessitas eorum translationis, unde non parva aliquando perturbatio in Kalendariis oriebatur. Dolebant quoque non pauci quod hac Festorum frequentia satis locus non daretur Officiis de Tempore in Dominicis et Feriis.

2° Necessitate occurrendi malo particularium Breviariorum, quæ in Gallia præsertim plura numero jam vulgata fuerant.

3° Desiderio corrigendi ea quæ a criticis eruditis, præsertim in Gallia a Tillemont et Baillet, tamquam non certa, nec exploratæ aut inconcussæ fidei, severiori tamen non raro judicio, habebantur.

Benedictus XIV Congregationem specialem instituit, quæ reformationi Breviarii, et præsertim Kalendarii operam daret.

Hæc, post septem annorum (1741-1747) laborem, proposuit Festorum reductionem, pluriumque ritus diminutionem, ita ut Officiis Ferialibus per majorem anni partem locus daretur. (Cfr. Analecta Juris Pontificii, Series 42, n. 214.) Opus Congregationis videtur non

placuisse Pontifici, qui anno 1748 intendit ipse correctionem Breviarii perficere ; ast infecto opere anno 1758 mortuus est. (Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*, Chapitre VI.)

III. Pius IX anno 1860 iterum particularem Congregationem pro recognoscendo Breviario deputavit ; sed a Commissione sententia data fuit quod nulla novæ recognitionis necessitas existebat.

Sub eodem Pontifice feliciter, tum in Gallia, tum in Germania aliisque regionibus, auctoritati Summorum Pontificum obtemperare, quod maxime in votis erat, studuerunt plerique Episcopi. Breviarium Romanum in Gallia introductum jam fuerat primo a Illmo Dño Parisis, Episcopo Lingoniensi, anno 1840, dein anno 1842 ab Emo Dño Gousset, Archiepiscopo Rhemensi ; mox plura Concilia provincialia et Synodi Breviarium Romanum adoptarunt, ita ut Pius IX in Encyclica ad Episcopos Galliæ anni 1853 gaudium exprimere potuerit de restituta Romana Liturgia. Ad hunc felicem exitum multum contulit Rmus Guéranger, abbas Solesmensis, præstantissimo opere : *Institutions liturgiques*, cujus Tomus primus evulgatus fuit anno 1840.

Q. 76. *Quænam in Concilio Vaticano proposita fuerunt de reformatione Breviarii ? Quid hac in re præstitit his ultimis annis Leo XIII ?*

R. I. In Concilio Vaticano a diversis Episcopis proposita fuerunt varia postulata circa revisionem Breviarii, quorum præcipua spectant :

a) Psalmorum distributionem magis variatam : ut Psalterium totum recitaretur, vel per singulas hebdomadas, vel saltem aliquoties per annum ;

b) Lectiones et Homilias Patrum : ut apocryphæ partes auferantur, et aliquando selectiores aptioresque sufficiantur ;

c) Translationes Festorum frequentes nimis, nimiumque dilatas : ut Festa impedita celebrentur suo proprio die, facta tantum eorum commemoratione ;

d) Delectum Sanctorum quorum Festa celebrantur, quorum multi Romæ proprii sunt, et extra Romam parum noti : ut alii substituantur ;

e) Mensuram Officiorum, quæ sæpe, in Dominicis præsertim et Feriis, longiora videntur, et statui præsenti cleri sæcularis, magis occupati, non satis accommodata ;

f) Tempus recitationis Officii : ut liceat anticipare, per totum annum, hora secunda post meridiem, recitationem Matutini cum Laudibus, saltem omnibus curam animarum habentibus ;

g) Unitatem et conformitatem in Officiis : ut saltem in Ecclesia latina, in omnibus diœcesibus, tum a sæcularibus, tum a regularibus, per totum annum quotidie recitentur eadem Officia et celebrentur eædem Missæ.

(Cfr. Martin, Episc. Paderbornen. : *Omnium Concilii Vaticani documentorum collectio.* Editio 2. Pars 2, Sectio 2, nn. 1 (Postulata complurium Galliæ Episcoporum) p. 165 ; — 2 (Post. plur. Germaniæ Epp.) p. 178 ; — 4 (Post. Epp. Provinciarum Quebecen. et Halifaxien.) p. 188 ; — 5 (Post. Epp. Italiæ centralis) p. 190 ; — 11 (Post. Ep. Vincentini) p. 165 ; — 15 (Post. Generalis Minorum) p. 209.

II. Suspensis Concilii Vaticani laboribus, postulata non fuerunt examinata ; attamen pro parte Summus Pontifex Leo XIII quibusdam satisfecit. Etenim :

Lectiones quædam historicæ fuerunt emendatæ (Postul. b). (Cfr. Q. 33, Nota.) — Translationes frequentiores auferuntur per commemorationes Officiorum Festorum duplicium minorum et semiduplicium, casu quo occursu majoris Festi seu Officii impediantur, solum exceptis Festis sanctorum Ecclesiæ Doctorum (Postul. c). (Cfr. Breve Leonis XIII, 28 Julii 1882, n. 3551, antiq. 5846.) — Admittentur in Kalendario Ecclesiæ universæ tantum ii præcipue Sancti, qui tamquam fidei præcones et apostoli in diversis regionibus coluntur (Postul. d). — Officia votiva per hebdomadam substitui possunt Officiis Ferialibus et Festorum simplicium (Postul. e). (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1883, n. 3581, antiq. 5879.)

Remanent Postulata a, f, et g, quorum admissio hucusque desideratur. (Cfr. Pastoral-Blatt des Bisthums Münster. XXII, 1884, pag. 112 et sqq. Zur Geschichte des Breviergebetes.)

Diversæ istæ mutationes necessariam reddiderunt novam Breviarii editionem, quæ auctoritate Leonis XIII recognita, accurate revisa, et ad normam novarum Rubricarum plane redacta, pro futuris temporibus uti typica habenda, ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, die 13 Aprilis 1885, data fuit.

Cumque hæc typica Breviarii editio, anni 1885, sensim inductis additamentis, ac præsertim Rubricarum variationibus, a S. Rituum Congregatione die 7 Decembris 1897 decretis, haud amplius sit conformis, nova editio, ceu typica pro futuris editionibus habenda, excusa et evulgata fuit anno 1900.

Nota. Forsan et alias emendationes, imo et reformationem Breviarii Romani ulterius exspectare licet.

Etenim dictum jam fuit S. Rituum Congregationem, probante Summo Pontifice Leone XIII, per Decretum 28 Novembris 1902, constituisse Commissionem historico-liturgicam, cujus erit revolvere, dilucidare, enodare quæstiones præsertim illas, quæ eventualem respicere possunt emendationem aut reformationem Breviarii. (Cfr. Nota ad Q. 9, et Nota ad Q. 33.)

Præterea anno 1900 prodiit libellus : *Le Saint Bréviaire et son avenir, par Monseigneur Isoard, Evêque d'Annecy.* Paris et Annecy. Finis quem intendit auctor est : « faire naître en quelques esprits la pensée d'une sollicitation des mesures propres à rendre plus fructueuse, pour les âmes, pour la Sainte Eglise, la récitation du Bréviaire. » Medium propositum est reformatio Breviarii, per reductionem Festorum, et per distributionem Psalterii, eo modo ut per singulas hebdomadas integrum semper recitetur, ut in antiquitate observatum fuit. — Iterum profertur itaque Postulatum *a* (vide supra I) in Concilio Vaticano propositum. Res gravitate præstat. Notant Ephemerides Liturgicæ in recensione de libello (XV, 1901, pag. 193), auctorem gratulatorias litteras, etiam a Purpuratis Patribus, multas accepisse.

Q. 77. *Quænam est Officiorum dispositio in Romano Breviario servata ?*

R. Breviarium Romanum pro quatuor anni temporibus ordinarie distribuitur in quatuor partes : Prima pars, Hiemalis, Officia continet tam de Tempore quam de Sanctis, quæ ab initio Adventus ad Dominicam I Quadragesimæ possunt occurrere. — Secunda pars, Verna, habet Officia, quæ incidunt tempore Quadragesimali et Paschali usque ad Nonam Sabbati infra Octavam Pentecostes, post quam, celebrata Missa, com-

pletur Tempus Paschale. — Pars tertia, Æstiva, a Festo SS. Trinitatis incipit, decurrens usque ad primam Dominicam Septembris, in qua sumitur quarta pars, **Autumnalis**, quæ protrahitur usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, quæ reducit ad Adventum.

Pro Festis Sanctorum singula ex quatuor partibus continet Officia sequentia : **Hiemalis**, a 29 Novembris, pro Commemoratione S. Saturnini, Martyris, usque ad 12 Martii, in Festo S. Gregorii I, Papæ, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris ; — **Verna**, a 6 Februarii, in Festo S. Titi, Episcopi et Confessoris, usque ad 19 Junii, in Festo S. Julianæ de Falconeriis, Virginis ; — **Æstiva**, a 3 Maji, in Festo Inventionis S. Crucis, usque ad 2 Septembris, in Festo S. Stephani, Hungariæ Regis, Confessoris ; — **Autumnalis**, a 29 Augusti, in Festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, usque ad 2 Decembris, in Festo S. Bibianæ, Virginis et Martyris.

In qualibet parte præmittuntur præludia quædam, nempe : 1° Bullæ diversæ Summorum Pontificum ; necnon litteræ Ordinarii, quibus constet de imprimendi facultate, de omnimoda cum authenticis Romanis exemplaribus consonantia, et de evulgandi licentia ; (de imprimendi et evulgandi conditionibus agitur in Tractatu de celebratione Missæ, Q. 153 ; quæ ibi dicta sunt pro Missali æquo jure applicantur Breviario) ; — 2° Expositio de Anno et ejus partibus, seu Computo Ecclesiastico ; — 3° Kalendarium ; — 4° Rubricæ generales.

Sequitur tunc ipsum Breviarium, cujus sectiones sunt quinque : 1° **Psalterium** per hebdomadam dispositum, cum Ordinario Officii de Tempore ; quod Ordinarium continet Invitatoria, Hymnos, Antiphonas, Capitula cum suis Responsoriis, Versus, Preces et Suffragia, in singulis Officiis Dominicarum et Feriarum dicenda. — 2° **Proprium de Tempore**, in quo Dominicales et quotidianæ Feriarum Lectiones cum Responsoriis, et Orationes assignantur ; et notantur ritus peculiares diversis anni temporibus convenientes. Ibi reperiuntur Festa præcipua de Mysteriis vitæ, passionis et resurrectionis Domini, Sanctissimæ Trinitatis, Sancti Spiritus. — 3° **Proprium Sanctorum**, continens Lectiones, Orationes et reliqua, si habeantur propria, dicenda in Officiis quæ recitantur in Sanctorum Festis, et

etiam in quibusdam secundariis Festis Domini, ex. gr., Sanctissimi Nominis Jesu, Sacratissimi Cordis, Pretiosissimi Sanguinis, Transfigurationis, etc. Excipiuntur ea Sanctorum Festa quæ occurrunt inter Nativitatem et Epiphaniam Domini, quæ reperiuntur in secunda Breviarii sectione, seu Proprio de Tempore. — 4° **Commune Sanctorum**, in quo traduntur omnia quæ spectant Psalmodiam, Lectiones et Orationes, communiter seu generatim eadem dicenda in Officiis Sanctorum ejusdem classis (classes autem variæ ordinatæ habentur, nempe Apostoli, Martyres, Pontifices, Confessores, Sanctæ Virgines, Sanctæ non Virgines); item in Dedicatione Ecclesiarum, et in Festis ac Officiis B. Mariæ V. per annum. — 5° **Appendix** Breviarii, continens : 1° Officium parvum B. Mariæ V. ; 2° Officium Defunctorum ; 3° Psalmos Graduales et Pœnitentiales cum Litaniis majoribus ; 4° Ordinem commendationis animæ ; 5° Benedictionem mensæ ; 6° Itinerarium Clericorum.

Istæ quinque sectiones constituunt Breviarium Romanum proprie dictum. Adjunguntur dein ordinarie Officia quæ ab Ecclesia universali non sunt celebranda aut celebrata, nempe : 1° Officia votiva per annum pro singulis hebdomadæ diebus, quæ sub statis conditionibus ad libitum recitari possunt loco quorumdam Officiorum ipsius Breviarii ; — 2° Officia Festorum quæ aliquibus locis concessa sunt, et ex privilegio celebrantur, et ab aliis privilegio non gaudentibus celebrari non possunt ; — 3° Officia dicta Diœcesana, nempe Festorum quæ unicuique Diœcesi exclusive celebrare indulsit Apostolica Sedes.

Nota. I. Dictum fuit Breviarium ordinarie distribui in quatuor partes, quæ sunt Hiemalis, Verna, Æstiva, Autumnalis ; pro commoditate utentium introducta fuit hæc distributio ; nam proprie Breviarium uno constat volumine, quod tunc « Totum » vocatur, in quo Officia totius anni describuntur a Dominica I Adventus usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, et pro Festis a die 29 Novembris, pro Commemoratione S. Saturnini, Martyris, usque ad eamdem diem 29 Novembris, pro Vigilia S. Andreæ, Apostoli. — Hujusmodi Breviarium Totum aliquando etiam eo modo componitur, ut Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum divisa habean-

tur in plures fasciculos. — Generalis est usus Breviarii in quatuor partes distributi.

Nota. II. Pro commoditate Cleri ad recitationem Officii usuvenit liber specialis, inscriptus : **Horæ diurnæ Breviarii Romani**; continet pro toto anno omnes Horas quæ censentur recitari a summo mane usque ad noctem, seu per diem, nempe Laudes Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium ; ergo omnes Horas Officii præter Nocturnos Matutini. — Editur cum approbatione S. Rituum Congregationis, et evulgata fuit etiam Editio typica.

Insuper pro commoditate Cleri ediderunt Typographi varios libellos continentes varia Officia e Breviario extracta ; exstant nempe sequentes : — Officium Hebdomadæ Sanctæ et Octavæ Paschæ, secundum Missale et Breviarium Romanum ; — Officia votiva per annum a SS. D. Leone XIII concessa, sine vel cum additamentis quæ ad Officia ista integre recitanda pertinent ; — Officia de Passione Domini quæ recitantur statis diebus a Septuagesima usque ad Tempus Passionis ; — Officia Festorum majorum eorumque Octavarum, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, Festi Omnium Sanctorum cum Officio Defunctorum. — Hæc omnia eduntur cum debita licentia et approbatione Ordinarii, sed horum editiones typicæ non reperiuntur.

Q. 78. *Quid est Martyrologium ? Da breves regulas de ejus usu.*

R. I. **Martyrologium** vi vocis idem est ac **Sermo de testibus** : martyr enim testem significat, quia Martyres Christi fidem suo sanguine testati sunt, quod et confessione sua alii Sancti fecerunt ; quorum etiam habetur in Martyrologio memoria, sed a potiore Sanctorum parte, nempe a Martyribus sumitur appellatio. — Martyrologium Catalogus est Sanctorum, addito ut plurimum aliquo brevi in uniuscujusque laudem elogio, ita dispositus ut memoriæ Sanctorum suis per annum propriis festisque diebus recenseantur.

Antiquissima est Martyrologii origo ; varia enim prodierunt in Oriente Martyrologia sæculis quarto et quinto, et in Africa circa annum 525 ; quibus successit celebre illud Martyrologium quod Hieronymianum appellatum fuit, quamquam certissime Sancto Doctori non debeat tribui. Hujus ætatem fere attingunt, sæculo VII nempe vel ineunte VIII conscripta, Martyrologium quod Vetus vel Parvum Romanum nuncupatum est, et Bedanum, confectum scilicet a Sancto Beda

Venerabili († 735), quod tamen in codicibus nondum repertum est purum, sed interpolationibus Flori, Subdiaconi Lugdunensis, circa annum 830 auctum. Deinde sæculo IX ex ordine concinnata sunt Martyrologia Rabani Mauri, Archiepiscopi Moguntini († 856), Adonis, Archiepiscopi Viennensis († 875), et omnium latinorum maxime celebratum Usuardi, monachi Sangermanensis apud Parisios († 876 ?).

Martyrologium Usuardi editum fuit a Molano, Doctore Lovaniensi, anno 1573. Ex Usuardino tandem, opera præcipue Cæsaris Baronii († 1607) emendato et aucto, auctoritate Sanctæ Sedis ortum est Martyrologium Romanum, quod Litteris Apostolicis die 14 Januarii 1584 datis approbatum, pro usu liturgico solum adhibendum præscripsit Gregorius XIII. Postea fuit recognitum auctoritate Urbani VIII et Clementis X ; auctum et castigatum labore et studio Benedicti XIV, anno 1749 ; et iterum diligentissime recognitum et emendatum jussu Pii IX, anno 1873. Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio, probante Summo Pontifice Leone XIII, novam editionem imprimi decrevit, ad instar cujus omnia alia imprimi debent, accedente auctoritate Ordinarii loci ubi imprimuntur. (Cfr. De Smedt, *Introductio generalis ad historicam ecclesiasticam*. 1 vol. Bruxellis, 1876, pag. 127 ; H. Laemmer, *De Martyrologio Romano, Parergon* historico-criticum. 1 vol. Ratisbonæ, 1878 ; Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900, pag. 202.)

II. Pro ritu legendi Martyrologium sint sequentes breves regulæ excerptæ ex Rubricis ipsius Martyrologii Romani, et ex variis S. Rituum Congregationis Decretis.

1. Martyrologii lectio in peragendo divino Officio in Choro præcepta est ; in recitatione privata magnopere cupit Summus Pontifex Gregorius XIII, ut omnes illud quotidie legant. Triduo ante Pascha lectio omittitur.

2. Martyrologii lectio recitatur ad Primam, ante versum *Pretiosa* ; lector non petit benedictionem, sed absolute incipit ; in fine semper additur : *Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, et Confessorum, atque sanctarum Virginum*. Et respondetur : *Deo gratias*.

— In Choro Martyrologium cantatur in Tono Lectionum Matutini, quemadmodum describitur in ipso Martyrologio post Rubricas.

3. Legitur semper præcedenti die lectio illa quæ indicationes et memorias Sanctorum sequentis diei continet. Primum indicantur Kalendæ, Nonæ vel Idus, deinde quantitas Lunæ, tunc leguntur memoriæ Sanctorum, addita in fine conclusione ut supra.

4. Festa, de quibus eo die fiet Officium, semper primo loco ponuntur. Pro observatione hujus regulæ sequentia notantur :

a) Quidam Sancti, quorum Officia fiunt in particularibus locis, elogium non habent in Martyrologio, quales sunt nonnulli qui in nostra Diœcesi coluntur ; in casu pridie ejus Festi enuntiabitur primo loco nomen hujus Sancti, addita, pro elogio, ejus qualitate ; ex. gr., ad Undecimo Kalendas Martii (19 Februarii) : *Sancti Bonifacii, Episcopi et Confessoris.*

Nota. Beati non canonizati in Martyrologio adscribi vel imprimi non possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 31 Augusti 1680, n. 1651, antiq. 2927.) Attamen, quando celebratur alicujus Beati Festum, nominari potest, et quidem primo loco.

b) Quando alicujus Sancti Officium transfertur, sive perpetuo, sive accidentaliter, dicitur quidem ejus elogium in sua propria die quemadmodum datur in Martyrologio ; pro die translationis vero iterum annuntiatur, sed breviter ; ex. gr., *Officium Sancti N.* (addita qualitate), *cujus festum fuit*, vel, *de quo agitur* (data indicatione Kalendarum). (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1741, n. 2365, ad 4, antiq. 4119, ad 8 ; et 7 Decembris 1844, n. 2872, ad V, 1, antiq. 4985, ad X, 1.)

c) Festa mobilia, singulis annis diversis diebus celebranda, partim reperiuntur nuntiata in principio ipsius Martyrologii ; reliqua etiam suis diebus annuntiantur.

d) Dies infra Octavam alicujus Festi numquam annuntiatur, etiamsi de ea fiat Officium ; sed Octava dies cujuscumque Festi habentis Octavam annuntiatur, primo loco si de ea fit Officium, secundo loco si ejus tantum fit commemoratio.

e) Vigiliæ enuntiantur semper primo loco ante Festa quæcumque ; et si propter Dominicam Vigiliæ alicujus Officium anticipatur in Sabbatum, aut si Festum cujus Vigilia est transfertur, semper tamen annuntiatur Vigilia ea die tantum qua in Martyrologio describitur.

f) Officia Votiva debent annuntiari. (S. Rituum Congregatio, Decret. 8 Augusti 1835, n. 2735, antiq. 4767, ad 4.)

g) De Dominicis (exceptis Dominicis Septuagesimæ et Palmarum), de diebus infra Octavas, et de Feriis (exceptis Feriis IV Cinerum, et V in Cœna Domini), nihil in Martyrologio annuntiatur.

5. Speciale datur initium lectionis Martyrologii quæ fit in die festo Paschæ ; etenim, quia in Sabbato sancto Martyrologium non legitur, ut dictum fuit supra n. 1, Pascha annuntiatur ipsa die Festi Paschæ in Prima : antequam legantur Kalendæ sequentis diei, omnibus detecto capite stantibus, dicitur : *Hac die quam fecit Dominus, Solemnitas solemnitatum, et Pascha nostrum : Resurrectio Salvatoris nostri Jesu Christi secundum carnem*; deinde, omnibus sedentibus, pronuntiantur Kalendæ, et legitur Martyrologium sequentis diei.

6. Singularis ritus observatur in Vigilia Nativitatis Domini ; etenim, dictis præcedentibus tono consueto, ad verba : *in Bethlehem Judæ nascitur ex Maria Virgine factus homo*, omnibus genua flectentibus, extollit Lector vocem ad quartam superiorem ; dein versum sequentem, nempe : *Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem*, altius cantat in tono Passionis, uti describitur in Martyrologio post Rubricas. Quod sequitur dicitur in tono Lectionis consueto. — In nonnullis Ecclesiis hoc Martyrologium solet solemniter cantari ab Hebdomadario, cum Stola et Pluviali, thure et luminaribus. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 12-18 Novembris 1831, n. 2684, antiq. 4672, ad 21.) — Non permittit S. Congregatio ut, ob majorem solemnitatem, hoc Martyrologium, Vigiliæ proprium, solemniter cantetur in ipso Festo Nativitatis. (Decret. 22 Januarii 1707, n. 2176, antiq. 3759.)

CAPUT II

De Præludiis Breviarii Romani

ARTICULUS I

De Computo Ecclesiastico

Q. 79. *Quid intelligitur per Computum Ecclesiasticum ?*

R. Per Computum Ecclesiasticum intelligitur ratio computandi varia tempora anni ecclesiastici, præsertim Pascha, et certificandi tempus secundum solis et lunæ progressum.

Dici vix potest, quanta cum sollicitudine curatum per veteres canones sit, ut Presbyteri notum haberent Computum Ecclesiasticum.

Postea per Concilium Tridentinum sancitum quoque fuit (Sess. XXIII, Cap. 28, de Reformatione) quod juvenes in Seminariis recepti « Computi Ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent ». Etiamsi Computi notionis necessitas hodiedum minor existat, ex quo quotannis ab Ordinariis locorum edantur Kalendaria, seu Ordines, seu Directoria ecclesiastica, in quibus Festa et Officia per annum assignantur, attamen de valore Tridentinæ sanctionis nihil hucusque detractum fuit, et jure optimo præscribitur ut clerici illis materiis erudiantur, quæ ad usus ecclesiasticos, ad intelligentiam Missalis ac Breviarii, atque ad ordinanda Festa mobilia scitu necessaria sunt. (Cfr. Nilles, *Selectæ Disputationes Juris ecclesiastici.* Fasciculus I. Disput. III. *De studio rei Kalendariæ.* Œniponte, 1886.)

Variæ his ultimis annis editæ fuerunt explicationes Computi Ecclesiastici ; qui cupiunt ejus notionem perspicuo necnon perutili modo propositam, utrumque reperient in præclaro opusculo : « *Essai sur la théorie du Calendrier. Comput ecclésiastique, par F. J. Piscé.* » Malines, Dessain. 1887.

Q. 80. *A quo momento computatur in Ecclesia diei initium?*

R. 1° Pro præceptis colendi dies festos, observandi jejunia ecclesiastica, quivis dies a media nocte initium, mediaque nocte quæ sequitur finem accipit. Item pro lucrandis Indulgentiis, si deest in Indultis ulla clausula, juxta Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, 12 Januarii 1878 (n. 434, ad 1).

2° Pro Horis canonicis, Ecclesia diem Hebræorum assumit, et in Festis Officia divina a (primis) Vesperis ad (secundas) Vesperas celebrat, diem ecclesiasticum ita a vespera in vesperam computando: « A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. » (Levit. XXIII, 32.)

3° Ad diem natalem alicujus Sancti quod pertinet, Ecclesia plerumque diem illum Sancto natalem assignavit, in cujus aliqua hora a media nocte ad mediam noctem contigit ipsum ex hac vita transire.

Q. 81. *Quis est mos ecclesiasticus designandi dies hebdomadæ?*

R. Ecclesia dies distinguit nomine Feriarum, dato Feriæ I nomine Dominicæ, cui succedunt secunda et sequentes usque ad sextam, et retento Feriæ VII nomine Sabbati. Ita statuit S. Silvester Papa, quo Feriarum nomine significaretur, quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. (Cfr. Lectio VI in Festo S. Silvestri, 31 Decembris.) In Kalendario dies signantur septem prioribus alphabeti litteris, quæ totidem diebus hebdomadæ respondent: prima Januarii dies signatur littera *A*, sequentes usque ad septimam litteris *B* ad *G*, dein ab octava Januarii eædem repetuntur litteræ; ita ut per totum annum juxta numerum hebdomadarum anni quinquagies et bis occurrant ($52 \times 7 = 364$), littera *A* vero pro superflua die, nempe 365ª, quinquagies et ter adhibeatur.

Q. 82. *Explica usum litteræ Dominicalis.*

R. Si prima Januarii dies quæ littera *A* signatur, Dominica est, Dominicæ erunt omnes totius anni dies

eadem littera in Kalendario signatæ usque ad ultimam anni diem inclusive ; unde anno sequenti, qui initium proinde a Feria secunda sumet, littera *A* designabit Ferias secundas, dies Dominicas vero designabit littera *G* ; et ita porro omnes istæ litteræ designabunt dies Dominicas uniuscujusque anni successive, sed ordine retrogrado. Itaque si anno 1902 littera Dominicalis est E, anno sequenti 1903 erit D.

Q. 83. *Describe distributionem, more Romano, dierum in mense.*

R. Distribuuntur in tres ordines, scilicet **Kalendas, Nonas et Idus.** — **Kalendæ** prima cujuslibet mensis die occurrunt. — Medium circiter mensis tenent **Idus**, quæ contingunt, vel in die 15ª, scilicet mensium Martii, Maji, Julii et Octobris ; vel in die 13ª, scilicet reliquorum mensium. — **Nonæ** sunt nona dies ante Idus ; contingunt ergo in die 5ª vel 7ª mensis, prout Idus sunt 13ª vel 15ª die mensis. — Reliquæ dies inter Kalendas, Nonas et Idus, ab his ipsis diebus numerantur, sed a retro, usque ad diem alterius denominationis ; ex. gr., 2ª Januarii dicitur *Quarto Nonas Januarii*, id est, quarta die ante Nonas ; sequitur *Tertio Nonas Januarii*, pro die 3ª *etc.* ; 6ª Januarii dicitur *Octavo Idus Januarii* ; sequuntur *Septimo, Sexto, Quinto*, etc., *Idus Januarii*, pro diebus 7ª, 8ª, 9ª etc., Januarii ; 14ª Januarii dicitur *Decimo nono Kalendas Februarii*, id est, die 19ª ante Kalendas Februarii ; sequentibus successive retro nominatis, scilicet : *Decimo octavo* —, *Decimo septimo* —,... *Tertio Kalendas Februarii*. Notandum, quod ultima dies ante Nonas, Idus, vel Kalendas, numquam dicitur *Secundo Nonas, Secundo Idus*, vel *Secundo Kalendas*, sed designatur per nomen *Pridie*, nempe *Pridie Nonas, Pridie Idus, Pridie Kalendas.*

Q. 84. *Quandonam Ecclesia inchoat annum ?*

R. Olim computabatur a sancto die Paschæ ; verum a sæculo VI placuit notare annorum tempora ab Incarnatione, et postea etiam a Nativitate Domini.

Hodiedum : 1° in subscriptione Brevium Pontificiorum anni initium ducitur a die Nativitatis Domini ; 2° in Bullis sub plumbo datis, notatur a die Incarnatio-

nis Verbi ; 3° in divinis Officiis Ecclesia annum inchoat ab Adventu Domini, qui incipit a Dominica quæ propinquior est Festo S. Andreæ Apostoli, vel quæ incidit in hoc Festum occurrens 30 Novembris ; 4° in foro et publicis negotiis, ab initio Januarii annus inchoatur.

Q. 85. *Quomodo dividitur annus ecclesiasticus ?*

R. In Kalendario Sanctorum dividitur sicut annus civilis, et menses duodecim habet, quorum primus olim erat Martius, uti et hodiedum probant nomina mensium Septembris, Octobris, Novembris et Decembris, qui tunc erant anni menses septimus, octavus, nonus et decimus, licet hodie ex quo Januarius est mensis primus, sint menses in anni civilis ordine nonus, decimus, undecimus et duodecimus.

Prout vero per annum occurrunt Festa et Officia de Tempore, annus ex intentione Ecclesiæ mentis oculis subjicit Christi Domini vitam, mortem et resurrectionem, necnon regni ejus originem atque incrementum post Spiritus sancti adventum, et tres Cyclos habet, scilicet Cyclum Nativitatis, Cyclum Paschatis et Cyclum Pentecostes.

Cyclus Nativitatis complectitur : 1° præparationem ad Festum Nativitatis per exspectationem seu Adventum, qui quatuor Dominicas præcedentes numerat ; 2° ipsum Festum ; et 3° quæ sequuntur Festivitates, et Officia, usque ad Septuagesimam, adjuncto Festo Purificationis ; quibus celebrantur infantia, vita privata et initium prædicationis Christi.

In Cyclo Paschatis, qui mobilis est et quotannis diverso tempore occurrit, habentur : 1° præparatio ad Pascha per Quadragesimam, cujus præludium est tempus a Dominica Septuagesimæ currens ; 2° ipsum Festum ; 3° quæ sequuntur usque ad Octavam Ascensionis Domini, vel potius usque ad Feriam VI post hanc Octavam inclusive. (Non itaque eousque se extendit Cyclus Paschalis, quousque Tempus Paschale, per quod regitur specialis modus recitandi Officia divina celebrandique Missas ; Tempus Paschale explicit tantum post Nonam et Missam Sabbati infra Octavam Pentecostes.)

Cyclus Pentecostes, qui sequitur mobilitatem Cycli Paschatis, complectitur : 1° Vigiliam Pentecostes ; 2° ipsum Festum ; 3° totum tempus sequens (in quo celebrantur præcipua Festa SS. Trinitatis et SS. Corporis Christi) quod currit usque ad finem anni ecclesiastici, per hebdomadas circiter viginti quatuor.

Q. 86. *Explica terminum « anni bissextilis ».*

R. Annus in serie quatuor annorum ultimus, cui una dies additur (constituta ex sex horis quæ singulis annis supra 365 dies supersunt), dicitur bissextilis, quia dies addititia (4×6 horæ $= 24$ horæ, seu una dies) alligatur sextæ ante Kalendas Martii (24 Februarii), quæ bis in Kalendario ecclesiastico numeratur. Nota quod Kalendarium civile post 28 Februarii addit 29^{am} diem. — Alligatur hæc dies addita mensi Februario finienti, quia olim anni finis tunc erat, ut dictum fuit supra Q. 85.

Q. 87. *Quæ est consequentia hujus insertionis, tum in Kalendario, tum in Martyrologio ?*

R. (Cfr. in Breviario Kalendarium ad mensem Februarium.) Officium et Commemoratio Vigiliæ S. Mathiæ omittitur VII° Kalendas Martii (23 Februarii), et transfertur ad VI° Kalendas (24 Februarii) ; item Festum S. Mathiæ transfertur a VI° Kalendas Martii (24 Februarii) ad VI° Kalendas Martii (secundo) (25 Februarii). — Littera *F* quæ designat hebdomadæ diem, bis servit, 24 et 25 Februarii, et Littera Dominicalis quæ assumpta fuit a principio mensis Januarii usque ad hanc diem, mutatur in præcedentem ; ex. gr., si a Januario hucusque fuerit *C*, mutatur in præcedentem quæ est *B* (ita res se habet anno bissextili 1904) ; si fuerit *E*, mutatur in *D* (anno 1908) ; unde in Tabellis duæ notantur Litteræ Dominicales pro hujusmodi anno bissextili.

Q. 88. *Indica causam ex qua anno 1582 annus solaris in Kalendario recesserat diebus circiter decem a cursu solis. Quomodo errorem præteritorum annorum correxit Gregorius XIII ? Quid idem Pontifex statuit ut in posterum idem error vitaretur ?*

R. I. Cum annus habeat dies 365, et horas fere sex,

ad quarum complementum minuta 11 deficiunt, et illæ sex horæ diu pro integris supputatæ fuissent, factum est ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut constituerint, inde a Concilio Nicæno (anno 325) ad annum 1582, dies decem, quibus æquinoctium vernum, quod ad XII° Kalendas Aprilis (21 Martii) a Concilio fuerat constitutum, a sua sede recesserat : unde error pro celebratione Paschatis necessario oriebatur.

II. Gregorius XIII huic malo occurrens, ut æquinoctium vernum ad XII° Kalendas Aprilis restitueretur, statuit (Bulla *Inter gravissimas*, 28 Februarii 1582) ut dicti decem dies in mense Octobris anni 1582 eximerentur, et post 4 diem Octobris, S. Francisco sacram, sequens dies esset non 5 sed 15 Octobris. Correctio facta fuit mense Octobris, quia in detractis diebus pauci dies festi tunc temporis occurrebant. — Hac nocte, 4 inter et 5 Octobris, animam Deo reddidit S. Teresia, cujus, juxta præsentem emendationem, dies mortis ab Ecclesia habita, et Festi celebratio statuta fuit Idibus (15) Octobris. (Cfr. Breviarium, Lectio VI in Festo S. Teresiæ.)

Hæc emendatio statim a Catholicis omnibus in usum deducta fuit. Protestantes Germaniæ tantum anno 1700, Angliæ tantum anno 1752 Catholicis accesserunt, sola respectu Paschatis remanente differentia apud Germanos, quæ tamen etiam anno 1778 sublata fuit. Russiaci vero, et Græci schismatici, necnon plerique Græci Catholici qui cum schismaticis permixte vivunt, nondum correctionem Gregorianam receperunt : unde differentia eorum Kalendarii a Gregoriano hodie tredecim jam dierum est, ita ut 1 Januarii 1901 apud eos tantum occurrit, quando notatur 14 Januarii nostri Gregoriani Kalendarii ; quod notatur in documentis sequenti modo : $\frac{14}{1}$ Januarii 1901 $\frac{\text{novi styli}}{\text{veteris styli}}$; vel 14 Januarii n. s., vel 1 Januarii v. s. — Fertur Russiacos hodiedum cogitare de Kalendario Gregoriano recipiendo.

III. Quoniam vero memorata 11 minuta spatio annorum 131 faciunt summam integræ diei circiter, et tractu annorum 400 efformant tres dies, a singulis tribus sæ-

culis successivis Gregorius XIII demit unam diem in annis centesimis 1700, 1800, 1900, relicto quarto sæculo integro ; quare statuit, ut post annum 1600, anni centesimi non omnes bissextiles essent (Februario dies 29 continente), sed in quibusque quadringentis annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur, quartus vero quisque centesimus esset bissextilis. — Quapropter annus 1900, licet quartus post bissextilem 1896, ipse bissextilis non fuit ; et primus bissextilis post 1896 occurrit tantum anno 1904.

Q. 89. *Quid est aureus numerus ?*

R. Aureus numerus est Cyclus seu Periodus 19 annorum, quibus evolutis novilunia ad easdem dies recurrunt. Aureus numerus anni 1904 indicatur 5 ; id est, annus 1904 est quintus Cycli seu Periodi, qua ab anno 1900 incepit nova series noviluniorum, quæ recurrunt iisdem diebus quibus advenerant ante 19 annos. — Vocatur **Aureus numerus**, quia Athenis quotannis indicabatur aureo signo in monumento quodam publico ; dicitur etiam **Cyclus decennovennalis**, **Cyclus Lunaris**. Ejus usus est ad determinandum Festum Paschatis.

Q. 90. *Quid est Epacta ?*

R. Epacta est numerus indicans ætatem lunæ quæ lucet ad 1^{am} Januarii. — Cum annus solaris habeat dies 365, annus lunaris vero dies tantum 354, solarisque ideo excedat lunarem diebus numero 11, sequitur quod anno sequenti novilunia contingant 11 diebus prius quam anno præcedenti, seu quod 11 dies debeant adjungi (ἐπάγειν) anno lunari, ut æquet annum solarem : dies 11 adjungendi constituunt Epactam sequentis anni ; inde si dicitur Epactam primi anni esse 11, secundi anni Epacta erit 22, tertii vero 3, rejectis a numero 33 diebus 30 qui constituunt lunationem. Anno 1904 Epacta notatur numero XIII ; hoc significat lunam quæ 1^{a} Januarii lucet jam absolvisse dies tredecim mensis lunaris (et revera ultimum novilunium anni 1903 indicatur in Kalendario ad 19 Decembris) ; et ideo post dies septemdecim incipientis anni 1904 haberi novilunium ; (primum novilunium anni 1904

adsignatur 18 Januarii). Ultimum novilunium anni 1904 indicatur ad 8 Decembris ; igitur Epacta sequentis anni 1905 notabitur numero XXIV. — In Kalendario Breviarii Romani Epactæ indicantur numeris triginta, ordine retrogrado juxta singulos dies mensis positis (trigesima notatur non numero sed asterisco) ; et quoties occurret per annum numerus Epactæ pro anno assignatæ, incipiet hac die novilunium. Notandum vero remanet, novilunium indicatum in Kalendariis ecclesiasticis non semper correspondere indicationi datæ juxta computum astronomicum.

Q. 91. *Quid est Indictio Romana ?*

R. Indictio Romana est periodus 15 annorum a 1° ad 15^{um}, quibus revolutis, iterum reditur ad unitatem : quilibet annus hujus Cycli in Bullis Pontificiis usitati initium sumit a 1^{a} Januarii. Incepit usus hujus Cycli anno post Christum natum 313, sub Constantino magno, qui in favorem civium statuit, anno 312, quod, post singulum 15 annum sequentem, fieret nova æstimatio bonorum, nova repartitio tributorum, etc.

Anno 1902 Indictio indicatur XV ; est igitur decima quinta periodi, quæ anno 1888 incepit, postquam præcedens terminata fuerat anno 1887. Hæc Indictionis periodus ergo anno 1902 terminum suum habet, unde annus 1903 primus erit est periodi incipientis, et pro eo indicatur Indictio I ; pro anno 1904 indicatur Indictio II.

Q. 92. *Quid est Cyclus Solaris ?*

R. Cyclus Solaris est periodus 28 annorum, quibus revolutis, Litteræ Dominicales recurrunt eodem ordine. Dicitur Solaris, non quod motum solis aliquem designet ; sed quia ejus ope ordo Litterarum Dominicalium dignoscitur : Dominicus dies enim olim dies Solis appellabatur. Non est amplius in usu post reformationem Kalendarii, et unice inservit ejus indicatio ad dignoscendum Litteras Dominicales annorum ante Kalendarii reformationem.

Annus 1904 est nonus periodi quæ incepit anno 1896, ideoque numerus 9 indicatur pro Cyclo Solari hujus anni.

Q. 93. *Quid est Littera Martyrologii ?*

R. Littera Martyrologii est littera quæ per numerum, in Martyrologio singulis anni diebus sub ea subscriptum, indicat quota luna sit pronuntianda singulis diebus totius anni. Litteræ Martyrologii, numero triginta, nihil aliud sunt quam Epactæ, quæ in Martyrologio non numeris sed triginta diversis litteris minusculis ac majusculis notantur, ne forte in Luna pronuntianda fieret error aut confusio inter numeros Cycli Epactarum, et numeros designantes quot dies habet Luna. Litteræ in hunc finem assumptæ sunt a ad u minusculæ, et A ad P majusculæ, omissa littera o minuscula, et bis assumpta littera F majuscula.

Anno 1904 Epacta est XIII, cui correspondet in tabella Litterarum Martyrologii littera n minuscula : sub littera n ad 1^{am} Januarii notabitur luna 14^{a} ; 2^{a} Januarii luna 15^{a} ; et ita successive pro omnibus diebus anni. Ad 31 Decembris hujus anni notatur sub littera n luna 24^{a}; ut dictum fuit Quæstione 90, Epacta seu ætas lunæ ad incipientem annum sequentem 1905 est igitur XXIV; huic Epactæ correspondet littera E majuscula, quæ erit Littera Martyrologii pro sequenti anno 1905 ; et revera ad 1 Januarii sub littera E indicatur luna 25^{a}.

Q. 94. *Quandonam ex Decreto Concilii Nicæni debet celebrari Pascha ?*

R. Pascha ex Decreto Sacri Concilii Nicæni celebrari debet die Dominica quæ sequitur decimam quartam seu plenam lunam lucentem post XX^{am} Martii. — In Breviario dicitur quod Pascha celebrari debet die Dominica quæ proxime succedit decimæ quartæ Lunæ primi mensis, et additur: « is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus decima quarta Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur. » — Celebrari ergo numquam potest Pascha ante 22^{am} Martii, nec post 25^{am} Aprilis ; etenim, ut quamprimum Pascha celebrari possit, requiritur ut 21^{a} Martii occurrat Sabbato, et simul hac die habeatur 14^{a} luna : die sequenti Dominica, 22^{a} Martii erit Pascha. — Ut quam tardissime

celebrari possit, debet 14ª seu plena luna haberi 20ª Martii ; 14ª luna sequens tunc habebitur 18ª Aprilis sequente ; debet insuper 18ª Aprilis occurrere die Dominica : Pascha tunc celebrabitur 25ª Aprilis, quæ est dies Dominica sequens 14ªm seu plenam lunam 18æ Aprilis, quæ prima plena occurrit post 20ªm Martii. Celebratio hæc tardissima occurrit anno 1886.

Q. 95. *Indica usum Tabularum Paschalium, pro determinando Paschate anni cujuscumque.*

R. In omni Kalendario Breviarii Romani delineantur duæ Tabulæ Paschales pro determinando Paschate anni cujuscumque ; et deinde Tabella Festorum mobilium pro annis in ipsa Tabella assignatis, quæ ideo vocatur Tabella temporaria.

I. Prima Tabula delineata vocatur **Tabula Paschalis antiqua reformata** ; ad Paschatis diem alicujus anni determinandum, in ipsa quæritur primum Epacta anni aliunde jam nota, dein Littera Dominicalis anni (posterior, si annus sit bissextilis) occurrens prima vice infra Epactam : e regione istius Litteræ Dominicalis continentur suis diebus occurrentia omnia Festa mobilia anni, inter quæ Pascha.

Exemplum : Epacta anni bissextilis 1904 est XIII ; Littera Dominicalis posterior est B : e regione B primo adscriptæ post Epactam XIII reperitur Pascha ad 3 Aprilis. — Epacta anni 1905 est XXIV, littera Dominicalis est A : e regione A primo adscriptæ post Epactam XXIV reperitur Pascha ad 23 Aprilis.

II. Secundo delineatur **Tabula Paschalis nova reformata** ; in qua ad Pascha determinandum, quæritur Littera Dominicalis anni (posterior, si annus sit bissextilis) ; juxta hanc Litteram quæritur Epacta anni ; e directo deprehenditur Dominica Paschæ e regione Epactæ.

Exemplum : Anno bissextili 1904 Littera Dominicalis posterior est B ; quæritur in cellula sequenti Epacta XIII (13) ; e regione istius Epactæ in secunda linea occurrentis notatur Pascha occurrens 3 Aprilis. — Anno 1905 Littera Dominicalis est A ; quæritur in cellula sequenti Epacta XXIV (24) ; e regione istius Epactæ in quinta linea occurrentis notatur Pascha occurrens 23 Aprilis.

Constituto Paschatis die, facile decernuntur Festa mobilia, quæ ad motum Paschatis moventur, et sunt : Septuagesima, Dies Cinerum et initium jejunii Quadragesimæ, dein post Pascha, Ascensio, Pentecostes, Corpus Christi, quibus addere juvat SS. Cor Jesu ; item determinatur numerus Dominicarum post Pentesten ante Adventum.

Nota. Sequens Tabula indicat terminos extremos Festorum et Officiorum quæ præcedunt vel sequuntur Pascha et ad motum Paschatis moventur :

Occurrente Paschate	22 Martii	25 Aprilis, occurret
Septuagesima.....	18 Januarii.....	21 Februarii.
Dies Cinerum.....	4 Februarii...	10 Martii.
Ascensio.....	30 Aprilis.....	3 Junii.
Pentecostes.....	10 Maji.....	13 Junii.
SS. Corpus Christi....	21 Maji.....	24 Junii.
SS. Cor Jesu.....	29 Maji.....	2 Julii.
Numerus Dominicarum post Pentecosten erit	28	23.

III. Tertio delineatur Tabella temporaria Festorum mobilium, in qua primo intuitu reperiuntur indicata quæcumque pro Kalendario mobili alicujus ex assignatis annis necessaria sunt ; nempe Festa mobilia inde a Septuagesima usque ad SS. Corpus Christi, necnon numerus Dominicarum Pentecosten inter et Adventum, et dies in qua occurrit prima Dominica Adventus.

Nota. Novam rationem Pascha facillime inveniendi, ejusque per annum dependentias, exponunt Ephemerides Liturgicæ (XV, 1901, pag. 150). Ibidem etiam exponitur super Kalendario studium, in quo concluditur ad perfectionem Kalendarii Gregoriani, quæ everteret totum ordinem tam civilem quam ecclesiasticum hactenus servatum (XIII, 1899, pag. 332.). Sufficiat hæc ibi indicata haberi.

ARTICULUS II

De Kalendario

Q. 96. *Quid intelligitur per Kalendarium ?*

R. 1° Etymologice Kalendarium a Kalendis dictum est ; Kalendæ autem (a verbo καλεῖν, vocare, calare)

dicitur primus dies cujusque mensis, quo apud Ethnicos Pontifex populum calabat, id est convocabat, ad pronuntiandum, peracto sacrificio, quot numero dies, quinquene an septem, a primo ad Nonas superessent. Postea vero, conscriptis Fastis et Kalendario constituto, cessatum est a calatione, mansit tamen vocabulum Kalendarum et Kalendarii.

2° Kalendarium vocatur in Breviario, inter præludia, elenchus seu tabella duodecim mensium anni, a Januario ad Decembrem, et dierum uniuscujusque mensis, a primo ad ultimum; apposito catalogo Festorum Domini et Sanctorum, quæ per annum determinata die in universali Ecclesia celebrantur.

3° Kalendarium generatim sumitur pro **coordinatione Officiorum et Festorum, tum immobilium, tum mobilium in anno.** — Multis diebus in anno, uti videre est in Tabellis duodecim mensium anni, assignantur Festa Domini, B. Mariæ V., ac Sanctorum, et Officia his diebus celebranda, ideo dicta fixa seu immobilia. Cum vero ex mobilitate Festi Paschatis, Cyclus Paschatis et Cyclus Pentecostes, inde a Dominica Septuagesimæ, imo a nonnullis ex præcedentibus Dominicis post Epiphaniam, usque ad Adventum, quotannis alium occupent locum, unde hæc Festa et Officia dicuntur mobilia ; cumque insuper quotannis Littera Dominicalis mutetur : fit ut Festa et Officia mobilia sæpe cadant in dies quibus Festa vel Officia fixa assignantur : unde necessaria est quotannis aliqua horum omnium coordinatio.

Ex dictis patet quotannis necessario dari diversum Officiorum ordinem pro maxima parte anni, tum ex mobilitate Festi Paschatis, tum ex variatione Litteræ Dominicalis. Raro datur idem omnino ordo ; recurrit equidem singulis circiter sex vel septem annis eadem Littera Dominicalis, sed remanet tunc regulariter varietas pro Paschate; si autem utrumque ex his anni elementis idem est, idem erit ordo ; ex. gr., anno 1898 eadem est Littera Dominicalis B, et Pascha celebratur eadem 10 die Aprilis, sicut anno 1887 : idem fuit anno 1898 ordo Officiorum qui fuit anno 1887. Ratio autem habenda fuit novitatum quæ interea ab anno 1887 supervenerint tum pro novis Festis celebrandis, tum pro ipsis Rubricis Officii.

4° Kalendarium etiam dicitur ipse **Ordo divini Officii,**

qui quotannis de mandato Episcopi vel Superioris editur, ad indicandum clero Officia in decursu anni persolvenda, attentis Computo Ecclesiastico et Festis fixis. Hic Ordo vocatur etiam Directorium, Cartabella.

Q. 97. *Unde habetur varietas in Kalendariis seu Ordinibus diversarum Diœcesium ?*

R. Percurrenti varios Ordines, seu Directoria, seu Kalendaria Diœcesium unius ejusdemque anni, comperta mox habetur per non paucos dies varietas Festorum et Officiorum in diversis Diœcesibus.

Kalendarium Sanctorum descriptum inter præludia Breviarii Romani universale est, et indicat Festa quæ a toto Catholico orbe Romanum Ritum servante celebrari debent. Sed in unaquaque Diœcesi, retentis Officiis Romani Kalendarii quæ omnibus præceptive communia sunt, celebrantur etiam quotannis, cum approbatione Summi Pontificis aut S. Rituum Congregationis, Festa particularia nonnullorum Sanctorum, qui in Kalendario Ecclesiæ universalis non sunt adscripti, sed qui vel in Diœcesi aut regione vixerunt, vel ex speciali titulo grata ob beneficia memoria ibi recoluntur ; et ita unaquæque Diœcesis habet sua Festa propria Diœcesana, vel Festa quæ ipsi et aliquibus aliis locis concessa fuerunt, et quæ regulariter non celebrantur in vicinis Diœcesibus aut regionibus. In Archidiœcesi Mechliniensi Kalendarium Diœcesanum numerat hujusmodi Festa circiter septuaginta, quorum quædam in quibusdam vicinis Diœcesibus, quædam in una aliave vicina, quædam in nulla ex vicinis celebrantur.

Possunt itaque dari dies in quibus, in diversis Belgii Diœcesibus diversa Festa celebrantur, aut diversa Officia dicuntur : exempli gratia, die 11 Februarii celebratur in Archidiœcesi Mechliniensi Festum S. Vedasti, Episcopi et Confessoris ; in Diœcesi Brugensi Festum S. Joannis Chrysostomi, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris (dies fixa ex 27 Januarii, qua ibi celebratur Festum S. Joannis, Episcopi Teruanensis) ; in Diœcesi Gandavensi Festum S. Pharaildis, Virginis ; in Diœcesi Leodiensi Festum S. Popponis, Abbatis ; in Diœcesi Namurcensi Festum Apparitionis B. Mariæ Virg. ; in Diœcesi Tornacensi Festum S. Ignatii, Episcopi et Martyris (dies fixa ex 1 Februarii, qua ibi celebratur Festum S. Euberti, Episcopi et Confessoris).

Q. 98. *An in una eademque Diœcesi non potest dari varietas festorum? Explica.*

R. Affirmative; nam I. Regulares plerumque habent suum proprium, sicut et Diœceses, Kalendarium, in quo recensentur Festa Sanctorum, quæ in Diœcesi in qua Regulares resident plerumque nec a Clero sæculari, nec ab aliis Regularibus celebrantur; sic, ex. gr., die 11 Februarii, de qua in Quæstione præcedenti, Fratres Minores celebrant Festum S. Joannæ Valesiæ, Patres Societatis Jesu Festum S. Joannis de Britto, Confessoris. Nec ipsis Regularibus licet celebrare Festa Clero Diœcesano aut aliis Regularibus tamquam propria præscripta. Tenentur tamen ad celebrationem quorumdam Festorum Cleri sæcularis sub certis conditionibus: ita, ex. gr., debent celebrare Festa Patroni loci, Titularis Ecclesiæ Cathedralis, sed sine Octava.

Sed insuper II. a Clero sæculari in multis locis quotannis quædam mutanda veniunt in Kalendario, seu Directorio ab Episcopo pro tota Diœcesi vulgato. Etenim pleraque loca, scilicet civitates, oppida, pagi habent suum specialem et principalem Patronum, singulæ Ecclesiæ habent suum Titulum, et Titulare Festum; hujusmodi Festa, Patroni et Titularis, speciali modo, ut postea latius exponetur in Tertia parte Tractatus, nempe ritu duplici 1 classis cum Octava sunt celebranda; proinde, nisi sint de iis Festis quæ in tota Diœcesi eodem ritu et cum Octava celebrantur, mutationes in Directorio Diœcesano pro debito eorum cultu, a Sacerdotibus quorum interest, necessario sunt faciendæ et observandæ.

In publicatione cui nomen Annuaire de l'Archevêché de Malines, reperiuntur circiter 50 loca vel Ecclesiæ in quibus Patronus vel Titularis est S. Martinus (11 Novembris); 25 in quibus S. Lambertus (17 Septembris); 23 in quibus S. Nicolaus (6 Decembris); 20 in quibus S. Catharina (25 Novembris), etc. In his locis et Ecclesiis, horum Sanctorum Festa, eorumque Festorum Octavæ necessarias reddunt plurimas mutationes in Directorio Diœcesano; et ita, ex. gr., ratione Octavarum S. Martini et S. Catharinæ varietas datur pro Clericis 70 circiter locorum et Ecclesiarum circa finem mensis Novembris.

Idem dicendum esset de celebratione Anniversarii

Dedicationis cujusque Ecclesiæ, quod etiam recolendum quotannis est ritu duplici 1 classis cum Octava ; sed cum concessum nostræ Diœcesi fuerit, Anniversarium omnium Ecclesiarum Diœcesis una eademque die celebrare, describitur ordo Festum hoc celebrandi in Directorio.

Ad hæc debite observanda adjuvabunt quæ in Tertia Tractatus parte exponentur.

Q. 99. *Expone breviter præcipuas regulas pro usu Kalendarii.*

R. Huic Quæstioni responsum dare quo ad omnes diversos casus fieret satis, ultra finem et limites hujus Tractatus duceret ; ideo illæ tantum regulæ exponuntur, quas alumnos Seminarii pro praxi in sua vita sacerdotali nosse necessarium est, aut utile.

1° Clerici sæculares Diœcesis subditi debent recitare Officium juxta Kalendarium Diœcesanum legitime approbatum. — Kalendarium proprium Archidiœcesis Mechliniensis approbatum fuit Indulto S. Rituum Congregationis 20 Julii 1838, et ab Emo Dño Card. Engelberto Sterckx, Archiepiscopo, die 13 Novembris 1838 pro tota Diœcesi præscriptum. Indultum, Kalendarium approbatum, ejusque publicatio legi possunt in Tomo secundo Collectionis Epistolarum pastoralium Diœcesis Mechliniensis, pag. 223 et sqq. — Quotannis de mandato Archiepiscopi evulgatur Directorium ad rite legendas Horas canonicas Missasque celebrandas, in quo suis locis indicantur Officia et Festa celebranda juxta Kalendarium Ecclesiæ universalis, et interponuntur Festa Kalendarii proprii Archidiœcesis Mechliniensis. Hoc Directorium sequi eique se conformare tenentur omnes Clerici sæculares Archidiœcesis subditi, et in Diœcesi degentes.

Regulares, qui multi ac diversi in Archidiœcesi Mechliniensi habitant, aut habent suum Kalendarium particulare Ordinis ; aut juxta sua Statuta utuntur Kalendario Romano sub conditionibus positis ; his non licet Kalendarium Diœcesanum sequi, et ad proprium tenentur ; attamen debent celebrare Festa quædam, nempe Patroni loci in quo degunt, et S. Rumoldi, utpote Patroni Diœcesis, Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ, ac Patroni Civitatis Episcopalis, sed absque Octava. Alii Regulares pro-

prium Kalendarium non habentes, uti debent Kalendario Diœcesis, additis Officiis particulariter sibi concessis.

2° **Kalendarium particulare alicujus loci**, civitatis nempe, oppidi, vel pagi, pro celebratione Festi Patroni loci tenentur servare omnes Clerici qui locum inhabitant, quæcumque sit eorum in hoc loco occupatio. — Clerici sæculares hoc Festum celebrare debent cum Octava, Regulares vero qui proprium Kalendarium habent sine Octava.

Nota. Rectores singularum Ecclesiarum possunt in hunc finem in Kalendario Diœcesano inserere variationes pro respectivis Ecclesiis, ex tacita saltem venia Ordinarii. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Decembris 1896, n. 3936, ad 2.) Idem valet pro casu sequenti.

3° **Kalendarium particulare alicujus Ecclesiæ**, pro celebratione Festi Titularis Ecclesiæ tenentur servare tantum Clerici qui huic Ecclesiæ sunt adscripti. — Adscripti Ecclesiæ dicuntur ii qui a legitima auctoritate, scilicet in Diœcesi Mechliniensi ab Archiepiscopo, deputati sunt aut admissi ad munera quædam in illa Ecclesia regulariter peragenda, quique non possunt propria voluntate talem Ecclesiam deserere ut aliam adeant ; tales sunt parochi, vicarii, coadjutores, cappellani, etc. Si vero tantum in Parochia quadam habitant, sed Ecclesiæ parochiali non sunt adscripti, etiamsi quotidie in Ecclesia munia quædam peragerent, ex. gr., Missam celebrare, prædicare, confessiones excipere, etc., non servare debent pro Officio divino Kalendarium Ecclesiæ hujusmodi ratione celebrationis Festi Titularis.

Exemplum : Professores in Seminariis, Collegiis, Institutis, etc., nostræ Diœcesis, quando in istis non habentur Sacella, aut Oratoria quæ celebrationem Festi Titularis importent, non tenentur ad dicendum Officium de Festis Titularibus ; et nequidem tenentur sequi pro Horis Canonicis Kalendarium Ecclesiarum in quibus forsan Missam quotidie legunt, aut alia munera peragunt ; aut si domus in Parochia sita est. Sed ratione habitationis loci tenentur se conformare pro recitatione Officii Kalendario loci, ad celebrandum Festum Patroni loci, et quotannis debitas mutationes in Kalendario Diœcesano perficere et observare, si Patronus de iis non est qui in Kalendario Diœcesano ritu duplici 1 classis cum Octava adnotantur.

4° Regulares quidam in nostra Diœcesi, ex diversis Canoniis Ordinis Præmonstratensis, nonnullis Ecclesiis parochialibus tamquam parochi, aut vicarii, ab Archiepiscopo præpositi sunt, aut adscripti. Abbatiales Ecclesias si excipias, ex istis Ecclesiis parochialibus nullæ hodie pertinent ad Ordinem, sed omnes sunt sæculares sub omnimoda jurisdictione Archiepiscopi : quibusdam ex eis, quando vacant, modo sæcularis præponitur, modo regularis, aliis consueto quidem regularis, aliæ habent parochum sæcularem, vicarium regularem.

Regulares in Officio persolvendo et Sacro peragendo sequuntur proprium sui Ordinis Kalendarium ; observant tamen quædam in Diœcesano Kalendario præscripta, ex. gr., diebus statutis parochi Missam pro populo celebrant ; similiter publica Officia, uti Vesperas, Missas solemnes, peragunt juxta Kalendarium Diœcesanum.

Super qualitate Kalendarii adhibendi a Regularibus qui Ecclesiis sæcularibus adscripti sunt, S. Rituum Congregatio sequentia edidit Decreta :

1. Ad dubium : « Ordines Religiosi, vulgo Congregationes nuncupati, qui remunerationem a Gubernio civili accipiunt ut Diœcesanis Ecclesiis inserviant, debentne sese conformare Calendario Diœcesano in Officio persolvendo Sacroque peragendo ? » S. Congregatio declaravit : « Si Religiosi gaudeant proprio Calendario, Negative ; secus, Affirmative. » (Decret. 23 Junii 1893, *S. Christophori de Havana*, n. 3806.)

2. Ad dubium : « An liceat Regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicujus Ecclesiæ Sæcularium, Sacras Functiones juxta ordinem Calendarii propriæ Religiosæ Congregationis peragere, relicto Calendario Diœcesano, cui populus jam assuetus fuerit ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative. » (Decret. 4 Februarii 1898, *Neoporten. et Meneven.*, n. 3979, ad 2.)

3. Ad dubium : « In Ecclesiis parochialibus, quibus Missionarii Oblati deserviunt per unum ex suis, possunt ne dicti Missionarii publicis in Officiis suum sequi Calendarium rite approbatum ? » S. Congregatio

rescripsit : « Negative. » (Decret. 7 Aprilis 1876, *Missionariorum Oblatorum Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis*, n. 3397, antiq. 5661, ad 1.)

4. Ad dubia : « In Ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur ne sequi Calendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative » — « Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissæ sunt? » S. Congregatio rescripsit : « Negative. » (Decret. 15 Decembris 1899, *Urbis*, n. 4051, ad 2 et 3.) Hoc Decretum spectat quidem Quæstionem de Missa in Ecclesia aliena, de qua agitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani ; attamen ad præsentem nostram Quæstionem referri etiam potest.

Nota. Non abs re erit animadvertere, sequens Decretum, hucusque semper ab auctoribus citatum, e nova Collectione Decretorum fuisse expunctum. Ad dubium : « Regulares utpote ejecti a suis Cœnobiis in tota Hispania, et hanc ob causam tamquam Parochi, vel Vicarii variis Ecclesiis præfecti, pro Officio recitando, Missaque celebranda an possint, vel debeant recitare Officium, et Missam celebrare juxta Kalendarium Diœcesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel juxta Regulare Kalendarium Ordinis, ad quem per professionem religiosam pertinent? » S. Congregatio declaraverat : « Teneri in casu ad Officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro populo celebrandam ut in Kalendario Diœcesis. » (Decret. 23 Maji 1846, *Tuden.*, n. antiq. 5050, ad 5. Decretum in nova Collectione refertur sub n. 2915, pro aliis dubiis, sed n. 5 expunctus fuit.)

5° Clerici qui in alia Diœcesi domicilium figunt, tenentur sequi Kalendarium Diœcesis ad quam divertunt. — Si extra Diœcesim versantur cum animo ad propriam Diœcesim redeundi, a) post longum tempus, melius sese conformabunt Kalendario Diœcesis in qua per illud tempus morantur ; b) post breve tempus, proprium debent retinere Kalendarium.

6° Qui studii causa extra Diœcesim versantur, ex. gr., Clerici nostræ Diœcesis qui Romæ sua studia theologica perficiunt, sequuntur Kalendarium Romanum toto tempore suorum studiorum. Qui ex diversis Diœcesibus Lovanium ad Universitatem Catholicam

accedunt, generatim Kalendarium propriæ suæ Diœcesis retinent.

Nota. Ad rem est sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Quando quis, itineris vel studii vel aliis de causis, extra Patriam sive Diœcesim versetur, debet ne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiæ et Beneficii, vel etiam simpliciter Diœcesis ; an vero Officium illius loci in quo reperitur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Beneficiarii tenentur semper ad Officium propriæ Ecclesiæ ; simplices vero Sacerdotes conformari possunt cum Officio loci ubi morantur. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 46, antiq. 4669, ad 50.)

7° Professores nostrorum Seminariorum, Collegiorum, Institutorum, et alumni Seminarii, tempore feriarum, vacantibus studiis, debent retinere suum Kalendarium ; nempe Professores Kalendarium loci in quo per annum tamquam Professores morantur, et alumni Seminarii Kalendarium proprium Civitatis Mechliniensis ; idque nulla habita ratione, pro Officiis recitandis, locorum in quibus per ferias degunt, si ibi forsan celebrantur Festa Patroni aut Titularis, sive alia diversa Festa. Sed si tempore feriarum occurreret Festum Patroni loci in quo per annum habitant, etiamsi ibi per ferias non adessent, tenentur ad Officium et Octavam sui Patroni.

8° Sacerdotes qui conveniunt ad exercitia spiritualia sub directione Patrum Societatis Jesu trádita, in quibus Horæ canonicæ insimul, id est, in communi persolvuntur, dicere possunt, vi Indulti diei 7 Julii 1864, Officium juxta Kalendarium loci in quo exercitia spiritualia obeunt, nulla habita ratione Officii particularis, ratione Patroni loci vel Titularis Ecclesiæ, sub lege tamen et conditione ut Horæ canonicæ insimul, id est, in commune persolvantur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, III, 1871, pag. 314.)

Ideo, si quis Sacerdos loci in quo, ex. gr., S. Lambertus (17 Septembris) est Patronus, in Seminario Mechliniensi exercitia spiritualia peragit (quemadmodum quotannis per menses Augusti et Septembris fit), Officium in communi insimul cum confratribus persolvet, nulla habita ratione circumstantiæ Patronatus S. Lamberti. Ideo etiam in Seminario Mechliniensi, tempore exercitiorum, occurrente Festo semiduplici, inter Suf-

fragia dicitur ab omnibus Horas canonicas insimul persolventibus Suffragium in Seminario communiter dictum, omisso Suffragio Titularis vel Patroni proprii.

Nota. Quod si Clerus exercitia spiritualia peragat in Domo ipsa Societatis Jesu, sub directione Patrum inibi habitantium, ad dubium : « Utrum Clerus... sequi valeat Calendarium Diœceseos, vel potius uti possit tantum Calendario Domus Religiosæ, scilicet ipsius Societatis Jesu ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 21 Maji 1897, n. 3955.) In Indice Decretorum proponitur Decretum ita intelligendum, quod Clerus « uti potest » Calendario Societatis Jesu. — Generatim apud nos in casu Officium recitatur, non in communi, sed privatim.

9° Unusquisque tenetur adhærere Kalendario suo debite approbato, etiamsi forte in puncto quodam controverso quibusdam probabilior videretur sententia Kalendario opposita. Etenim ad dubium : « Sacerdos, qui probabilius judicat errare Calendarium, tenetur ne eidem Calendario stare ; an proprio inhærere judicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. » (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 5.)

Sed si certo constet mendum aliquod in Kalendario ex inadvertentia irrepsisse, in re quæ aperte repugnat Rubricis Missalis et Breviarii, corrigetur.

Et quidem in Kalendariis particularibus, immutationes, ex. gr., ratione celebrationis Patroni vel Tituli factæ, etiam ab Ordinario probatæ, si forte repertæ fuerint erroneæ, corrigendæ sunt. (Cfr. Index Decretorum, ad verbum *Calendarium*, ubi ita faciendum esse deducitur ex Decreto particulari 12 Julii 1889, n. 3714, ad 2.)

ARTICULUS III

De Rubricis Generalibus Breviarii

Q. 100. *Quænam notatu digna sunt de Rubricis Generalibus Breviarii ?*

R. 1. Si exquiratur quis reapse fuerit harum Rubricarum auctor, haud facile foret id determinare. Quas habemus inter Præludia Breviarii hausit S. Pius V ex Directorio Divini Officii, quod composuit, anno 1540,

Ludovicus Ciconiolanus, Franciscalis Observantiæ, qui sub Paulo III floruit, hujusque Pontificis approbationem meruit.

S. Pius V in undecim Titulos Rubricas Generales distribuit. Clemens VIII postea, ac dein Urbanus VIII, in Breviarii recognitione, Pianas Rubricas reformarunt et adauxerunt in 37 Titulos divisas ; istæ fuerunt retentæ usque ad annum 1882, quo Leo XIII notabiliter eas immutavit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 86.)

Per Decretum Urbis et Orbis, 7 Decembris 1897, S. Rituum Congregatio, ut inter latas recentiorum Decretorum leges Rubricarumque præscriptiones maxima exstaret conformitas, Rubricas generales a Commissione Liturgica revisas, examinatas, et ad Decretorum normam concinnatas approbavit ; quam sententiam SS. Dominus Leo Papa XIII, die 11 Decembris 1897, ratam habuit, et confirmavit, præcepitque ut suprascriptæ variationes in novis editionibus Breviarii inserantur.

II. **Generales** dicuntur Rubricæ istius Præludii, quatenus statuunt leges generales diversis Officiis communes, ut distinguantur a Rubricis **particularibus**, quæ in ipso Breviario disseminatæ, quid variis anni ecclesiastici temporibus, aut in quibusdam Festis observari, aut adimi vel adjici debeat in peculiaribus Officiis, exponunt.

III. Dividi possunt istæ Generales Rubricæ in tres partes : aliæ spectant ad totum integrum Officium, modumque istud ordinandi, et de eis agitur in duodecim primis Titulis ; — aliæ continent regulas proprias majorum partium, hoc est singularum Horarum Officii, et de eis dicitur a Titulo XIII ad XVIII inclusive ; — aliæ denique versantur circa majorum partium partes ex quibus ipsæmet Horæ componuntur, et de eis agitur a Titulo XIX ad ultimum.

PARS TERTIA

QUÆSTIONES IN RUBRICAS GENERALES BREVIARII ROMANI

Quæ in hac tertia Tractatus Parte proponuntur Quæstiones in Rubricas Generales Breviarii, in tres Sectiones sunt distributæ, quarum I Sectio agit de distinctione Officiorum, II de Occurrentia et Concurrentia, III tandem de quibusdam Officii partibus minoribus.

SECTIO I

De Officii divini distinctione — De Festis — Dominicis — Feriis — Vigiliis — Octavis — Officiis votivis

§ 1. De Officii divini distinctione

Q. 101. *Quotuplex distinguitur Officium divinum ?*

R. 1° Ratione objecti, seu Mysterii aut Festi, de quo fit, Officium quintuplex distinguitur. Etenim unaquæque dies anni, sive **Dominica**, sive **Feria**, habet in Breviario correspondens sibi Officium, quod vocatur de **Tempore** ; sæpe tamen harum Dominicarum et Feriarum omittitur vel totaliter vel pro parte Officium, ob occurrentia **Festa**, in quibus Ecclesia memoriam agit sive Mysteriorum nostræ Redemptionis, sive B. Mariæ Virginis, sive reliquorum Sanctorum ; sed ex his Festis quædam solemniora habent **Octavam**, hoc est, per octo dies continuos celebrantur, et aliquando etiam **Vigilia** præveniuntur. Hinc nascitur quintuplex Officii discrimen : est enim Officium vel de **Dominica**, vel de **Feria**, vel de **Festo**, vel de **Vigilia**, vel de **Octava**.

2° Ratione **ritus**, quo persolvitur, Officium triforme distinguitur, juxta Rubricam Breviarii præliminarem : « Officium quotidie fit aut **Duplex**, aut **Semiduplex**, aut **Simplex**. »

Nota. Quare sub respectu ritus Officia ita denominentur, rationes diversæ a diversis traduntur, e quibus sequens seligitur : Priori Ecclesiæ ævo Festa Domini ac Sanctorum Martyrum

tantum celebrabrantur, illa quidem ubique, hæc in loco tantum eorum martyrii, et per solam in Missa commemorationem ; cujus ritus exemplum adhuc superest in Nativitate Domini, cum S. Anastasiæ commemoratio tantum in Missa, non autem in Officio obtinet.

Progressu temporis, quum id pietati erga Sanctos nequaquam satis videretur, proprium Officium pro illis institutum fuit, additumque Officio diei, sive de Dominica esset sive de Feria ; atque ita duplex Officium recitabatur, nempe diei unum (de Tempore), alterum de Sancto, unde Officii Duplicis appellatio videtur profecta.

Verum quum Festorum numerus non paulum accresceret, et duplex Officium maximo oneri esset, Officium de Tempore in Festis prætermissum fuit, satisque habitum ejus commemorationem agere in Officio Festi, quemadmodum hodiedum fit in Dominicis communibus, et Feriis majoribus dum impeditur earum Officium per occurrens Festum.

Non tamen omnibus Sanctorum Festis proprium et integrum Officium assignabatur : pro quibusdam enim dicebatur pars Officii de Tempore, et alia de Festo ; adinstar ritus qui hodiedum in Festo simplici servatur : unde Festa hæc dimidiatum habebant Officium, quod ita distributum erat, ut unum constitueret licet duo proposita haberet, atque ita Semiduplex fuit appellatum. Porro hæc Festa semiduplicia, ut patet, olim longe alia erant quam hodiedum. Hodie enim Semiduplex dicitur Officium quod integrum de eodem est objecto, sed de utroque ritu Duplici et Simplici participat ; *semi* pro *quasi* accipitur, semiduplex ergo, seu quasi duplex, exprimit quod Officium non in totum est duplex, sed in aliquo tantum : cum Duplici convenit in numero Nocturnorum, Lectionum ac Vesperarum ; a Simplici retinet Preces ad Primam et Completorium, Suffragia Sanctorum, et Antiphonas simplices, seu integras in fine Psalmorum tantum.

Q. 102. *Assigna præcipuas differentias inter triplicem Officiorum ritum, Duplicem, Semiduplicem et Simplicem.*

R. I. Officium duplex (cfr. Rubricæ generales, Tit. I) : 1° habet duas Vesperas integras, primas scilicet et secundas, et incipit a primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive ; nisi cum alio simili Officio duplici concurrat, id est, nisi sequenti die iterum recitandum sit Officium duplex, similiter incipiens a primis Vesperis ; in quo casu, ne duæ Vesperæ Officiorum duplicium sint recitandæ, secundæ nempe præcedentis, et primæ sequentis, debet necessario institui aliqua utriusque Officii compositio, de qua dicitur in Rubricis de Concurrentia Officiorum.

2° In utrisque Vesperis, in Matutino et Laudibus, non autem in aliis Horis, duplicantur Antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio et in fine Psalmorum. (Cfr. Q. 24, ubi agitur de Antiphonis.)

3° Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis et totidem Lectionibus, hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi et tres Lectiones.

4° Preces (cfr. Q. 45), et Suffragia (cfr. Q. 46), non dicuntur in Officio duplici.

II. Officium semiduplex (cfr. Rubricæ generales, Tit. II) : 1° habet Officium integrum sicut Duplex, scilicet duas Vesperas, primas et secundas ; excipitur tamen Officium diei infra Octavam, quod incipit solum a Matutino, et proinde primas Vesperas non habet ; perducitur tamen usque ad Completorium.

2° Neque in Vesperis, neque in Matutino et Laudibus duplicantur Antiphonæ, sed in omnibus Officii Horis ante Psalmum prima tantum Antiphonæ verba dicuntur, integraque Antiphona post Psalmum legitur.

3° Ad Matutinum, sicut in Officio duplici, dicuntur regulariter tres Nocturni,cum novem Psalmis et totidem Lectionibus. Excipitur tamen ab hac regula Officium Dominicæ, quando ejus dicitur Officium ut in Psalterio ; habet enim octodecim Psalmos, scilicet in primo Nocturno duodecim Psalmos cum tribus Lectionibus, in secundo autem et tertio tres Psalmos totidemque Lectiones.

4° Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Vesperas et Laudes ; exceptis diebus infra Octavas Festorum, etiamsi infra Octavam Officium fieret de Dominica, vel alio Festo semiduplici ; exceptis etiam, pro Suffragiis, quibusdam anni temporibus, ut dictum fuit in prima Tractatus parte (cfr. Q. 46).

III. Officium simplex (cfr. Rubricæ generales, Tit. III) : 1° non habet duas Vesperas, sed unicas tantum ; — et quidem Officium simplex de Festo alicujus Sancti incipit pridie a Vesperis (a Capitulo), sed terminatur per Nonam ; — Officium simplex de Feria incipit a Matutino tantum sed perducitur usque ad Completo-

rium. Unde dicitur communiter, Simplex de Festo habere tantum primas Vesperas, Simplex de Feria habere tantum secundas Vesperas.

2° Quemadmodum in Officio semiduplici, in Officio simplici non duplicantur Antiphonæ.

3° Ad Matutinum habet unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis et tribus Lectionibus ; ideo vocatur Officium simplex Officium trium Lectionum, dum econtra per Officium novem Lectionum designatur Officium duplex vel semiduplex. (Cfr. Q. 28, de Lectionibus.)

4° In Officio simplici de Festo, dicuntur Preces et Suffragia de Sanctis sicut in Officio semiduplici ; in Officio simplici de Feria, ante Suffragia de Sanctis fit Commemoratio de Cruce. — In Feriis per annum dicuntur Preces Dominicales ; sed in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum quæ jejunantur, dicuntur Preces Feriales ad Laudes et per omnes Horas, et cum dicuntur, flectuntur genua in Choro. (Cfr. Q. 45.)

§ 2. De Festis

Q. 103. *Quid intelligitur per Festum ?*

R. Per Festum intelligitur proprie cultus liturgicus, quo Ecclesia quotannis in aliqua determinata die recolit memoriam vel Mysterii alicujus, vel Sancti ; ipsa dies in qua cultus iste liturgicus præstatur etiam vocatur Festum.

Dicitur in Responso : **cultus liturgicus**, ea scilicet ratio recolendi Mysterium vel Sanctum, quæ fit per Officium et Missam aut Commemorationem, secundum ritum, aut classem, aut qualitatem, aut dignitatem quæ vel Mysterio vel Sancto congruunt, ex præscripto Ecclesiæ in Breviario aut in Missali.

Datur nonnumquam in locis particularibus alia ratio recolendi Mysteria, vel Sanctos, per exteriorem apparatum, concursum populi, et alia hujusmodi, quin dicatur Officium, vel celebretur Missa de Mysterio, aut de Sancto ex præscripto Ecclesiæ ; ex. gr., per triduum, novenam, octavam extraliturgicam, mensem, et alia hujusmodi.

De hac ultima ratione hic non est quæstio, et solummodo in sequentibus agitur de cultu liturgico supra designato.

Q. 104. *Quomodo distinguuntur Festa ?*

R. Pia Mater Ecclesia, dum per anni circulum recolendam exhibet memoriam Mysteriorum nostræ Redemptionis, aut gloriam Sanctorum, pro diversitate excellentiæ singulorum Mysteriorum et dignitatis Sanctorum Festa quoque constituit diversa, id est celebranda majori vel minori ratione tum ritus, tum solemnitatis. Unde nascitur Festorum distinctio.

I. Ratione **ritus** qui servatur in eorum Officio, Festa alia sunt **Duplicia**, alia **Semiduplicia**, alia **Simplicia**. (Cfr. Q. 102.) Hæc distinctio ritus in Kalendario indicatur pro Festis duplicibus et semiduplicibus ; ubi vero nulla ritus designatio apponitur, signum est Festum esse ritus simplicis.

II. Ratione **classis**, quæ distinctio non applicatur nisi Festis quorum ritus est duplex, Festa distinguuntur, quadrupliciter : Festum duplex est aut **duplex 1ae classis**, aut **duplex 2ae classis**, aut **duplex majus**, aut **duplex minus**. Duplex minus regulariter notatur **duplex**, sine designatione classis.

Antiquitus distinguebatur tantum Duplex in totum, seu Duplex majus, quod nos hodie dicimus Duplex 1 et 2 classis ; et Duplex simpliciter, seu Duplex minus.

Distinctionem inter Duplex 1 classis et Duplex 2 classis invectam reperimus tempore S. Pii V.

In recognitione Clementina Breviarii, ad majorem Festorum duplicium distinctionem, et ad verius exprimendam Festorum dignitatem et præstantiam, institutæ fuerunt quatuor classes duplicium Festorum supra designatæ.

Animadvertendum est quod Rubricæ generales Breviarii, quando interdum loquuntur de Festo duplici ex majoribus, talia appellent tantum Festa 1 et 2 classis ; duplicia majora tertii ordinis vero non cum illis censenda sunt.

III. Ratione **qualitatis**, Festa duplicia in unaquaque ex quatuor classibus, et Festa semiduplicia, ulterius distinguuntur, et sunt vel **primaria**, vel **secundaria**.

Illud dici potest Festum primarium Domini et Deiparæ, quod pro objecto habet eventum maximæ gravitatis, vel mysterium aliquod eorum vitæ quod non continetur aut recolitur in alio ipsorum Festo ; — pro Sanctis Festum primarium est eorum dies natalitia,

vel quasi natalitia, qua recolitur eorum triumphalis in cœlum ingressus.

Festum secundarium illud est quod pro objecto habet factum aliquod minoris gravitatis ; aut mysterium non undequaque distinctum, sed quod jam implicite recolitur in alio Festo Domini vel B. Mariæ Virginis ; aut cujus objectum non refertur ad factum vel mysterium eorum vitæ ; aut in quo recoluntur sub aliquo peculiari titulo ; — pro Sanctis secundarium est quodcumque Festum præter eorum natalem diem, uti Inventionis Corporis, Translationis, Receptionis, Patrocinii et hisce similia.

Festa secundaria non dantur nisi de personis quæ saltem duo Festa per annum habent ; Festum illorum Sanctorum qui unicum tantum habent, ex natura sua est primarium, quia celebratur in die natalitia vel quasi natalitia eorum.

In sequenti Quæstione 108 dabitur Catalogus Festorum quæ uti primaria vel secundaria retinenda sunt, a S. Rituum Congregatione propositus 22 Augusti 1893, et a Leone XIII approbatus et vulgatus die 27 ejusdem mensis et anni (Decret. n. 3810), et in quocumque Breviario post Rubricas generales descriptus.

IV. Ratione dignitatis tandem distinguuntur Festa duplicia in unaquaque ex quatuor classibus, et Festa semiduplicia quæ primaria sunt, et eadem Festa quæ secundaria sunt. Hæc distinctio oritur ex dignitate insigni seu eminenti personæ cujus Festum celebratur, et inde sequenti ordine distinguuntur Festa : 1° Domini ; 2° B. Mariæ Virginis ; 3° SS. Angelorum ; 4° S. Joannis Baptistæ ; 5° S. Joseph ; 6° SS. Apostolorum et Evangelistarum (isti æquiparantur enim) ; 7° reliquorum Sanctorum, inter quos nulla dignitatis distinctio ulterius observatur, ita ut Sancta Virgo aliqua ejusdem reputetur dignitatis quam Sanctus Confessor aut Sanctus Martyr.

Generatim nulla datur difficultas recognoscendi Festorum dignitatem. Dubium posset esse de Festo S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph : opportune declaravit, saltem implicite, S. Rituum Congregatio hoc Festum esse Festum Domini ; et revera in eo honorantur, non tantum B. Virgo Maria et S. Joseph, sed etiam Domi-

nus noster Puer Jesus. (Decretum 4 Martii 1901 describitur in responso ad Q. 187, 4°. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 131, 132.)

Q. 105. *Recense diversa Festa duplicia 1 classis.*

R. 1. Nativitas Domini, 25 Decembris.
2. Epiphania Domini, 6 Januarii.
3. Feria V, in Cœna Domini.
4. Feria VI, in Parasceve.
5. Sabbatum Sanctum.
6. Pascha Resurrectionis.
7. Feria II de Octava Paschæ.
8. Feria III de Octava Paschæ.
9. Ascensio Domini.
10. Pentecostes.
11. Feria II de Octava Pentecostes.
12. Feria III de Octava Pentecostes.
13. Festum SS. Corporis Christi.
14. Immaculata Conceptio B. Mariæ V., 8 Decembris.
15. Annuntiatio B. Mariæ V., 25 Martii.
16. Assumptio B. Mariæ V., 15 Augusti.
17. Nativitas S. Joannis Baptistæ, 24 Junii.
18. Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V., 19 Martii.
19. Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, 29 Junii.
20. Festum Omnium Sanctorum, 1 Novembris.
21. Dedicatio propriæ Ecclesiæ.
22. Patronus loci præcipuus.
23. Titulus propriæ Ecclesiæ.
24. Festum SS. Cordis Jesu, Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi.

Præter Festa quæ supra recensentur, possunt et alia esse celebranda particularia, concessa Apostolicis Indultis ; et ita pro Archidiœcesi Mechliniensi adnumerantur duo Festa duplicia 1 classis sequentia :

25. Festum S. Rumoldi Episcopi et Martyris, Ecclesiæ Metropolitanæ, Civitatis et Archidiœcesis Mechliniensis præcipui Patroni, 1 Julii ; ex concessione Apostolica 20 Julii 1838.

26. Festum Patrocinii S. Joseph, Confessoris, Sponsi B. Mariæ Virg., Dominica III post Pascha ; ex Indulto Apostolico 26 Novembris 1847 ; etenim in Ecclesia universali celebratur ritu duplici 2 classis tantum.

Insuper in Civitate Mechliniensi celebrantur ritu duplici 1 classis duo Festa sequentia :

27. Festum Translationis Reliquiarum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Dominica IV post Pascha ; ex Indulto 26 Novembris 1847.

28. Festum S. Mariæ Magdalenæ, 22 Julii.

Nota. I. Ex diversis Festis quæ supra recensentur, quædam tanta cum religione ac solemnitate ex Ecclesiæ instituto ubique celebrari debent ut quibusvis aliis Festis etiam 1 classis semper sint præferenda. Hæc solemnissima Ecclesiæ universalis Festa ea sunt quæ supra a numero 1 usque ad 20 inclusive, nempe a Nativitate Domini usque ad Festum Omnium Sanctorum inclusive recensentur.

Nota. II. Sub n. 21 recensetur Dedicatio propriæ Ecclesiæ ; intellige ipsam diem Dedicationis, seu Consecrationis, et Anniversarium hujus Dedicationis, quotannis celebrandum. Attamen Anniversarium hoc in singulis Ecclesiis nostræ Diœcesis non celebratur in ipso die vere anniversario ; etenim a tempore Indulti pro reductione Festorum in territorio Gallicano, 9 Aprilis 1802, et vi Decreti S. Rituum Congregationis, 1 Septembris 1838 (n. 2784, antiq. 4839, Mechlinien., ad 2), Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ et omnium Ecclesiarum Archidiœcesis in cumulo celebrandum est Dominica post Octavam Omnium Sanctorum ; et celebratur ritu duplici 1 classis cum Octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 3.)

Q. 106. *Recense diversa Festa duplicia 2 classis.*

R. 1. Circumcisio Domini, 1 Januarii.

2. Festum SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam.

3. Festum SS. Trinitatis, Dominica I post Pentecosten.

4. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii.

5. Inventio S. Crucis, 3 Maji.

6. Purificatio B. M. V., 2 Februarii.

7. Visitatio B. M. V., 2 Julii.

8. Nativitas B. M. V., 8 Septembris.

9. Solemnitas SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris.

10. Dedicatio S. Michaelis Archangeli, 29 Septembris.

11. Festum S. Andreæ Apostoli, 30 Novembris.

12. Festum S. Jacobi Majoris, Apostoli, 25 Julii.

13. Festum S. Joannis, Apostoli et Evangelistæ, 27 Decembris.

14. Festum S. Thomæ Apostoli, 21 Decembris.

15. Festum S. Bartholomæi Apostoli, 24 Augusti.

16. Festum S. Matthæi, Apostoli et Evangelistæ, 21 Septembris.

17. Festum S. Mathiæ Apostoli, 24 Februarii.

18. Festum S. Philippi et Jacobi Apostolorum, 1 Maji.

19. Festum SS. Simonis et Judæ Apostolorum, 28 Octobris.

20. Festum S. Lucæ Evangelistæ, 18 Octobris.

21. Festum S. Marci Evangelistæ, 25 Aprilis.

22. Festum S. Stephani Protomartyris, 26 Decembris.

23. Festum SS. Innocentium Martyrum, 28 Decembris.

24. Festum S. Laurentii Martyris, 10 Augusti.

25. Festum S. Annæ, Matris B. M. V., 26 Julii.

26. Festum S. Joachim, Patris B. M. V., Dominica infra Octavam Assumptionis.

(27. Festum Patrocinii S. Joseph, Sponsi B. M. V., pro Ecclesia universali; in Diœcesi Mechliniensi autem celebratur ritu duplici 1 classis, ut supra, Q. 105, n. 26 relatum fuit.)

Nota. His Festis Ecclesiæ universalis addenda sunt pro Archidiœcesi Mechliniensi tria alia Festa, quæ ex concessione Apostolica ibi celebrantur, ritu duplici 2 classis:

28. Festum S. Liberti Martyris, Dominica II Julii.

29. Festum SS. Angelorum Custodum, Dominica I Septembris.

30. Festum S. Francisci Borgiæ, Confessoris, 10 Octobris.

Q. 107. *Recense diversa Festa duplicia majora.*

R. 1. Transfiguratio Domini, 6 Augusti.

2. Exaltatio S. Crucis, 14 Septembris.

3. Dedicatio Archibasilicæ SS. Salvatoris, 9 Novembris.

4. Festum Septem Dolorum B. M. V., Feria VI post Dominicam Passionis.

5. Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo, 16 Julii.

6. Festum Dedicationis B. M. V. ad Nives, 5 Augusti.

7. Festum SS. Nominis B. M. V., Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.

8. Festum B. M. V. de Mercede, 24 Septembris.

9. Præsentatio B. M. V., 21 Novembris.

10. Festum Septem Dolorum B. M. V., Dominica III Septembris.

11. Apparitio S. Michaelis Archangeli, 8 Maji.

12. Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum, 18 Novembris.

13. Decollatio S. Joannis Baptistæ, 29 Augusti.

14. Cathedra S. Petri Romæ, 18 Januarii.

15. Cathedra S. Petri Antiochiæ, 22 Februarii.

16. Festum S. Petri ad Vincula, 1 Augusti.

17. Conversio S. Pauli Apostoli, 25 Januarii.

18. Commemoratio S. Pauli Apostoli, 30 Junii.

19. Festum S. Joannis ante Portam Latinam, 6 Maji.

20. Festum S. Barnabæ Apostoli, 11 Junii.

21. Festum S. Benedicti Abbatis, 21 Martii.

22. Festum S. Dominici Confessoris, 4 Augusti.

23. Festum S. Francisci Assisiensis, Confessoris, 4 Octobris.

24. Festum Patronorum minus principalium.

(25. Festum SS. Angelorum Custodum, 2 Octobris, pro Ecclesia universali; verum in Diœcesi Mechliniensi celebratur ritu duplici 2 classis, Dominica I Septembris, ut supra, Q. 106, n. 29 fuit notatum.)

Nota. Præter Festa quæ hic recensentur, in Diœcesi Mechliniensi ex concessione Apostolica sub ritu duplici majori celebrantur Festa sequentia:

26. Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, Feria III post Dominicam in Septuagesima.

27. Commemoratio Passionis D. N. J. C., Feria III post Dominicam in Sexagesima.

28. Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., Feria VI post Dominicam in Quinquagesima.

29. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam I in Quadragesima.

30. SS. Sindonis D. N. J. C., Feria VI post Dominicam II in Quadragesima.

31. SS. Quinque Vulnerum (Plagarum) D. N. J. C., Feria VI post Dominicam III in Quadragesima.

32. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Feria VI post Dominicam IV in Quadragesima.

33. Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam.

34. Festum Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph, 23 Januarii.

35. Festum Exspectationis Partus B. Mariæ V., 18 Decembris.

36. Festum Patrocinii B. Mariæ V., Dominica post Festum Omnium Sanctorum.

37. Festum B. Mariæ V. sub titulo Auxilii Christianorum, 24 Maji.

38. Festum Maternitatis B. Mariæ V., Dominica II Octobris.

39. Festum Puritatis B. M. V., Dominica III Octobris.

40. Festum S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii.

41. Festum Divisionis duodecim Apostolorum, 15 Julii.

42. Festum Sacrarum Reliquiarum, sive Sanctorum quorum Reliquiæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur et coluntur, Dominica ultima Octobris.

43. Festum S. Joannis Berchmans Confessoris, 13 Augusti.

44. Festum B. Caroli Boni, Comitis Flandriæ et Martyris, 2 Martii.

Insuper in Civitate Mechliniensi celebratur ritu duplicis majoris, ex Indulto Apostolico 27 Julii 1842 :

45. Festum Relationis et Recollectionis Reliquiarum S. Rumoldi, Episcopi et martyris, 3 Julii.

Q. 108. *Recense diversa Festa primaria et secundaria.*

R. Per Decretum 22 Augusti 1893, approbatum a Leone XIII die 27 Augusti 1893 (n. 3810), et aliud 14 Augusti 1894 (n. 3837), S. Rituum Congregatio sequentem Catalogum statuit Festorum, quæ uti primaria, vel secundaria retinenda sunt.

FESTA PRIMARIA SUNT :

A. In Kalendario universali :

DUPLICIA PRIMÆ CLASSIS :

Nativitas Domini ; — Epiphania Domini ; — Pascha Resurrectionis (cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus) ; — Ascensio Domini ; — Pentecostes (cum duobus sequentibus diebus) ; — Festum Corporis Christi ;

Immaculata Conceptio, Annuntiatio et Assumptio B. Mariæ V. ;

Nativitas S. Joannis Baptistæ ; — Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V. ; — Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli ; — Festum Omnium Sanctorum ;

Dedicatio propriæ Ecclesiæ ; — Titulus propriæ Ec-

clesiæ ; — Patronus principalis Regionis, vel Diœcesis, aut loci.

Nota. Festum primarium est Dedicatio propriæ Ecclesiæ ; primarium est etiam Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Archidiœcesis in cumulo celebratum (cfr. Q. 105, Nota II) ; attamen per Decretum 24 Maji 1901, *Dubiorum*, S. Rituum Congregatio rescripsit hoc Anniversarium esse tantum Festum secundarium pro illis Ecclesiis quæ consecratæ non sunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 399.)

DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS :

Circumcisio Domini ; — Festum SS. Trinitatis ;

Purificatio, Visitatio et Nativitas B. Mariæ V. ;

Dedicatio S. Michaelis Archangeli ; — Natalitia undecim SS. Apostolorum ; — Festa SS. Evangelistarum ; — Festum S. Stephani Protomartyris ; — Festum SS. Innocentium Martyrum ; — Festum S. Laurentii Martyris ; — Festum S. Annæ, Matris B. M. V. ; — Festum S. Joachim, Patris B. M. V.

DUPLICIA MAJORA PER ANNUM :

Transfiguratio Domini ; — Dedicatio Archibasilicæ SS. Salvatoris ; — Dedicatio S. Mariæ ad Nives ; — Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum ;

Festum SS. Angelorum Custodum ; — Festum S. Barnabæ, Apostoli ; — Festum S. Benedicti, Abbatis ; — Festum S. Dominici, Confessoris ; — Festum S. Francisci Assisiensis, Confessoris ;

Festum Patronorum minus principalium.

ALIA DUPLICIA PER ANNUM :

Dies natalitia, vel quasi natalitia uniuscujusque Sancti.

B. Pro aliquibus locis :

Festum S. Gabrielis, Archangeli ; — Festum S. Raphaelis, Archangeli ; — Dies natalitia, vel quasi natalitia uniuscujusque Sancti ;

Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœceseos asservantur.

FESTA SECUNDARIA SUNT :

A. In Kalendario universali :

DUPLEX PRIMÆ CLASSIS :

Festum Sacratissimi Cordis Jesu.

Nota. Secundarium etiam est Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum nostræ Archidiœcesis pro illis Ecclesiis quæ consecratæ non sunt. (Vide Notam supra descriptam ad Festa primaria, A.)

Item secundarium Festum est Titulus Ecclesiæ Cathedralis extra ipsam.

DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS :

Festum SS. Nominis Jesu ; — Festum Inventionis S. Crucis ; — Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. ;

Solemnitas SS. Rosarii B. M. V. ;

Festum Patrocinii S. Joseph.

DUPLICIA MAJORA :

Exaltatio S. Crucis ;

Duo Festa Septem Dolorum B. M. V. ; — Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo ; — Festum SS. Nominis B. M. V. ; — Festum de Mercede B. M. V. ; — Præsentatio B. M. V. ;

Apparitio S. Michaelis Archangeli ; — Decollatio S. Joannis Baptistæ ; — Cathedra S. Petri Apostoli utraque (Antiochiæ et Romæ) ; — Festum S. Petri ad Vincula ; — Conversio, et Commemoratio S. Pauli Apostoli ; — Festum S. Joannis antę portam Latinam.

B. Pro aliquibus locis :

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. J. C. ; — Festum SS. Redemptoris ; — Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph ;

Festum SS. Cordis Mariæ ; — Festa Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V. ; — Translationis Almæ Domus B. M. V. ; — Exspectationis Partus B. M. V. ; — B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum ; — Prodigiorum B. Mariæ V. ; — Apparitionis B. M. V. Immaculatæ ; — Manifestationis B. M. V. Immaculatæ, a sacro numismate ;

Commemoratio Omnium SS. Summorum Pontificum;

Item alia quæcumque Festa sive Domini, sive B. Mariæ V., sub aliquo peculiari titulo; sive Sanctorum, præter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

Nota 1. Datur hæc Catalogus sicuti a S. Rituum Congregatione tradita fuit ; in ea recensentur Festa quædam, vel quæ in nostra Diœcesi sub diversa classe

recoluntur, ex. gr., Patrocinium S. Joseph : hæc in diversa classe retinent suam qualitatem ; — vel quæ pro aliquibus locis concessa apud nos non recoluntur, ex. gr., Festa SS. Redemptoris, Prodigiorum B. M. V., et alia ; de his cura nobis non erit ; — adde quod inter Festa particularia Quæstionibus 105, 106, 107 enumerata, sunt quæ speciatim in hac Catalogo non recensentur : unusquisque poterit ex regulis Quæstione 104 sub III, et in præsenti Catalogo traditis discernere quæ sit Festorum hujusmodi qualitas.

Per Decretum 5 Februarii 1901, *Hispaniæ*, confirmatum 9 Februarii 1901, S. Rituum Congregatio respondendum censuit Festum particulare Sancti Angeli Custodis esse secundarium. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 130.)

Nota II. Festum ex natura sua secundarium poterit aliquando in particulari casu fieri primarium ; ex. gr., ubi SS. Cor Jesu est Titulus Ecclesiæ, ejus Festum ratione Tituli adscribetur inter Festa primaria.

Nota III. Quæstio de qualitate Festorum eorumque præminentia jamdudum agebatur pro Festis duplicibus 1 classis, 2 classis et majoribus tantum. Quænam disputationes his ultimis annis præcesserint celebre Decretum de Festis primariis et secundariis (27 Junii 1893, n. 3808), breviter adnotat Doct. Piacenza in sua Expositione novissima Rubricarum Breviarii Romani (cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 225 et sqq.) ; præclarissimum super hoc Decreto Suffragium describitur in Volumine IV Decretorum S. Rituum Congregationis, pag. 376-400 (sermone italico). — S. Rituum Congregatio declaravit Decreto 14 Augusti 1894 (n. 3837), distinctionem inter primaria et secundaria Festa respicere etiam Festa duplicia minora et semiduplicia. Suffragium super declaratione Decreti de Festis primariis vel secundariis, quoad Festa duplicia minora et semiduplicia, legi potest in Volumine IV Decretorum S. Rituum Congregationis, pag. 402-408. Hæc declaratio pluribus consectariis dat locum, de quibus dicetur in Sectione II hujus partis, ubi agitur de Concurrentia et Occurrentia Officiorum. Res satis magni momenti est ut jam hic indicetur.

Q. 109. *Dic generatim quid importent istæ distinctiones inter diversa genera Festorum duplicium.*

R. Quoad ritum, diversa illa Duplicium genera non differunt : sunt enim omnia ritus duplicis. Aliunde tamen generatim statui potest inter illa duplex differentia, quam sequentes duæ propositiones indicant :

Propositio 1ª. Festa quo majora sunt, eo magis per se sola fiunt, minusque aliorum secum adjunctione Festorum vilescunt.

Exempla : a) Festum duplex 1 classis rejicit omnem commemorationem Festorum occurrentium. — Festum duplex S. Petri Cœlestini, Papæ et Confessoris, et Festum simplex S. Pudentianæ, Virginis, celebrantur 19 Maji ; si hac die 19 Maji occurrit celebrandum Festum duplex 1 classis, ex. gr., Ascensionis Domini, aut Pentecostes, aut diei secundæ vel tertiæ infra Octavam Pentecostes, penitus omittetur his diebus Officium utriusque Festi tum S. Petri Cœlestini tum S. Pudentianæ in Officio Ascensionis aut Pentecostes.

b) Festum duplex 2 classis jam admittit commemorationem Festi duplicis aut semiduplicis occurrentis ; sed Festi simplicis commemorationem rejicit in Vesperis, et admittit tantum in Laudibus. — Si die 19 Maji occurreret celebrandum Festum SS. Trinitatis, duplex 2 classis, fiet quidem in ejus Officio commemoratio S. Petri Cœlestini in utrisque Vesperis et in Laudibus ; Festi simplicis S. Pudentianæ autem fiet commemoratio in Laudibus, sed non admittetur in primis Vesperis.

c) Reliqua Festa Duplicia majora et minora nullam rejiciunt occurrentium Festorum commemorationem.

Propositio 2ª. Festa quo majora et digniora sunt, eo magis fixa loco remanent, et aliorum Festorum Officia integra a loco removent.

Exempla : a) Festum S. Rumoldi, 1 Julii, in Archidiœcesi Mechliniensi duplex 1 classis, removebit Officium Festi duplicis 2 classis Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., celebrandi Dominica I Julii, casu quo 1 Julii esset Dominica.

b) Festum Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, duplex 1 classis, Festum Domini, celebrandum in Archidiœcesi Mechliniensi Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, removebit a loco suo Officium Festi S. Martini, 11 Novembris, celebrandi in iis locis ubi iste Sanctus est Patronus, ritu duplici 1 classis, casu quo hac Dominica occurreret dies 11 Novembris ; ratione enim dignitatis hic prævalet Festum Dedicationis.

c) Festum Visitationis B. M. V., 2 Julii, duplex 2 classis, Festum primarium, removebit Officium Festi duplicis 2 classis Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., quod est secundarium, ce-

lebrandum Dominica I Julii, casu quo 2 Julii esset Dominica dies; prævalebit enim ratione qualitatis Festum primarium B. Mariæ Virginis.

d) Festum Solemnitatis SS. Rosarii B. Mariæ V., duplex 2 classis, celebrandum Dominica I Octobris, prævalebit Festo S. Francisci Assisiatis, duplici majori, 4 Octobris, casu quo in Dominica I Octobris occurreret 4 dies hujus mensis, illiusque Festi Officium removebit a loco suo, a die sua propria.

Q. 110. *Quænam distinctio hodiedum facienda est inter Festa duplicia minora?*

R. Inter Festa duplicia minora quæ in Kalendario Ecclesiæ universalis describuntur, præter rationem qualitatis, a reliquis distinguenda sunt Festa primaria Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, quia habent privilegium Officii integri, et translationis, casu quo aliquod impedimentum accidentale occurrat in die qua hæc Festa celebranda sunt. Festa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum duplicia minora hodie numerantur viginti tres, scilicet:

1. S. Gregorii I (magni) Papæ, 12 Martii.
2. S. Ambrosii Episcopi, 7 Decembris.
3. S. Augustini Episcopi, 28 Augusti.
4. S. Hieronymi Presbyteri, 30 Septembris.
5. S. Hilarii Episcopi, 14 Januarii.
6. S. Francisci Salesii Episcopi, 29 Januarii.
7. S. Petri Damiani Episcopi, 23 Februarii.
8. S. Thomæ de Aquino, Confessoris, 7 Martii.
9. S. Isidori Episcopi, 4 Aprilis.
10. S. Leonis I (magni) Papæ, 11 Aprilis.
11. S. Anselmi Episcopi, 21 Aprilis.
12. S. Bedæ Venerabilis, Confessoris, 27 Maji.
13. S. Bonaventuræ Episcopi, 14 Julii.
14. S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, Episcopi, 2 Augusti.
15. S. Bernardi Abbatis, 20 Augusti.
16. S. Petri Chrysologi Episcopi, 4-5 Decembris.
17. S. Athanasii Episcopi, 2 Maji.
18. S. Basilii (magni) Episcopi, 14 Junii.
19. S. Cyrilli Episcopi Alexandrini, 9-14 Februarii.
20. S. Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, 18-22 Martii.
21. S. Gregorii Nazianzeni Episcopi, 9 Maji.
22. S. Joannis Chrysostomi Episcopi, 27 Januarii.
23. S. Joannis Damasceni, Confessoris, 27 Martii.

Nota. Privilegia quibus gaudent Festa primaria SS. Ecclesiæ Doctorum ritus duplicis minoris extendi non debent ad eorum Festa secundaria ejusdem ritus. (S. Rituum Congregatio, Decret. 24 Maji 1901, *Dubiorum*, ad X; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 401.)

Q. III. *Explica quid intelligatur per Sanctorum diem natalitiam et quasi natalitiam ; quid per diem propriam et tamquam propriam.*

R. I. In diversis responsis ad præcedentes Quæstiones de Festis indicatum fuit tamquam primarium Festum Sancti quod celebratur in ejus die natalitia vel quasi natalitia ; tamquam secundarium vero Festum Sancti quod de eodem celebratur præter natalem diem. Super quo notandum est :

Festum alicujus Sancti generatim celebratur in ejus die natalitia ; hæc autem non est dies temporalis nativitatis qua in hunc mundum editus fuit, nam hæc, si excipias Nativitatem B. Mariæ V., necnon S. Joannis Baptistæ, nullo modo celebrari potest liturgico ritu vel alio sacræ solemnitatis modo, uti rescripsit S. Rituum Congregatio, Decreto 21 Decembris 1893 (n. 3816) ; sed natalitia dies Sancti intelligitur ea in qua Sanctus obiit et ad cœlestem vitam migravit, seu æternam ingressus est vitam, sive martyrio, sive naturali morte ; eo quod, ut ait S. Ambrosius, e delictorum carcere liberatus libertati nascitur Salvatoris. Hinc passim in Martyrologio Romano annuntiatur per verbum « Natalis » dies festa alicujus Sancti quæ celebratur in ejus die natalitia.

Attamen, quia nonnumquam in hac præcise die qua Sanctus aliquis obiit, seu in ejus die natali nequit ejus Festum celebrari, quia jam aliud huic diei adscriptum reperitur in Kalendario Ecclesiæ universalis Officium præferendum, vel Festum alterius Sancti celebratum in hujus die natalitia et præferendum, in casu seligit pro arbitrio suo, et determinat Apostolica Sedes aliam diem in qua Sancti supervenientis Festum quotannis recoletur, quæ dies vocatur quasi natalitia, et fit hæc dies propria in qua ab omnibus Sancti Festum celebrari debet.

Exempla : Legimus in Breviario quod S. Franciscus Salesius, Episcopus, Confessor et Ecclesiæ Doctor, ad cœlum migravit die 28 Decembris, in Festo Sanctorum Innocentium Martyrum. In Martyrologio annuntiatur hujus Sancti natalitia dies, et describitur elogium hac ipsa die 28 Decembris; sed quando Summus Pontifex Alexander VII ipsum in Sanctorum numerum retulit, cum ejus Festum in die natali esset perpetuo impeditum per Festum Sanctorum Innocentium, mandavit idem Pontifex ejus Festum esse agendum die 29 Januarii. Hæc dies 29 Januarii, a Summo Pontifice sic statuta, fit dies quasi natalitia S. Francisci Salesii, et ejus dies propria et dies Festi, et iterum nuntiatur in Martyrologio ut Festum.

Idem notari potest pro S. Vincentio a Paulo, Confessore, cujus dies natalis annuntiatur die 27 Septembris, et dies quasi natalitia a Summo Pontifice statuta fuit 19 Julii, qua celebratur ejus Festum ; — idem pro S. Joanne Cantio, Confessore, qui obiit die 24 Decembris, in Vigilia Nativitatis Domini, et cujus dies quasi natalitia est 20 Octobris ; — etenim in istorum Sanctorum die natali existebat impedimentum pro ipsorum Festo eadem die celebrando : pro S. Vincentio Festum semiduplex Sanctorum Martyrum Cosmæ et Damiani, in eorum die natalitia (animadvertendum quod primitus Festum S. Vincentii a Paulo erat etiam ritus semiduplicis tantum) ; pro S. Joanne Cantio Vigilia Nativitatis Domini, quæ nullum Festum admittit.

Non pauci sunt Sancti pro quibus Apostolica Sedes ita determinavit diem quasi natalitiam pro ipsorum Festo celebrando ; quando in Festo alicujus Sancti Ecclesiæ universalis in Breviario Romano indicatur mutandum esse tertium versum in Hymno *Iste Confessor Domini* (de quo postea ad Q. 198), generatim dici potest hujus Sancti Festum celebrari in die quasi natalitia.

Nota. Quando Sedes Apostolica statuit novum Festum Sancti esse celebrandum ab universali Ecclesia in die natalitia vel quasi natalitia, fieri potest quod in aliquo loco, puta Diœcesi, dies statuta sit impedita alio Festo in eadem die jam celebrato ; normæ in casu tenendæ statutæ fuerunt a S. Rituum Congregatione, Decreto generali 21 Novembris 1893 (n. 3811), quæ postea in Tractatu latius exponentur ; pro momento juvat hic notare quod, si pro novo Festo dies natalitia, aut dies quasi natalitia ab Apostolica Sede statuta, sit in aliquo loco Festi alterius occupatione impedita, novi Festi Officium debet ab Episcopo loci Ordinario fixe inscribi in Kalendario loci, non in die pro suo arbitrio, sed in prima die libera post diem propriam ab Apostolica Sede statutam. Hæc prima dies libera vocatur

dies assignata ; Festum quidem remanet in die ab Apostolica Sede statuta, sed Festi Officium assignatur ab Ordinario ad aliam diem ; hæc dies assignata erit tamen primaria pro Sancto, etiamsi sit extra diem natalitiam aut quasi natalitiam Sancti, non enim introducitur aliud Festum præter Festum diei natalitiæ.

Exemplum : Per Decretum diei 10 Februarii 1901 statutum fuit in Ecclesia universali ab anno 1903 celebrandum esse Festum S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, sub ritu duplici minori, die 15 Maji. Sanctus obiit 7 Aprilis, dies 15 Maji, ab Apostolica Sede pro sua voluntate selecta pro Festo celebrando, est igitur dies quasi natalitia. Sed in Kalendario Archidiœcesis Mechliniensis pro die 15 Maji inscribitur Festum S. Dympnæ, Virginis et Martyris, sub ritu etiam duplici minori : Festum hoc celebratur in die natalitia Sanctæ Dympnæ, qua die annuntiatur ejus elogium in Martyrologio Romano. Retento juxta statutas leges occurrentiæ Festo S. Dympnæ in die natalitia, 15 Maji, Archiepiscopus Mechliniensis juxta easdem leges statuit Officium S. Joannis Baptistæ de la Salle perpetuo esse reponendum, non in diem ad suum arbitrium, sed in primam diem perpetuo liberam post 15 Maji, quæ est 22 Maji : hæc est dies assignata fixe pro Officio S. Joannis Baptistæ de la Salle.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 74, et passim.)

II. **Dies propria** alicujus Sancti est ejus dies natalitia ; attamen dies propria etiam jure appellatur et vere censetur dies Sancti quasi natalitia, seu dies per Breve aut Bullam Apostolicam electa et ad perpetuum determinata pro Festo Sancti celebrando extra ejus diem natalitiam, et quæ omnibus juribus et privilegiis diei natalitiæ fruitur.

Tamquam propria vocatur illa dies quam, in casu impedimenti pro Festo Sancti celebrando in die propria, statuere tenetur Episcopus pro Officio ad perpetuum transferendo seu reponendo ; verbo, tamquam propria est dies pro Officio Sancti assignata, et non fruitur omnibus juribus et privilegiis diei propriæ.

Exemplum : Dies 15 Maji est propria Sanctæ Dympnæ, Virginis et Martyris, quia est ejusdem dies natalitia. Eadem dies 15 Maji est propria S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, quia, etsi non sit natalitia, est quasi natalitia. In Archidiœcesi Mechliniensi Officium S. Joannis Baptistæ de la Salle assignatum fuit ad diem 22 Maji: hæc dies non est propria, sed tantum tamquam propria.

Nota. Dies propria etiam datur pro Festis mobilibus, etiamsi quotannis variis mensis aut mensium diebus occurrentibus ; sic Dominica in qua juxta Computum debet celebrari Pascha, est dies propria Paschatis ; Feria V post Festum SS. Trinitatis est dies propria SS. Corporis Christi ; Feria VI post hujus Octavam est dies propria SS. Cordis Jesu ; Dominica I Octobris est dies propria Solemnitatis SS. Rosarii ; etc. Istæ dies sunt omnes propriæ, quia ad celebranda hæc Festa fuerunt delectæ ab Ecclesia pro sua voluntate.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 400 ; et XVI, 1902, pag. 93.)

Q. 112. *Quid intelligitur per Festa « mobilia » et « immobilia » seu « fixa » ?*

R. I. Festa **mobilia** ea sunt, quæ determinatæ alicui diei mensis non sunt affixa, sed quorum celebrationis dies singulo anno mutantur, quia dependent a mobilitate Paschæ ; qualia sunt ipsa Resurrectio Christi, Ascensio, Pentecostes, SS. Cordis Jesu, Festum Septem Dolorum B. M. V. in Quadragesima, et similia. (Cfr. Q. 95, II.)

II. Festa **immobilia**, seu fixa appellantur ea, quæ determinatis diebus mensium affixa sunt, et pro mutatione annorum vel hebdomadæ quotannis non mutantur ; ex gr., Nativitas D. N. J. C. est Festum immobile in die 25 Decembris ; S. Rumoldus habet festam diem 1 Julii ; S. Alphonsus Maria de Ligorio, 2 Augusti, etc. ; attamen, quædam ex his Festis, per accidens interdum impedita, transferri in aliam diem debent, ut dicetur in secunda hujus Partis Sectione.

Nota. Præter Festa mobilia de quibus dicitur in responso, et quorum celebratio dependet a cyclo Paschali, alia sunt Festa quæ stabilem sedem in determinata die mensis non habent, sed quæ in determinata Dominica mensis alicujus debent celebrari ; qualia sunt Festa Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii ; — S. Joachim, Patris B. M. V., Dominica infra Octavam Assumptionis ; — SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris ; etc. — Horum Festorum celebrationis dies dependent a mobilitate litteræ Dominicalis, et proinde

eorum cyclus mutationis constringitur tantum in hebdomada dierum.

Hujusmodi Festa cum stricte fixa dici nequeant, vocantur mobilia, sed lato sensu tantum. Fixa etiam dici possunt eo sensu quod perpetuo fixa sunt in aliqua Dominica determinata; et quidem Dominica in qua fixa sunt perinde est ac si esset dies propria (cfr. Q. 111, II, Nota), a qua non nisi accidentaliter possunt amoveri.

Prædicta Festa lato sensu mobilia videntur fuisse fixa in determinatis Dominicis, inter alios ad eum finem ut melius valeant etiam a populo, seu cum feriatione celebrari.

Festa lato sensu mobilia, Dominicis affixa ratione feriationis, celebrantur sequentia in Ecclesia universali:

SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii.

SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris.

Septem Dolorum B. M. V., Dominica III Septembris.

SS. Nominis B. M. V., Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. M. V.

Patrocinii S. Joseph, Dominica III post Pascha.

S. Joachim, Patris B. M. V., Dominica infra Octavam Assumptionis ejusdem B. M. V.

Hæc omnia Festa de præcepto sunt celebranda, et transferenda quando in eorum Dominica impediuntur, ut postea latius dicetur.

Hujusmodi Festa celebrantur etiam sequentia in Archidiœcesi Mechliniensi:

S. Familiæ, Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam.

Patrocinii B. M. V., Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum.

SS. Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur et coluntur, Dominica ultima mensis Octobris.

S. Liberti, Martyris, Dominica II Julii.

Translationis Reliquiarum S. Rumoldi, Martyris, Dominica IV post Pascha.

Hæc Festa concessa fuerunt specialibus Indultis Sedis Apostolicæ, cum facultate ipsa transferendi in casu impedimenti. (Cfr. Directorium Archidiœcesis Mechliniensis anni 1898, pro Indulto Concessionis Festi S. Familiæ, 22 Martii 1897; et Directorium anni 1843, in quo describitur Indultum 22 Maji 1841, pro reliquis Festis.

Per Indultum 28 Julii 1874, Apostolica Sedes nobis concessit etiam septem Officia Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis, infra Hebdomadas post Septuagesimam et tempore Quadragesimali ; cum facultate ipsa quando impediuntur transferendi, numquam tamen ultra Quadragesimam. (Cfr. Directorium anni 1875.)

Sed et insuper hodiedum dantur plures Festivitates, quæ adsignantur certis Dominicis celebrandæ, quales sunt Maternitas, Puritas B. M. V., etc. ; hæc Festa conceduntur ob devotiones speciales, sed et etiam ut eorum Officia breviora possint subrogari Officiis Dominicalibus.

Hujusmodi Festa, mobilia lato sensu, minoris certe nobilitatis sunt, et de eis S. Rituum Congregatio pluries declaravit quod si impediantur a Festis nobilioribus, omittenda sint, neque transferri valeant, etiam in casu impedimenti perpetui quidem, nisi obtineatur speciale privilegium ; et quod Dominica cui adsignatæ sunt non sit dies propria eorum. Hæc igitur Festa non celebrantur tamquam Festa in propria die, neque sicut Festa mobilia lato sensu de quibus supra, sed tamquam Officia subrogata Officiis Dominicalibus.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 25, et pag. 637-644.)

Per Indultum 7 Novembris 1902 concessum fuit ut in Kalendario perpetuo ac proprio Archidiœceseos nostræ affigi valeant : Dominicæ II Octobris Festum Maternitatis B. M. V., et Dominicæ III Octobris Festum Puritatis B. M. V. ; non concessa fuit facultas translationis in casu impedimenti ; et ita anno 1903 omittitur Festum Puritatis B. M. V., occurrente in Dominica III Octobris Festo duplici 2 classis S. Lucæ Evangelistæ.

Q. 113. *Quid intelligitur per « Festa generalia », « Festa propria », et « Festa particularia » ?*

R. I. Festa **generalia**, seu **communia**, seu **universalia**, ea sunt quæ in universali Ecclesia celebrantur, et in Kalendario Ecclesiæ universalis inscripta sunt.

II. Festa **propria** ea sunt quæ in universali Ecclesia non celebrantur, sed pertinent ad Kalendarium particularis Ecclesiæ, vel loci, vel Diœcesis, vel Nationis ; et quæ ibi celebrantur, vel ex præscripto Rubricarum, vel ex concessione Sedis Apostolicæ. Ex diversis titulis Festa possunt esse propria ; quæ in nostra Diœcesi

celebrantur Festa propria ad sequentes titulos revocari possunt :

1) Festa particularis Ecclesiæ : Dedicatio Ecclesiæ ; Titulus Ecclesiæ.

2) Festa loci : Patronus loci.

3) Festa Diœcesis : Omnia Sanctorum Festa quæ in Kalendario Diœcesis Mechliniensis ab Apostolica Sede approbato occurrunt, et in Directorio notantur : *Officium Diœcesanum*. Hæc sunt Festa illorum Sanctorum, qui vel ortu, vel occubitu, vel fidei invectione aut dilatatione, vel præcipuo aliquo munere fuerunt in nostra Diœcesi illustres, et ideo sibi particularem cultum vindicant.

4) Festa Nationis : Festa quædam, vel ab antiquo tempore jam Belgio concessa, cum Belgium erat sub dominio vel Hispanico vel Austriaco, ex. gr., 28 Januarii, Festum S. Juliani Episcopi et Confessoris ; 30 Maji, S. Ferdinandi, Regis et Confessoris ; 16 Maji, S. Joannis Nepomuceni, Martyris ; et alia, quæ in Directorio notantur : *In Appendice Breviarii*.

Et inter hæc Festa nobis propria distinctio quidem facienda est ; alia enim sunt **magis propria**, alia **minus propria**.

Festa quæ sub numeris 1 et 2 recensentur pro aliqua particulari Ecclesia, pro particulari loco, magis propria certe sunt in illa Ecclesia, in illo loco, quam quæ sequentibus numeris 3 et 4 proponuntur. Item magis propria censentur Festa Sanctorum Diœcesis quam Festa Sanctorum nationis.

III. Festa **particularia** dicuntur ea Festa, hodiedum in multis Kalendariis particularibus inscripta, quæ proprie Ecclesias vel loci personas non tangunt, sed ob particulares devotiones introducta fuerunt.

Talia sunt, ex. gr., Officia Mysteriorum Passionis D. N. J. C., quæ inde a Septuagesima usque ad hebdomadam quartam in Quadragesima singulis Feriis tertiis aut sextis adscribuntur ; — Festa quædam B. Mariæ V., nempe Desponsationis, Exspectationis partus, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii.

Hujusmodi Festa, ab Apostolica Sede concessa ob devotiones particulares, propria dici non possunt nisi quodam lato sensu, et qualitatem proprietatis qualis

supra intelligitur sibi vindicare non valent ; hodie placet auctoribus ea ad distinctionem Festorum propriorum particularia vocare.

Nota. Ubi in Rubricis, et in Decretis S. Rituum Congregationis (ex. gr., in Rubricis generalibus, Tit. X, n. 6; et in Decreto 21 Novembris 1893, n. 3811, ad I) dicitur quod, cæteris paribus de Festo magis proprio fit præ minus proprio, seu quod Festum magis proprium præfertur Festo minus proprio, etiam in sensu quod Festum propius tangens Ecclesias particulares vel personas loci, cæteris paribus, præfertur Festo Ecclesiæ generalis seu universalis, animadvertendum tamen est quod non semper Festum proprium et particulare prævalere debet Festo generali.

Etenim in Nota I ad Q. 105 indicantur quædam Festa duplicia 1 classis universalia (nn. 1 ad 20), quæ nulli umquam Festo proprio etiam solemnissimo locum cedunt, etiam cæteris paribus : dedeceret enim in particularibus locis diversum colere objectum, illis diebus quibus universa Ecclesia quasi uno ore et corde suas præcipuas solemnitates concelebrat. — Supponitur, ex. gr., Festum Ascensionis occurrere aliquo anno in die eadem qua in particulari Ecclesia celebratur Anniversarium Dedicationis : utrumque Festum est ejusdem ritus duplicis 1 classis, utrumque est ejusdem qualitatis, nempe primarium, utrumque est ejusdem dignitatis, nempe Festum Domini ; imo Festum Dedicationis est fixum, de quo fieri deberet præ mobili quale est Ascensionis; Festum Dedicationis est magis proprium de quo fieri deberet præ minus proprio seu generali Ascensionis ; et tamen stat Festum Ascensionis præ Festo Dedicationis, quia Festum Ascensionis unum de viginti indicatis est, quæ tamquam universalia ita proxime tangunt omnes Christi fideles, ut sint ipsa propria totius Ecclesiæ, et ubique solemnissima.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 98, et pag. 664-669.)

Q. 114. *Quid intelligitur per « Festa præceptiva », et « Festa indultiva » ?*

Festa **præceptiva** ea sunt quæ a Rubricis recolenda

præscribuntur, qualia sunt Festa generalia in Kalendario Ecclesiæ universalis inscripta, et Festa propria, seu localia Dedicationis Ecclesiæ propriæ, Tituli Ecclesiæ, et Patroni loci.

Festa **indultiva** ea sunt quæ non ex Rubricarum præscripto, sed ex peculiari concessione recoluntur, quamvis ejusmodi Festa, semel concessa, de facto sint ex præcepto celebranda, qualia sunt Festa Nationis, aut Diœcesis, aut etiam particularia, de quibus in Quæstione præcedenti dictum fuit.

Aliquando Indultum respicit tantum ritum aut classem, quibuscum aliquod Festum præceptivum celebratur ; ita, ex. gr., Festum præceptivum Patrocinii S. Joseph, in Dominica III post Pascha in universali Ecclesia celebratum ritu duplici 2 classis, ex Indulto celebratur in Diœcesi Mechliniensi ritu duplici 1 classis. (Indultum 26 Novembris 1847.) Item Festum S. Francisci Borgiæ, Confessoris, 10 Octobris, semiduplex in Kalendario Ecclesiæ universalis, apud nos celebratur indultive ritu duplici 2 classis.

Nota. In Decretis S. Rituum Congregationis sæpius agitur de Festis quæ vocantur de **præcepto**. Etiamsi in expositione Rubricarum Breviarii stricte de eis non sit agendum, ut tamen termini jam habeatur notio, et ne confusioni detur locus, juvat hic addere hoc nomine vocari omnia Festa quæ vi præcepti Constitutionis Urbani VIII, anni 1642, et Epistolæ Encyclicæ Pii IX, 3 Maji 1858, recolenda sunt auditione Missæ, et abstinentia ab operibus servilibus : licet vero utraque hæc obligatio postea a Summis Pontificibus pro quibusdam ex his Festis abrogata fuerit, nihil umquam fuit innovatum quoad Officiorum ordinem et ritum ; sub quo respectu abrogata Festa eodem modo celebrantur ac si de præcepto remansissent. Hæc Festa de **præcepto** recensentur in Statutis diœcesanis, nº 80. Hæc sufficiant de eis hic loci dicta ; plura de eis exponuntur in Tractatu de Rubricis Missalis, Q. 11.

Q. 115. *Quid intelligitur per Festa, seu Officia « ad libitum », et quænam sunt præcipuæ hujusmodi Officiorum leges ?*

R. Festa **ad libitum** vocantur ea quæ, ad distinctionem illorum quorum celebratio in præcepto est posita, in quibusdam casibus ad libitum celebrari, eorumque Officia recitari possunt, vel omitti, ut aliud Officium recitetur. Attamen si jussu Episcopi Ordinarii appo-

nuntur in Kalendario diœcesano seu Directorio, ad eorum celebrationem tenentur quicumque hoc Directorio uti debent.

Quæstio hic non est de Officiis Votivis per Decretum 5 Julii 1883 (n.5879) indultis pro diebus liberis per hebdomadam, loco Officiorum Ferialium ; de his dicetur postea Q. 151. — Agitur de quibusdam Sanctorum Festis, quæ gradus et conditionis inferioris sunt quam Festa præceptiva et indultiva, seu facultativa. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 622 et sqq.)

In Kalendario Ecclesiæ universæ tamquam Festa semiduplicia ad libitum signantur duo Festa : 1° S. Canuti, Regis et Martyris, 19 Januarii ; 2° S. Remigii, Episcopi et Confessoris, 1 Octobris, quod Festum tamen inscribitur « Semiduplex ad libitum vel Simplex de præcepto », et in Kalendario particulari Archidiœcesis Mechliniensis hoc Festum est duplex (de præcepto) ; insuper 3° in eodem Kalendario Mechliniensi inscribitur tamquam semiduplex ad libitum Festum S. Juliani, Episcopi et Confessoris, 28 Januarii, celebrandum in toto dominio Regis Catholici Hispaniarum.

Pro duobus itaque quæ a nobis celebranda sunt Festis semiduplicibus ad libitum, S. Canuti nempe et S. Juliani, sint sequentes præcipuæ leges observandæ :

1. Casu quo in eorum die propria accidentaliter occurrat Festum aliquod quod prævalet, vel Dominica, omnino omittuntur, et de illis nequidem fit commemoratio.

2. In iis locis ubi 19 vel 28 Januarii sunt dies infra Octavam aliquam, ex. gr., in locis quorum S. Hilarius (14 Januarii), vel S. Antonius (17 Januarii) sunt Patroni, vel ubi Conversio S. Pauli Apostoli (25 Januarii) celebratur tamquam Titulus Ecclesiæ, et in aliis similibus casibus, Festa semiduplicia ad libitum omnino omittuntur, et perpetuo quidem ; et dicitur his diebus Officium de die infra Octavam Sancti Patroni vel Titularis ; neque ipsa ad aliam diem assignari possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4037, ad 1.)

3. Si dies 19 vel 28 Januarii est Sabbatum, aut alia antecedens hebdomadæ dies, in qua reponendum foret Officium Dominicæ anticipandæ (cfr. infra Q. 124), ce-

det Officio Dominicæ locum Officium Festi semiduplicis ad libitum, et omittetur. (Decreta S. Rituum Congregationis, 4 Aprilis 1705, n. 2152, antiq. 3718, ad 5 ; 29 Maji 1885, n. 3636, antiq. 5941, ad 1 ; 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 1.) — Retentum quidem fuit in nova editione Collectionis Decretorum Decretum 20 Septembris 1681 (n. 1680, antiq. 2966), quo S. Congregatio respondit Festum S. Canuti celebrari posse, etiam quando in hebdomada anticipanda sit Dominica III post Epiphaniam ; sed in Indice Decretorum notatur hoc Decretum esse emendatum aliis Decretis supra indicatis. Peti posset quare Decretum non fuerit expunctum e nova editione anni 1901.

§ 3. De Dominicis

Q. 116. *Explica originem celebrationis diei Dominicæ, et expone quomodo ejus celebratio successivis temporibus fuit observata.*

R. I. Dies hebdomadæ quæ præ cæteris celebratur a Christianis est dies Dominica. Judæi sanctificabant diem hebdomadæ septimam (Sabbatum), quia ea die Dominus requievit, id est, a creandis novis speciebus cessavit. Relicto autem Sabbato Judæorum, Christiani mox celebrarunt Resurrectionem Domini die Sabbatum immediate sequente, octava scilicet, seu potius, prima hebdomadæ, eamque Dominicam appellarunt, ut divino cultui præcipue sacram, necnon multis præcipuisque mysteriis in ea peractis celebrem.

Jam in Scriptura dies hæc tamquam solemnis designatur. Etenim « una autem sabbati », id est, prima hebdomadæ die, conveniebant « ad frangendum panem. » (Act. Cap. XX, ℣. 7.) — « Per unam sabbati » jubet S. Paulus ut unusquisque eleemosynas « apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit. » (I Cor. Cap. XVI, ℣. 2.) Ex his patet, Christianos jam a tempore Apostolorum in die prima hebdomadæ convenisse ad celebrationem Missæ et ad colligendas eleemosynas.

II. Antiquissimi scriptores ecclesiastici memorant tum relictum judaicum Sabbatum, celebratamque die Solis Resurrectionis Dominicæ memoriam, tum hujus

diei gaudium, in qua nec umquam jejunabant, nec genuflectentes orabant Christiani. Tertullianus scribit, die Dominica esse cavendum ab officiis et negotiis. (De Oratione. Cap. XXIII.) Sæculo autem quarto sanctificatio hujus diei proponitur tamquam præceptum, et successivis temporibus a Conciliis necnon et ab Imperatoribus prohibebantur negotia publica, judicia, nuptiæ, commercia, spectacula, venationes, itinera. Missæ solemni parochiali tenebantur omnes interesse ; tantumque a sæculo XIII licuit, stante impedimento, præcepto Missæ satisfacere per assistentiam Missæ privatæ.

Primitus id privilegii sibi vindicabat Dominica quæcumque, ut ea die semper Dominicæ Officium recitaretur, nec ulla umquam Festivitas, nisi celebrior aliquando occurreret Domini, celebraretur. Sæculo XVI introducta fuit distinctio Dominicarum in majores et minores de quibus agitur in sequentibus.

Q. 117. *Da ordinem Dominicarum totius anni ecclesiastici.*

R. Dominicæ totius anni ecclesiastici quinquaginta tres sequenti ordine disponuntur :

Ad cyclum nativitatis domini (cfr. Q. 85) referuntur sequentes duodecim :

Dominica I Adventus.

Dominicæ II, III, IV Adventus.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini (sæpe vacans).

Dominica inter 1 et 6 Januarii (vacans semper).

Dominica infra Octavam Epiphaniæ, 1 post Epiphaniam (vacans interdum).

Dominica II post Epiphaniam.

Dominicæ III, IV, V, VI post Epiphaniam (vagæ).

Ad cyclum paschatis referuntur sexdecim sequentes :

Dominica in Septuagesima.

Dominica in Sexagesima.

Dominica in Quinquagesima.

Dominica I in Quadragesima.

Dominicæ II, III, IV in Quadragesima.

Dominica de Passione.
Dominica in Palmis.
Dominica Resurrectionis D. N. J. C.
Dominica in Albis, in Octava Paschæ.
Dominicæ II, III, IV, V post Pascha.
Dominica infra Octavam Ascensionis.

Ad cyclum pentecostes referuntur sequentes viginti quinque :
Dominica Pentecostes.
Dominica SS. Trinitatis, I post Pentecosten.
Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi, II post Pentecosten.
Dominica III et sequentes usque ad XXIV post Pentecosten.
Ex his, Dominicæ post Epiphaniam et Dominicæ post Pentecosten referuntur ad commemorationem doctrinæ Domini nostri, reliquæ vero ad commemorationem vitæ Domini nostri.

Q. 118. *Cujus ritus est Officium de Dominica ?*
R. Officium Dominicarum omnium fit semiduplex, excepto Officio Dominicæ in Albis, quod est ritus duplicis. Excipiuntur etiam, ut patet, Officia Dominicarum quæ simul sunt Festa, scilicet : Paschatis et Pentecostes, quæ sunt ritus duplicis et Festa I classis.

Q. 119. *Quæ est Dominicarum distinctio ? Explica.*
R. Dominicæ sunt vel **majores**, in quibus recoluntur præcipua creationis et redemptionis mysteria, et populus Christianus spirituali quodam apparatu disponitur ad celebrandas solemniores Festivitates ; — vel **minores**, quæ etiam vocantur **communes** vel **per annum**.
Dominicæ majores sunt vel **primæ** vel **secundæ** classis.
Dominicæ majores primæ classis adeo sunt privilegiatæ, ut earum Officium integrum numquam omittatur, quocumque adveniente Festo etiam duplici I classis. Sunt sequentes octo numero :
Dominica I Adventus.
Dominica I in Quadragesima.
Dominica Passionis.

Dominica in Palmis.
Dominica Paschatis.
Dominica in Albis.
Dominica Pentecostes.
Dominica SS. Trinitatis.

Exemplum : Si Festum S. Joseph, duplex 1 classis, 19 Martii, occurrat in Dominica Passionis, locum cedet Officium S. Joseph, et 19 Martii fiet Officium Dominicæ Passionis.

Nota. Multum disputant auctores de origine et ratione Dominicæ SS. Trinitatis, quæ recensetur inter Dominicas majores primæ classis.

Rubricæ ipsam signant modo ut Dominicam Trinitatis, modo ut Festum SS. Trinitatis : dicitur Festum Trinitatis quia ad instar Festi se habet ; dicitur Dominica Trinitatis quia ejus Officium non est nisi Officium Dominicæ solemniori ritu ea die celebratum, seu subrogatum Officio psalteriali ipsius Dominicæ, cujus tamen commemoratio in Breviario et Missali remansit, ne illius memoria penitus periret.

Rubrica etiam ponit Dominicam Trinitatis inter Dominicas majores primæ classis, quia, etiamsi ejus jura non omnino eadem jam sint quam reliquarum Dominicarum hujusmodi, habet tamen cum istis quod numquam omittitur in occurrentia ; inscribit autem Festum SS. Trinitatis inter Festa duplicia secundæ classis, quia ratione Festi habet ea tantum quæ sunt propria Festorum duplicium hujus classis.

Festum SS. Trinitatis in Romana Ecclesia celebrari cœpit sæculo XIV ineunte.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 163-171 ; et XVI, 1902, pag. 577 et sqq.)

Dominicæ majores secundæ classis minus sunt privilegiatæ, et locum cedunt Festo duplici 1 classis tantum ; in eo casu de Dominica taliter impedita fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et pro nona lectione in Matutino Festi legitur Lectio de Homilia in Evangelium Dominicæ.

Sunt sequentes novem numero :
Dominicæ II, III, IV Adventus.
Dominica in Septuagesima.
Dominica in Sexagesima.
Dominica in Quinquagesima.
Dominicæ II, III, IV in Quadragesima.

Exemplum : Si Festum S. Joseph, duplex 1 classis, 19 Martii, occurrat in Dominica IV in Quadragesima, celebrabitur hac

die Festum S. Joseph, et in ejus Officio fiet de Dominica Commemoratio in primis Vesperis, in Matutino legetur pro nona lectione Lectio de Homilia Dominicæ, fietque Commemoratio in Laudibus et secundis Vesperis. Idem resolve, si 8 Decembris Festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V., duplex 1 classis, occurrat in Dominica II Adventus.

E contra, si 2 Februarii Festum Purificationis B. M. V., duplex 2 classis, occurrat in Dominica in Septuagesima; aut si 24 Februarii Festum S. Mathiæ Apostoli, duplex 2 classis, occurrat in Dominica in Sexagesima; aut si 21 Decembris Festum S. Thomæ Apostoli, duplex 2 classis, occurrat in Dominica IV Adventus, locum cedent hæc Officia Festorum duplicium 2 classis, et fiet in his diebus Officium de respectivis Dominicis 2 classis.

Dominicæ minores sunt cæteræ omnes Dominicæ per annum; istæ Festis duplicibus etiam minoribus (non autem Festis inferioris ritus) locum cedunt; et tunc in Officio Festi fit Commemoratio de Dominica in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur pro nona lectione in Matutino Festi Lectio de Homilia in Evangelium Dominicæ.

Q. 120. *Indica duplex speciale privilegium Officii Dominicæ.*

R. Officium Dominicæ, eo quod hæc Domini sit dies, omnino venerabile censetur ab Ecclesia, unde duplex ipsi tribuitur privilegium, nempe quod numquam ad aliam diem transfertur, et quod numquam in totum omittitur.

De Festis jam ad Quæstionem 110 indicatum verbulo fuit, et postea latius explicabitur, quod in casu impedimenti propter Officium aliquod solemnius aut dignius, aliquando eorum Officium ad aliam diem transfertur, aliquando Festum per Commemorationem tantum recolitur, aliquando omnino omittitur. Privilegium hoc Officii Dominicæ est, quod in casu occurrentis impedimenti numquam in totum omittatur, sed in ipsa die Dominica semper per Commemorationem de ipso fiat.

Exemplum: Dominica post Octavam Omnium Sanctorum celebratur in Archidiœcesi Mechliniensi Festum Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, duplex 1 classis; si hæc dies occurrit 11 Novembris, indicatur in Kalendario hac die Festum duplex minus S. Martini, Episcopi et Confessoris: ratione Festi duplicis 1 classis Dedicationis, omittitur omnino Festum S. Mar-

tini; et ubi S. Martinus Patronus est loci, quia tunc ejus Festum etiam est ibi duplex 1 classis, ad aliam diem transfertur. Officium vero Dominicæ, etsi ritus semiduplicis tantum sit, stat intransferibile hac ipsa die 11 Novembris, et non omittitur omnino, sed ejus fit Commemoratio eo modo qui in responso ad præcedentem Quæstionem indicatur.

Exceptiones tantum dantur, si tamen exceptiones casus istos dicere oporteat, quoad omissionem, pro Dominicis quæ vacantes nominantur, et de quibus dicitur Q. 122; quoad translationem, pro Dominicis quarum Officium aliquando anticipatur, et de quibus agitur Q. 124.

Q. 121. *Quænam est Dominica I Adventus, sive prima in anno ecclesiastico?*

R. Est illa quæ est proximior Festo S. Andreæ, Apostoli, vel quæ venerit in ipso ejus Festo, quod celebratur 30 Novembris. Dominica ergo illa venit semper vel 27, 28, 29, 30 Novembris, vel 1, 2, 3 Decembris, secundum quod Littera Dominicalis currentis anni indicabit unam ex his diebus.

Q. 122. *Quædam Dominicæ occurrentes in cyclo Nativitatis dicuntur « vacantes »; quare ita vocantur, et quænam tales esse possunt?*

R. Vacantes dicuntur illæ Dominicæ, de quibus nihil, neque Officium neque Commemoratio, fit in ipsis Dominicis diebus, in quibus aliud Officium prævalet et dicitur. Hoc autem locum habet quando Festa et dies Octavæ Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Apostoli, SS. Innocentium, Vigilia Epiphaniæ, Festum Epiphaniæ ejusque dies Octava in Dominicam incidunt. Tunc enim in Officio horum Festorum, eorumque diei Octavæ, et in dicta Vigilia nihil fit de Dominica in qua occurrunt, eaque Dominica eo anno Officio vacare, seu Dominica vacans dicitur.

Tres hujusmodi Dominicæ notantur in ordine Dominicarum ad Quæstionem 117 dato.

Advertendum tamen est quod, quamvis istæ Dominicæ ita vacent ut modo dictum est, fiat tamen Officium de Dominica infra Octavam Nativitatis, die 30 Decembris, in aliqua die infra hebdomadam; Officium vero de Dominica infra Octavam Epiphaniæ, die 12 Januarii,

Sabbato post Festum Epiphaniæ. — Si quando dies Dominica inter Octavam Nativitatis (1 Januarii) et Epiphaniam (6 Januarii) intercedat, hæc nequidem correspondens sibi Officium habet, et ideo dicitur vacans semper. Reliquæ autem duæ non semper vacant ; etenim de Dominica infra Octavam Nativitatis fiet in die Dominica Officium die 30 Decembris, et Commemoratio die 29, vel 31 Decembris ; de Dominica infra Octavam Epiphaniæ fiet in die Dominica Officium a 7 ad 12 Januarii ; ideoque istæ dicuntur vacantes sæpe vel interdum, sed non semper.

Q. 123. *Quare, in eodem cyclo Nativitatis, Dominicæ III, IV, V et VI post Epiphaniam vocantur « vagæ » ? Explica.*

R. Vagæ dicuntur istæ Dominicæ, quia non certum sicut reliquæ ordinem in anno ecclesiastico habent ; nam subinde post Epiphaniam earum Officium dicitur, aliquando vero ad longum tempus, scilicet longe post Pentecosten earum Officium transfertur.

Etenim, cum ordo Dominicarum post Epiphaniam determinetur a termino fixo, videlicet a Festo Epiphaniæ (6 Januarii), tota vero series Dominicarum a Septuagesima, qua incipit cyclus Paschatis, usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, sequatur mobilitatem Festi Paschatis (Septuagesima enim venire potest a 18 Januarii ad 21 Februarii, secundum quod Pascha celebretur a 22 Martii ad 25 Aprilis) ; necesse est, si Pascha maturius occurrat in anno, totam illam seriem retrogradi versus Epiphaniam. Inde duo eveniunt : primum, quod plures sint Dominicæ post Epiphaniam quam ut poni possint, ob occurrentem Septuagesimam in unam ex illis ; alterum, quod numerus viginti quatuor Dominicarum post Pentecosten non sufficiat ut compleatur annus ecclesiasticus ; supererit enim spatium temporis inter Dominicam XXIV post Pentecosten et Dominicam I Adventus. Quo in casu, jubet Rubrica, ut quæ supersunt Dominicæ post Epiphaniam, quarum Officio locus non datur Epiphaniam inter et Septuagesimam maturius occurrentem, reponantur post Pentecosten, et locum occupent earum quæ ibi desiderantur.

Quo ordine reponendæ sint post Pentecosten istæ Dominicæ, indicat Rubrica Breviarii (Tit. IV, n. 4) ; illud notare sufficiat eas esse reponendas inter Officia Dominicæ XXIII et Dominicæ XXIV post Pentecosten, ita ut Officium Dominicæ XXIV post Pentecosten semper ponatur ad ultimam anni ecclesiastici diem Dominicam, quia quasi præparatio est ad proxime sequentem Dominicam I Adventus : proponit enim Ecclesia in prima Dominica anni ecclesiastici (I Adventus) commemorationem extremi judicii in Evangelio hujus Dominicæ, eodemque modo terminat seriem Dominicarum ejusdem anni, facta in ultima Dominica ecclesiastici anni (XXIV post Pentecosten) ejusdem ultimi judicii commemoratione in hujus Dominicæ Evangelio.

Q. 124. *Ex qua causa interdum contingit quod alicujus Dominicæ in anno supersit Officium, eo quod dies Dominica deficiat in qua ponatur ? Quid tunc faciendum est ?*

R. I. Annus constat hebdomadibus quinquaginta duabus cum die una (bissextilis annus cum diebus duabus) ; unde in anno occurrunt Dominicæ dies frequentius quidem 52, aliquando vero 53. Ideo in ordine Dominicarum, descripto Quæstione 117, recensentur Dominicæ 53, totidemque Dominicarum (excepta una quæ semper vacat) Officia in Breviario inserere oportuit.

Quando in anno numerabuntur Dominicæ dies tantum 52 (cum nempe littera Dominicalis alia erit quam G et A), in tali casu continget quod Dominica dies, in qua ponatur Officium alicujus ex Dominicis vagis post Epiphaniam, non reperitur, neque ante Septuagesimam neque post Pentecosten.

II. In hoc casu Officium Dominicæ hujus anticipatur, id est, ponitur in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ ; si autem in hoc Sabbato jam agitur aliquod Officium novem Lectionum duplex aut semiduplex, intellige Festum, vel Officium assignatum aut translatum alicujus Sancti (modo non sit Festum ad libitum, de quo dictum fuit Quæstione 115, vel Officium votivum ex iis de quibus dicetur postea QQ. 149-154), Sabbatum non est dies libera ; tunc quæritur num in hac hebdomada reperiatur alia dies libera præcedens, in

qua non ponitur jam Officium novem Lectionum ut supra ; quæ si adsit, in ea die quæ proximior Sabbato est, reponitur Dominicæ Officium ; si non adsit, Dominicæ anticipatæ Officium non integre erit dicendum, et in Officio novem Lectionum Sabbati, etiamsi alicubi celebraretur hoc Sabbato Festum duplex 1 classis, legitur pro nona lectione Lectio de Homilia Dominicæ, et in Laudibus fit ejusdem Dominicæ Commemoratio, dicitur nempe Antiphona Cantici *Benedictus* et Oratio ipsius Dominicæ, Versus autem dicitur ex Psalterio in Sabbato.

Item contingere potest, sed raro (quando scilicet Pascha celebratur 24 vel 25 Aprilis), ut, posito ante Septuagesimam Officio sex Dominicarum post Epiphaniam, post Pentecosten supersint tantum dies Dominicæ viginti tres ; tunc in Dominica XXIII legi debet Officium Dominicæ XXIV, et Officium Dominicæ XXIII anticipatur in præcedenti Sabbato, aut, eo impedito, in præcedenti hebdomadæ illius die, aut, impedita tota hebdomada, in Sabbato legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ ejusque fit Commemoratio in Laudibus, ut supra.

Quomodo dicatur Officium Dominicæ anticipatæ, vide in responso ad Q. 126.

Q. 125. *Dominica prima mensium Augusti, Septembris, Octobris et Novembris, habet rationem potissimam in Breviario, quia in ea solet poni Initium Libri de Scriptura sacra, cum sua historia, id est, cum Responsoriis (cfr. dicta Q. 32, 7°) ; quæritur quæ Dominica censenda sit prima mensis ?*

R. In prædictis mensibus illa Dominica censenda est prima horum mensium, quæ venit in Kalendis, vel quæ proximior est Kalendis talis mensis, sive ante, sive post. Ergo Dominica illa semper occurrere debet, vel in una ex quatuor primis diebus mensis a quo denominatur, vel in una ex tribus ultimis diebus mensis præcedentis. Exemplum : Dominica I Septembris erit dies Dominica quæ venit in 29, 30, 31 Augusti, vel 1, 2, 3, 4 Septembris.

Hujusmodi Dominicæ primæ mensis computus dicitur ecclesiasticus.

Si vero agatur de Festo in determinata mensis Dominica celebrando, tunc Dominicæ computantur juxta computum civilem seu vulgarem ; nimirum mensis prima Dominica erit illa quæ prior venit in ipso mense ; secunda, quæ hanc subsequitur, et sic porro. Unde, ex. gr., Festum Septem Dolorum B. M. V., quod Dominica III Septembris celebrari debet, ponendum est in illa Dominica quæ revera tertia occurrit in mense Septembri, etsi possit esse quarta juxta priorem computandi modum. Idem resolve de Festo SS. Rosarii in Dominica I Octobris. — Idem dicendum est de Festo SS. Angelorum Custodum, celebrando in Dominica I Septembris, cum Octava, ex concessione Apostolica Clementis Papæ IX, anni 1677 pro omnibus ditionibus subjectis Romanorum Imperatori ; attamen in Belgio (excepta Diœcesi Leodiensi) hoc Festum celebratur, sicuti ab initio concessionis ibi celebratum fuit, Dominica I Septembris juxta computum ecclesiasticum determinata ; quam consuetudinem in casu servari posse rescripsit S. Rituum Congregatio. (Decret. Namurcen. 23 Maji 1835, n. antiq. 4746, ad 11.) Decretum hoc in nova editione Collectionis Decretorum anni 1898 non amplius reperitur ; non ideo tamen credendum est consuetudinem plurium sæculorum esse reprobatam.

Q. 126. *Quomodo dicitur Officium de Dominica ?*

R. Officium Dominicæ dicitur eo modo quo describitur in Psalterio, ritu duplici pro Dominica in Albis, ritu semiduplici pro reliquis Dominis per annum (cfr. Q. 118) ; scilicet : incipit a primis Vesperis in Sabbato, in quibus, si non præcedit aliquod Officium duplex vel semiduplex, Psalmi dicuntur ii qui describuntur in Psalterio pro Sabbato ; quæ Vesperæ in casu nihilominus jure dicuntur primæ Vesperæ ipsius Dominicæ, quia etsi de Sabbato pro parte, jam habent ritum semiduplicem, et fiunt pars Officii ipsius Dominicæ isti Psalmi Sabbati. Ad Matutinum, dicuntur tres Nocturni, quorum primus habet duodecim Psalmos, secundus et tertius singuli habent tres Psalmos, ut in Psalterio, et leguntur novem Lectiones, ut in Proprio de Tempore ; ad Primam dicuntur quatuor Psalmi et

Symbolum S. Athanasii. (Cfr. Specimen Officii Dominicæ per annum, descriptum Q. 67.)

Excipiuntur ab hoc ordine Officii Dominicæ :

1° Dominicæ Paschatis et Pentecostes, quæ simul sunt Festa, et proprium Officium festivum habent.

2° Dominica SS. Trinitatis, in qua Officium non de Dominica sed de Festo dicitur, ut describitur in Breviario (cfr. Nota ad Q. 119).

3° Dominicæ infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et SS. Corporis Christi, in quibus Officium fit ut infra Octavam istorum Festorum, non Dominicale, sed festivum, ut Officium concordet maximæ celebritati horum Festorum. — Hic autem modus dicendi Officium de Dominica infra istas quatuor Octavas non extendi potest ad Dominicas infra alias Octavas occurrentes ; in iis enim Officium Dominicale dicendum est, omissis tantum Precibus et Suffragiis ratione Octavæ.

4° Dominicæ anticipatæ, quarum Officium ritu Officii Ferialis peragitur.

Officium itaque Dominicæ anticipatæ, de qua agitur Q. 124, non dicitur eodem modo quam in ipsa die Dominica ; etiamsi hujusmodi Dominicæ Officium stricte non debeat dici feriale (est enim hæc Dominica nobilior communi Feriæ, imo quidem Festo simplici, et Festo ad libitum, et Officio votivo), peragitur tamen ritu feriali, scilicet : omissis Vesperis, quas non habet quia Officium est feriale et Feria primas Vesperas non habet, pro Matutino Officium fit de Sabbato aut de Feria, ut in Psalterio describitur ; sed pro Lectionibus, omissis iis quæ sunt de Scriptura hujus Feriæ, leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium (ex tertio Nocturno) Dominicæ anticipatæ, cum tribus Responsoriis tamen Sabbati aut Feriæ, nisi ipsa Dominica propria Responsoria habeat ; in Laudibus dicuntur omnia ut in Psalterio pro Sabbato aut Feria, exceptis Antiphona ad *Benedictus* et Oratione, quæ erunt de Dominica ; dicuntur Preces feriales et Suffragia, etiam de Cruce ; item ad Horas dicuntur omnia ut in Psalterio, cum Oratione de Dominica. In Vesperis vero nihil amplius jam fit de Dominica anticipata.

§ 4. De Feriis

Q. 127. *Quid intelligitur nomine Feriæ in Rubricis Breviarii ?*

R. Prænotatur quod more ecclesiastico, a primis Ecclesiæ sæculis, dies hebdomadæ vocatæ fuerunt Feriæ (cfr. Q. 81) ; abhorrebant enim Christiani profanis nominibus gentium vocare dies. Gentiles hebdomadæ dies profanis nominibus denotabant, quæ sunt dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni. Loco profanorum nominum Ecclesia mox, dato primæ diei hebdomadæ nomine Dominicæ, retentoque septimæ diei nomine Sabbati, reliquis diebus nomen Feriæ tribuit numeratis inde a Dominica Feriis secunda, tertia, quarta, quinta et sexta. — Feriæ proprie dies sunt, quibus ab operibus vacandum est, eoque adhibito vocabulo significat Ecclesia quod nedum prima,sed et cæteræ dies Domino sacratæ esse debent, præsertim pro clericis, quibus Festorum loco sunt singulæ dies, cum ratione vocationis omnibus sæcularibus negotiis renuntiare, atque a rerum civilium tractatione vacare, et soli Deo famulari quotidie debeant.

In Rubricis Breviarii illæ dies appellantur Feriæ, in quibus nullum agendum occurrit Officium speciale, neque de Dominica, neque de Festo, neque de Octava, neque de Vigilia ; neque dicitur Officium aliquod votivum ; in quibus itaque recitatur Officium prout in Psalterio habetur et in Proprio de Tempore, pro respectivis per annum Feriis.

Q. 128. *Quomodo distinguuntur Feriæ ? Explica.*

R. 1° Distinguuntur Feriæ in majores et minores.

Majores sunt : Feriæ omnes Adventus, Feriæ omnes Quadragesimæ, Feriæ Quatuor Temporum, Feria II Rogationum. Minores sunt omnes reliquæ per annum Feriæ.

2° Inter majores Ferias quædam insuper distinguuntur, dictæ privilegiatæ, et sunt : Feria IV Cinerum, seu prima inter Ferias majores Quadragesimæ ; et Feriæ omnes Hebdomadæ sanctæ, quo sub nomine hic indica-

bimus intelligi Ferias II, III et IV, cum reliquæ jam fuerint recensitæ inter Festa duplicia 1 classis.

3° Etiam nova ulterius distinctio notanda est inter Ferias majores, ex quibus sunt quædam **prohibentes Officia votiva ad libitum** ; sunt istæ, præter Ferias privilegiatas supra indicatas, Feriæ temporis Passionis, scilicet Feriæ inter Dominicam Passionis et Dominicam Palmarum; et Feriæ sacri Adventus a die 17 usque ad 24 Decembris, in quibus dicuntur in Officio Vesperarum majores Antiphonæ O.

Nota. Omittimus recensere inter Ferias, etiamsi de eis agatur in Rubricis Breviarii, Titulo V, tum Vigilias, de quibus dicitur in § 5 sequenti, tum dies infra Octavas Paschæ et Pentecostes, de quibus dicitur § 6.

Q. 129. *Paucis expone rationes distinctionis Feriarum.*

R. 1° **Feriæ majores Adventus.** Adventus nomine venit sacrum tempus ante Natalem Christi, quo per pias exercitationes animi fidelium præparantur ad rite celebrandam propitiamque sibi reddendam Salvatoris Nativitatem.

In Galliis primum orta sæculo V, inde in Italiam migravit pia hæc institutio sæculo VI, atque ex Urbe Roma per totum orbem christianum mox propagata fuit.

Christiani universim toto hoc tempore, sicut hodiedum aliquæ religiones observant, olim ab esu carnium et lacticiniorum abstinere solebant, licet non jejunarent. Antiquitus quidem hoc observabatur a die 14 Novembris, ideoque Adventus « S. Martini Quadragesima » audiebat. (Cfr. Nilles, *Kalendarium manuale*, Edit. 1879-81, II, pag. 533 et sqq.)

Ætate nostra nihil de hac institutione superest, præter vestigium quod in Officiis hujus sacri temporis remanet, quæ more quasi Quadragesimali exsolvuntur, ex quo hujus temporis Feriæ remanserunt majores reliquis per annum.

2° **Feriæ majores Quadragesimæ.** Quadragesima appellantur quadraginta illæ dies, quibus fideles per pias exercitationes, per memoriam Dominicæ Passionis, et jejunia se præparant ad Paschalia festa.

Quum hæc institutio retenta semper in universa

Ecclesia fuerit, atque ejus origo ignoretur, non nisi Apostolica auctoritate tradita haberi debet.

Olim incipiens a Dominica I in Quadragesima, constabat sex septimanis, hoc est, triginta sex diebus, nam pro jejunio dies Dominicæ excipiebantur ; ætate probabiliter S. Gregorii Magni additæ fuerunt quatuor præcedentes dies, ut numerus sacer conficeretur quadraginta dierum, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, ejusque initium positum fuit ad Feriam IV Cinerum.

Cum Liturgia Quadragesimalis tota pœnitentiam spiret et luctum, ideo Quadragesimæ Ferias reliquis per annum jure majores haberi patet.

3° **Privilegiatæ Feriæ.** Præ reliquis Feriis majoribus in Quadragesima merito privilegiis donantur, tum Feria IV Cinerum, in capite jejunii, ob solemnem illam cæremoniam benedictionis et impositionis cinerum, tum omnes Feriæ Hebdomadæ majoris seu sanctæ, ob sanctissima maximaque mysteria, quorum institutio ac memoria per decursum hujus hebdomadæ recoluntur.

4° **Feriæ Quatuor Temporum.** Sunt Feria IV, Feria VI et Sabbatum, a) post Dominicam III Adventus; b) post Dominicam I in Quadragesima ; c) post Dominicam Pentecostes ; d) post Dominicam III Septembris, seu post Festum Exaltationis S. Crucis (14 Septembris).

A primis Ecclesiæ temporibus, juxta traditionem quam censent Apostolicam, habitæ fuerunt tamquam dies pœnitentiæ in quibus jejunium erat observandum, Feria quarta, ob crudele videlicet concilium decretumque Judæorum de morte Christi ; Feria sexta, propter crucifixionem et necem Christi ; et Sabbatum, ob sepulturam Dominicam, quia constat hac die Apostolos in mœrore fuisse et propter metum Judæorum se occuluisse et jejunasse.

Cum durior videretur observatio hujus triplicis per singulas totius anni hebdomadas jejunii, postea statutum fuit ut hoc jejunium quater in anno servaretur ; Breviarium Romanum S. Callisto I († 222) hoc statutum tribuit, dicens quod ipse « constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. » (Lectio IV in Festo S. Callisti I, 14 Octobris.)

Hac observatione id sibi voluit Ecclesia, ut in quatuor anni partibus, veluti in quatuor mundi cardinibus (ita S. Leo Magnus), pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus ; ut divinam opem exoremus, atque his pœnitentiæ operibus nostra crimina expientur ; ut denique idoneos altaris ministros a Deo impetremus, nam Sabbato Quatuor Temporum solemnes clericorum ordinationes peraguntur.

(Cfr. Nilles, *Kalendarium manuale*, Edit. 1879-81, I, p. 62 ; II, p. 121 ; — Probst, *Lehre vom Liturgischen Gebete* ; — Quadt, *Liturgic der Quatembertage*.

5. Feria II **Rogationum**. Rogationes vocantur Litaniæ, seu deprecationes solemnes quæ fiunt ad obtinendam remissionem peccatorum, pacem, conservationem frugum, et ob alias necessitates. (De earum institutione vide quæ exponuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus, Titulo IX, de Processionibus, Q. 290, IV.) Tres sunt Feriæ post Dominicam V post Pascha, Feriæ nempe II, III, et IV ante Festum Ascensionis Domini, in quibus instituuntur quotannis Rogationes. Ex eis una Feria II præstantior, proprium Officium, id est, Homiliam et Orationem habet, et Feria major est, dum duæ reliquæ minores tantum sunt Feriæ.

Q. 130. *Indica regulas liturgicas diversarum Feriarum.*

R. Feriæ privilegiatæ nulli umquam Officio locum cedunt, nequidem Festo duplici 1 classis, sed quodcumque occurrens Festum vel Officium aut removent, aut pro Commemoratione tantum admittunt.

Exempla : Festum Annuntiationis B. M. V., duplex 1 classis, 25 Martii, anno 1902 occurrit in Feria III majoris Hebdomadæ : prævaluit Officium Feriæ, et translatum fuit Festum. — Festum S. Walburgis, Virginis (Festum proprium nostræ Diœcesis), 25 Februarii, anno 1903 occurrit in Feria IV Cinerum : dictum fuit Officium de Feria, et de S. Walburge tantum facta fuit Commemoratio.

Feriæ majores locum cedunt omnibus Officiis duplicibus et semiduplicibus ; attamen quando hujusmodi Officiis integrum earum impeditur Officium, semper tamen de eis fit Commemoratio, etiam in Festo duplici

1 classis. Ita, ex. gr., in Festo S. Joseph, 19 Martii, fiet semper Commemoratio Feriæ Quadragesimæ in qua occurrit, per nonam Lectionem in Matutino, per Commemorationem in Laudibus et in Vesperis ; in Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 8 Decembris, fiet Commemoratio Feriæ Adventus in Laudibus et in Vesperis. — Præferuntur e contra Feriæ majores Festo simplici, cujus tantum in earum Officio fiet Commemoratio.

Dictum est Ferias majores locum cedere cuicumque Officio semiduplici : intellige, si agitur de Festis semiduplicibus ; nam aliquæ ex eis non admittunt quædam Officia semiduplicia, scilicet Officia votiva quæ ex Indulto Leonis Papæ XIII ad libitum dicuntur in aliis Feriis majoribus, et de quibus dicetur § 7 : nempe Feriæ majores quæ Q. 128 sub 3° recensentur, et sunt Feriæ hebdomadæ Passionis, et Feriæ sacri Adventus a 17 ad 24 Decembris.

Feriæ minores per annum, locum cedunt cuicumque Officio occurrenti, et earum Officium tum penitus omittitur, ita ut de eis nequidem fiat Commemoratio.

Nota. Singularis est Feria VI post Octavam Ascensionis Domini, in qua non dicitur Officium feriale, sed fit Officium sicut infra Octavam Ascensionis et in Dominica infra hanc Octavam, cum Lectionibus propriis, ut in Breviario describitur. Ipsa locum cedit cuicumque Festo duplici aut semiduplici occurrenti, vel etiam translato, et diei infra Octavam, ex. gr., Patroni aut Tituli ; de ea autem semper in casu fit Commemoratio in Laudibus, Missa et secundis Vesperis, nisi Festum sit duplex 1 vel 2 classis ; attamen in Festo duplici 2 classis, hujus Feriæ Commemoratio, etsi omissa in Laudibus ac Missa, fit in secundis Vesperis (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 4), quia in Sabbato sequenti de eodem fit Officium sicut de die infra Octavam.

Q. 131. *Cujus ritus est Officium Feriæ ?*

R. Officium cujuscumque Feriæ, tum minoris, tum majoris, tum etiam privilegiatæ, etsi hoc prævaleat quidem Festo duplici 1 classis, est ritus Simplicis, et

peragitur prout in Psalterio et in Proprio de Tempore habetur, unde dicitur « Simplex de Tempore ».

Quomodo ordinandum sit, generatim expositum fuit Q. 102. (Cfr. Specimen Officii Feriæ Adventus, et Feriæ per annum Q. 69.)

§ 5. De Vigiliis

Q. 132. *Quid intelligitur sub nomine Vigiliæ ?*

R. Vigiliæ vox a vigilando derivatur, eo quod a priscis Ecclesiæ temporibus solerent Fideles in præcipuis festivitatibus noctem divinis laudibus in ecclesia consecrare, ubi Officio et postea Missæ intererant. In Festis siquidem istis noctu ac diu Sacrum fiebat, sicut hodiedum fieri supponitur in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes.

Vigilia primitus fuit synaxis a fidelibus noctis tempore habita, in qua audiebant Lectiones, Homilias, Cantus, et recitabant Preces, quæ mox locum cesserunt Officio Nocturno, seu Matutino. Primitus habitæ singulis Dominicis, postea retentæ fuerunt pro solemnitatibus Paschæ et Pentecostes, et pro Dominicis quæ sequuntur Quatuor Tempora.

Partes Officii quæ præcedunt Benedictionem Fontis in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes, necnon Lectiones cum Responsoriis et Orationibus quæ adhuc leguntur in Missis Sabbatorum Quatuor Temporum, haberi possunt tamquam vestigia eorum quæ in Vigiliis peragebantur, et Missæ horum dierum sunt proprie Missæ matutinales sequentis Dominicæ. — (Cfr. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1889, p. 219).

Cum vero circa sæculum XI abolitæ fuerint Vigiliæ, frigescente pietate, et ad nonnullos abusus removendos, remansit nomen ad significandum jejunium annexum diei Festa hujusmodi præcedenti, quæ Vigilia proinde appellatur, et in qua celebratur Missa quæ antea noctu dicebatur.

Est ergo Vigilia præparatio ad sequens solemne Festum.

Q. 133. *Recense diversas Vigilias per annum.*

R. Vigiliæ dantur septemdecim, scilicet :

1. Nativitatis Domini, 24 Decembris.
2. Pentecostes, mobilis.
3. Epiphaniæ, 5 Januarii.
4. Ascensionis Domini, mobilis.
5. S. Mathiæ, Apostoli, 23 vel 24 Februarii.
6. Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 23 Junii.
7. SS. Petri et Pauli, Apostolorum, 28 Junii.
8. S. Jacobi (majoris), Apostoli, 24 Julii.
9. S. Laurentii, Martyris, 9 Augusti.
10. Assumptionis B. Mariæ V., 14 Augusti.
11. S. Bartholomæi, Apostoli, 23 Augusti.
12. S. Matthæi, Apostoli et Evangelistæ, 20 Septembris.
13. SS. Simonis et Judæ (Thaddæi), Apostolorum, 27 Octobris.
14. Omnium Sanctorum, 31 Octobris.
15. S. Andreæ, Apostoli, 29 Novembris.
16. Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., 7 Decembris.
17. S. Thomæ, Apostoli, 20 Decembris.

Nota. Vigiliam non habent Festa Sanctorum Apostolorum Joannis, 27 Decembris, et Philippi et Jacobi (minoris), 1 Maji.

Q. 134. *Quæ Vigiliæ sunt « majores » seu « privilegiatæ », quæ « minores » seu « non privilegiatæ » ? Explica.*

R. Vigiliæ majores sunt tres : Nativitatis Domini, Pentecostes et Epiphaniæ.

Ex his duæ, nempe Nativitatis Domini, et Pentecostes, nulli cedunt Officio, nequidem Festo duplici 1 classis ; Vigilia Epiphaniæ locum cedit Officio duplici, et de ea tunc fit tantum Commemoratio.

Vigiliæ minores sunt reliquæ Vigiliæ omnes : locum cedunt cuicumque Officio duplici vel semiduplici.

Q. 135. *Quo ritu peraguntur Vigiliæ ?*

R. Vigiliæ majores peraguntur : 1° Vigilia Nativitatis Domini ritu Simplici in Matutino, nempe cum uno Nocturno de Feria, et tribus Lectionibus ; aut, si in Dominica venerit, ritu Semiduplici Dominicæ ; inde a Laudibus, Officium fit duplex ; 2° Vigiliæ Epiphaniæ et Pentecostes, ritu Semiduplici.

Vigiliæ minores ritu Simplici peraguntur. Officium Vigiliæ enim totum fit de Feria occurrente, ut in Psalterio, cum tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium Vigiliæ, et tribus Responsoriis de Feriâ ; dicuntur Preces feriales et Commemorationes communes uti in Feriis.

Omnium Vigiliarum Officium terminatur ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo vel Officio quod semper primas Vesperas integras habet, et tunc cessat omnis ratio Vigiliæ.

R. 136. *Quid faciendum est si aliqua Vigilia occurrat in die Dominica ?*

R. Quia propter gaudium Resurrectionis Domini quæ singulis Dominicis recolitur, non decet die Dominica Vigiliam agere Festi alicujus quod Feria II celebratur, ideo de Vigilia quæ occurrit in Dominica fit Officium in Sabbato præcedenti.

Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis Domini ; item Vigilia Epiphaniæ ; quæ si venerint in Dominica, de illis in Dominica Officium dicitur, sicuti in propriis harum dierum rubricis notatur.

Et sane, cum Officium Vigiliæ Nativitatis totum sit quod animos proxime excitet ad celebrandum in crastino Nativitatem Domini, sensus hujusmodi Officii bene convenire possunt cum Dominica die. Jejunium autem anticipatur in Sabbato.

Item Officium Vigiliæ Epiphaniæ fit in occurrente Dominica, primum quia hoc Officium est festivum et ritus Semiduplicis, dein quia hæc Dominica, cum sit vacans (cfr. Q. 122), Officio caret. (Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 130.)

Q. 137. *Quid faciendum est si Officium Vigiliæ impeditur ?*

R. 1° Quando in die Vigiliæ minoris, vel in Sabbato in quo reponitur Vigilia, occurrit Festum novem Lectionum, Officium Vigiliæ non omittitur, sed in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, et fit Commemoratio ejus ad Laudes tantum ; pro qua Commemoratione sumitur Antiphona ad

Benedictus et Versus Feriæ occurrentis, ut assignantur in Psalterio, Oratio vero Vigiliæ.

2° Si autem in Vigilia minori occurrat Festum solemne alicujus loci, vel Festum ex solemnioribus infra annum, quod ritu duplici 1 classis peragitur (veluti si in Vigilia S. Joannis Baptistæ venerit Festum Corporis Christi), in Officio nihil tunc prorsus, nec Commemoratio, fit de Vigilia ; nec debet, quemadmodum in casu quo occurrat in Dominica, de ea fieri Officium aut Commemoratio in die præcedente, sed Vigiliæ Officium simpliciter omittitur.

3° Etiam omittitur Officium Vigiliæ, quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus ; ex. gr., Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V., et S. Thomæ Apostoli, in Adventu : de eis nihil fit in Officio divino. Etenim istæ Feriæ Adventus, Quadragesimæ, et Quatuor Temporum, quarum semper fit Officium aut saltem Commemoratio, jam sunt pœnitentiales ; superfluum igitur esset in eis de alio Officio pœnitentiali, nempe de Vigilia agere : bis enim de eodem non fit. Habent tamen in tali casu Vigiliæ Commemorationem in Missa, ut explicatur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani.

Q. 138. *Casu quo transfertur Festum habens Vigiliam, an ideo etiam transfertur Officium Vigiliæ ?*

R. Cum aliquod Festum habens Vigiliam transfertur accidentaliter, vel assignatur in perpetuum in aliam diem, non ideo transfertur ejus Vigilia, sed remanet Officium Vigiliæ in die propria, ac si ejus Festum translatum aut assignatum minime fuisset. (Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1857, n. 3050, antiq. 5242, ad 1 ; et 24 Martii 1860, n. 3095, antiq. 5298, ad 1.)

Exempla : 1. Anno 1901, Festum S. Mathiæ Apostoli, occurrens in Dominica I in Quadragesima, a die sua 24 Februarii fuit translatum in 26 Februarii : remansit tamen Vigilia in diem 23 Februarii.

2. Ubi S. Christophorus, Martyr, cujus Festum celebratur 25 Julii, est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, Officium S. Jacobi Apostoli in perpetuum est assignandum a die 25 Julii in aliam diem : tamen remanet Officium Vigiliæ S. Jacobi fixum in die 24 Julii.

Q. 139. *An omnes Vigiliæ cum jejunio aguntur? Explica.*

R. Quantum est de jure communi, Vigiliæ omnes, ex generali et antiqua consuetudine Ecclesiæ, habent jejunium annexum, exceptis tribus: Epiphaniæ Domini, et Ascensionis Domini, eo quod non deceat lætitiam ex Nativitate et Resurrectione Domini exortam temperare; et Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V., pro qua Summus Pontifex Leo XIII, eam instituens Decreto 5 Decembris 1879, jejunium non imperavit.

Dicitur: *quantum est de jure communi*, quia obligatio jejunii quibusdam in locis abrogata est pro pluribus Vigiliis. Et ita obligatio jejunandi in quibusdam Vigiliis in Belgio sublata est a Clemente XIV, 22 Junii 1771; deinde per Indultum reductionis Festorum, 9 Aprilis 1802, omnia Vigiliarum jejunia suppressa sunt præter quinque, scilicet in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, SS. Petri et Pauli, Assumptionis B. Mariæ V., et Omnium Sanctorum. — Quoad Vigiliam SS. Petri et Pauli, notandum est jejunium servandum esse apud nos in Sabbato ante Dominicam in quam transfertur Festi solemnitas; quod si Festum occurrat in Sabbato, jejunium servandum esse die præcedente, Feria VI. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Septembris 1838, n. 2785, antiq. 4843.)

Dempta tamen hac obligatione jejunii, nihil omnino mutatum fuit quoad ritus et functiones ecclesiasticas in hujusmodi Vigiliis; imo expresse cautum fuit ut retineantur et serventur; ideoque ad Preces Officii, et in Missa de Vigilia semper genuflexiones fieri debent ad formam Rubricarum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Martii 1820, n. 2602, antiq. 4566, ad 4.)

§ 6. De Octavis

Q. 140. *Quid est Octava? Pauca refer de Octavarum origine.*

R. 1° Octava est celebratio, vel prorogatio seu continuatio Festi per octo dies continuos. Uti enim quædam Festa Vigilia præveniuntur, ut solemniora fiant, ob eamdem rationem quædam per octo dies protrahuntur, ut eorum celebritas sit illustrior; adeo ut Octava nota sit et index magnæ solemnitatis.

2° Octavæ, quibus augustiora Mysteria et solemniora Festa Sanctorum recoluntur, a Judæorum ecclesia originem habent : Paschatis Festum jusserat Deus per septem dies peragi ; Scenopegiæ (Joannes, Cap. VII) et Encœniorum (Joannes, Cap. X) Octavas Christus Dominus præsentia sua comprobavit. His exemplis edocti, Apostoli Paschatis et Pentecostes Octavas primum instituerunt ; tum eorum successores reliquas ad Festa Domini successive indixerunt. — Festis autem Sanctorum sæculo tantum VIII Octavæ assignari cœperunt ; et istæ de Sanctis Octavæ primitus tantum erant Festi et Officii repetitio facta die octava post Festum ; omissa, diebus intermediis, omni quidem Commemoratione. Cujus rei aliquod superest vestigium in Breviario Romano pro S. Agnete, in cujus octava a Festo die fit Officium *S. Agnetis secundo*. — Posteriori ævo, sex dierum intervallum eodem Festi, cujus celebratur Octava, Officio repletum fuit.

De Mysteriis quæ octonario notantur numero in Sacris Litteris, vide Gavantum in Præfatione Octavarii Romani (Edit. Ratisbonen. 1883) ; plura de his dicunt etiam Ephemerides Liturgicæ. (VII, 1893, pag. 264 et sqq.)

Notatur quod hic in Tractatu quæstio habetur de celebratione liturgica Octavarum ab Ecclesia præscripta aut concessa, quæ consistit in recitatione Horarum Canonicarum et in celebratione Missarum de Festis quorum Octava fit ; non autem agitur de solemnitate aut apparatu exteriori quibuscum, concurrente populo, recoluntur quædam Festa, aut aguntur quædam Solemnitates per octo dies, habitis concionibus cum benedictione SS. Sacramenti, cantatis Missis solemnibus, etc., uti fit, ex. gr., in quibusdam Ecclesiis occasione Festi S. Barbaræ, aut Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, etc.

Q. 141. *Recense Festa quæ cum Octava celebrantur.*

R. I. Cum Octava celebrantur sequentia Festa duplicia 1 classis :

1. Paschatis.
2. Pentecostes.
3. Epiphaniæ.
4. SS. Corporis Christi.
5. Nativitatis Domini.
6. Ascensionis Domini.
7. Assumptionis B. Mariæ V.

8. Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.
9. Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
10. SS. Apostolorum Petri et Pauli.
11. Omnium Sanctorum.
12. Dedicationis, et Anniversarii Dedicationis propriæ Ecclesiæ.
13. Principalis Patroni alicujus loci.
14. Tituli propriæ Ecclesiæ.

Præfatæ Octavæ indicantur in Kalendario universalis Ecclesiæ, aut præscribuntur in Rubricis generalibus Breviarii, Titulo VII. Præter eas, indicantur in Kalendario Archidiœcesis Mechliniensis Octavæ :

15. S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, pro tota Archidiœcesi Mechliniensi.
16. S. Mariæ Magdalenæ, pro civitate Mechliniensi.

Nota. I. Octavæ quæ supra recensentur a n. 1 usque ad 11, nempe ab Octava Paschatis usque ad Octavam Omnium Sanctorum inclusive, sunt Octavæ illorum Festorum, quæ ex Ecclesiæ instituto tanta cum religione et solemnitate celebrantur, ut quibuscumque aliis Festis duplicibus 1 classis semper sint præferenda (cfr. Q. 105, Nota I). Si præferenda sunt hæc Festa, etiam præferendæ sunt eorum Octavæ super alias Octavas occurrentes ; et ita S. Rituum Congregatio declaravit quod Octava Omnium Sanctorum dignior est quam Octava Dedicationis Ecclesiæ, et huic præferenda. (Decret. 5 Martii 1695, n. 1922, antiq. 3354, ad 1.)

Nota. II. Anniversarium omnium Ecclesiarum Diœcesis, quod una eademque die in nostra Diœcesi celebratur (cfr. Q. 105, Nota II), celebrandum est ritu duplici 1 classis cum Octava, sive Ecclesia propria sit consecrata, sive benedicta tantum fuerit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3863, ad 3.)

Nota. III. Festum Titularis Ecclesiæ Cathedralis recolitur etiam ab universo Clero totius Diœcesis sub ritu duplici 1 classis cum Octava, a Clero Regulari tamen celebratur sine Octava. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2.)

Nota. IV. Festum præcipui Patroni loci, vel Diœcesis, si particularis non habeatur, celebrandum est ab omnibus et singulis de Clero qui eodem in loco degunt,

ritu duplici 1 classis, a Clero Sæculari quidem cum Octava, a Regulari vero sine Octava. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 1.)

II. Cum Octava celebrantur sequentia Festa duplicia 2 classis :

17. Nativitatis B. Mariæ V.
18. S. Joannis, Apostoli et Evangelistæ.
19. S. Stephani, Protomartyris.
20. SS. Innocentium, Martyrum.
21. S. Laurentii, Martyris.

Istæ quinque indicantur in Kalendario universalis Ecclesiæ ; insuper in Directorio nostro Diœcesano præscribitur celebranda per totam Diœcesim Octava :

22. SS. Angelorum Custodum.

Nota. Officium Octavarum quæ in Ecclesia universali celebrantur, quomodo ordinandum sit, in Directorio quotannis indicatur ; attamen duæ sunt Octavæ quarum Officia in Directorio ordinata non sunt, scilicet Patroni præcipui cujusque loci, et Tituli propriæ Ecclesiæ, nisi forte Patronus aut Titulus ex iis sint qui in universalis Ecclesiæ Kalendario Octavam habent. Patroni et Tituli diversi in diversis locis et Ecclesiis dantur, et cleri cujusque loci, cujusque Ecclesiæ munus est, quotannis horum Festorum eorumque Octavarum Officia ordinare, necessariasque in Directorio Diœcesano mutationes perficere. (Cfr. Q. 145.)

Idem dicendum est de Dedicatione Ecclesiæ, sed tantum in casu quo aliqua Ecclesia consecratur solemniter ab Episcopo, pro ipsa die Dedicationis ejusque Octava ; Anniversarium vero Dedicationis omnium Ecclesiarum in cumulo celebratur, ut dictum fuit Quæstione 105, Nota II, ejusque Octava proinde in Directorio quotannis ordinata reperitur.

Q. 142. *Quomodo denominantur dies alicujus Octavæ, et cujus sunt ritus ?*

R. 1° Octava constat octo diebus : prima dies est ipsum Festum ; postrema vero, dies Octava, vel simpliciter Octava dicitur ; dies intermediæ, a secunda usque ad septimam, vocantur dies infra Octavam, vel aliquando etiam dies Octavæ.

2° Prima dies seu ipsum Festum est ritus Duplicis 1 vel 2 classis, uti indicatur Quæstione præcedenti.

Dies intermediæ,a secunda usque ad septimam inclusive, seu dies infra Octavam, sunt ritus Semiduplicis. Excipe dies secundam et tertiam infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quæ sunt ritus Duplicis 1 classis, et inter Festa duplicia 1 classis recensentur (cfr. Q. 105).

Dies infra Octavam non habent sicut Festa semiduplicia Officium integrum ; etenim non habent primas Vesperas (cfr. Q. 102, II), et earum Officium incipit tantum a Matutino et extenditur usque ad Completorium inclusive ejusdem diei ; in earum Vesperis omnia dicuntur ut in secundis Vesperis Festi.

Dies Octava est semper ritus Duplicis minoris.

Ipsa habet sicut Festa duplicia Officium integrum quod incipit pridie diei Octavæ a primis Vesperis, in quibus omnia fiunt sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur in locis propriis, et extenditur usque ad Completorium inclusive ipsius diei Octavæ.

Q. 143. *An Festum aliquod quocumque anni tempore cum Octava celebrare licet ? Explica.*

R. Negative ; etenim Octavæ quæ non reperiuntur in Kalendario Romano, prohibentur (nisi speciale Sedis Apostolicæ privilegium detur) : 1° a die 17 Decembris, qua incipiunt in Vesperis Antiphonæ privilegiatæ O, usque ad Festum Epiphaniæ inclusive ; — 2° a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive ; — 3° a Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive.

Quædam Ecclesiæ olim peculiaribus Indultis donatæ fuerunt, ut celebrent Octavas quasdam in Quadragesima. S. Rituum Congregatio, Decreto generali 22 Maji 1894 (n. 3826), declaravit hujusmodi Octavas in posterum non amplius concedi, et limitavit celebrationem earum quæ concessæ fuerunt.

Festum igitur his temporibus sine Octava celebrandum est ; et ita, ex. gr., celebratur sine Octava, quia in Quadragesima semper occurrit, Festum S. Joseph, duplex 1 classis, 19 Martii, etiamsi Sanctus Joseph a Pio IX Summo Pontifice Ecclesiæ Catholicæ Patronus fuerit declaratus.

Si vero dies 17 Decembris, Feria IV Cinerum, et Vigilia Pentecostes occurrant ante Octavæ alicujus inchoatæ sed nondum absolutæ terminum, his diebus advenientibus, cessabitur a celebratione Octavæ, et de ea, licet inchoata et per plures dies jam celebrata, non amplius fiet neque Officium neque Commemoratio.

Et quidem si dies Octava Festi ipsa incidat in Feriam IV Cinerum, aut Vigiliam Pentecostes, aut 17 Decembris, ab Octavæ celebratione cessari debet post Nonam diei septimæ infra Octavam, seu diei ante diem Octavam, ita ut in Vesperis diei septimæ nihil amplius dicatur de Octava ; etenim dici deberent primæ Vesperæ de die Octava, ast incipi nequit Officium quod perfici non potest. — Si autem tempus prohibitum, ex. gr., Feria IV Cinerum, incipit a die quæ foret infra Octavam, tunc a celebratione Octavæ cessari debet tantum ab ipsa die prohibente, nempe tantum post Vesperas et Completorium diei quæ prohibentem diem præcedit, ita ut tunc dicantur Vesperæ de die infra Octavam, vel si celebratum fuerit aliquod Festum, de Festo cum Commemoratione Octavæ ; etenim perficitur tunc Officium diei infra Octavam quod extenditur usque ad Vesperas et Completorium exclusive.

Hæc regula in pluribus locis et ecclesiis animadverti debet, pro celebratione Festi Patroni loci vel Tituli Ecclesiæ.

Exemplum : S. Amandus, Episcopus et Confessor, plurium locorum Patronus in nostra Diœcesi, et plurium Ecclesiarum Titularis est ; ibi ejus Festum, 6 Februarii, celebrari debet ritu duplici 1 classis cum Octava ; dies Octava celebratur quotannis 13 Februarii. Anno 1902, dies 6 Februarii erat Feria V ante Dominicam in Quinquagesima, et proinde Feria IV sequens, 12 Februarii, septima dies infra Octavam S. Amandi, erat Feria IV Cinerum, initium Quadragesimæ ; sequitur ex prædictis, hac die 12 Februarii nihil amplius fieri potuisse de Octava S. Amandi, nequidem Commemorationem : ultimo loco ejusdem Octavæ facta fuit Commemoratio pro sexta die infra Octavam, in Vesperis diei 11 Februarii, Feria III, quæ dicuntur secundæ Festi S. Vedasti, Episcopi et Confessoris (Officii proprii Diœcesis Mechliniensis).

Anno 1907 Festum idem S. Amandi celebratur Feria IV ante Dominicam in Quinquagesima, et dies Octava incidit in Feriam IV Cinerum ; die septima infra Octavam S. Amandi, Feria III, dicuntur Vesperæ secundæ de Festo ad hanc diem in nostra

Diœcesi assignato S. Titi, Episcopi et Confessoris, et in his Vesperis nulla jam fiet Commemoratio Octavæ; fieri enim deberet de primis Vesperis diei Octavæ S. Amandi, sed quia prohibetur diei Octavæ celebratio per Feriam IV Cinerum, omittuntur Feria III Vesperæ Officii quod Feria IV dici nequit.

Et si supponas quod Feria III dictum fuerit Officium de die septima infra Octavam S. Amandi, eadem die dici debent Vesperæ feriales de Feria III ut in Psalterio: non possunt dici Vesperæ primæ de die Octava, quia de eadem die Octava dici nequit Officium die sequenti; neque possunt dici Vesperæ de die septima infra Octavam, quia hujus Officium terminatur post Nonam, et ejus Vesperæ suffici nequeunt primis Vesperis diei Octavæ suppressæ. Ita solvitur dubium super simili casu propositum in Decretis S. Rituum Congregationis, 17 Maji 1692, n. 1875, antiq. 3277; et 23 Junii 1736, n. 2319, antiq. 4044, Reliqua dubia, ad 4.

Aliud exemplum: Festum S. Dympnæ, Virginis et Martyris, celebratur in nostra Diœcesi 15 Maji; anno 1891, occurrebat Feria VI post Octavam Ascensionis, et dies sequens, 16 Maji, Sabbatum, erat Vigilia Pentecostes: ubi S. Dympna Patrona vel Titularis est, celebratum fuit anno 1891 sine Octava.

Sed de quo jam fiet, in iis locis aut Ecclesiis, Officium diebus sequentibus, quibus alias ibi dicebatur forsan Officium de die infra Octavam, et certo Officium de die Octava? His diebus, si nullum infra Octavam occurrat Festum duplex aut semiduplex celebrandum, si in die Octava non sit occasio celebrandi aliquod Festum mobile aut translatum, fiet ibi Officium de Feria, cum facultate, in Quadragesima, dicendi ad libitum aliquod ex Officiis votivis correspondens Feriæ. (Cfr. § 7.)

Imo Officium alicujus Sancti quod ab aliqua die Octava, qua perpetuo est impeditum, assignatum fuit in aliam diem tamquam propriam, non debet ab hac sede assignata removeri et ad pristinam sedem propriam reduci, etiamsi cessante Octava dies propria accidentaliter sit libera. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Julii 1848, n. 2963, antiq. 5124.)

Exemplum: Ubi S. Walburgis, Virgo, est Patrona loci aut Titularis Ecclesiæ, ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava celebratur die 25 Februarii (vel 26 Februarii, si annus sit bissextilis); Octava dies est 4 Martii, a qua die Officium S. Casimiri, Confessoris, perpetuo impeditum debuit assignari ad primam diem liberam sequentem, 5 Martii, quæ est pro S. Casimiro dies tamquam propria (cfr. Q. 111, ad II). Anno 1897, Feria IV Cinerum occurrit 3 Martii, et cessat Octava S. Wal-

burgis. Die 4 Martii, loco Officii diei Octavæ S. Walburgis, dicitur Officium de Feria V, vel, si placet, Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, et non reducitur Officium S. Casimiri ad suam diem propriam, licet accidentaliter liberam, 4 Martii, sed retinetur in sua die tamquam propria, 5 Martii.

Q. 144. *Quid animadvertendum est pro celebratione Octavæ alicujus Festi, quod accidentaliter a sua propria die transfertur in aliam diem ?*

R. « Id semper servetur, quando Festum habens Octavam transfertur, ut non ideo dies Octava transferatur; sed ipsa die de ea fiat Commemoratio, quæ alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava. » (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1.)

Itaque, 1° si Festum transfertur post totam suam Octavam, vel in ipsam diem Octavam, celebrandum erit eo anno sine Octava.

2° Si vero contingit Festum transferri infra Octavam suam, amittit tot dies Octavæ suæ, quot numerantur a die qua impeditur usque ad diem translationis; et tunc de diebus Octavæ quæ supersunt a translatione Festi usque ad finem Octavæ, fiet Officium aut Commemoratio ut alias; dies Octava vero celebrabitur in die sua propria, perinde ac si Festum non fuisset translatum : non enim Octava prolongatur, neque dies Octava transfertur.

Exempla : ad 1^{um} : Festum translatum post totam suam Octavam. Festum S. Dympnæ, Virginis et Martyris, celebratur 15 Maji, ritu duplici 1 classis cum Octava, ubi est Patrona vel Titularis; supponitur quod die 15 Maji occurrat Festum Ascensionis Domini, duplex 1 classis cum Octava; per totam Octavam Ascensionis nulla datur dies libera pro translatione infra suam Octavam Officii S. Dympnæ; prima dies libera est dies 2 Junii; etenim 23 Maji ibi fit Officium assignatum a 22 Maji S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, dein supervenit Vigilia et Octava Pentecostes; transferendum est ergo Officium S. Dympnæ post suam Octavam; celebrabitur ergo sine Octava.

Festum translatum in diem suam Octavam. Anno 1894, Pentecostes celebratur 13 Maji : 15 Maji, Festum S. Dympnæ occurrit Feria III infra Octavam Pentecostes, et ubi hæc Sancta est Patrona vel Titularis, debet transferri in primam diem liberam; prima dies libera hoc anno est 22 Maji, Feria III,

quæ præcise est dies Octava S. Dympnæ ; fit Officium S. Dympnæ in die sua Octava, ergo celebrabitur hoc anno sine Octava.

Ad 2um : Festum translatum infra suam Octavam. Festum S. Georgii, Martyris, celebratur 23 Aprilis, ritu duplici 1 classis cum Octava, ubi est Patronus vel Titularis : anno 1892, Festum Paschatis occurrit 17 Aprilis, et 23 Aprilis, Sabbato in Albis, non potest celebrari Festum S. Georgii, sed ejus Officium transfertur in primam diem liberam, et ante hanc jam nihil de eo neque de ejus Octava fieri poterit. Prima dies libera est 27 Aprilis, quinta dies infra Octavam regularem S. Georgii ; hac die fiet ejus Officium ritu duplici 1 classis ; diebus sequentibus, 28 et 29 Aprilis, fiet Commemoratio diei sextæ et septimæ ejus Octavæ in Festis S. Pauli a Cruce, Confessoris, et S. Petri, Martyris ; et 30 Aprilis, quæ alias erat dies Octava S. Georgii, remanebit ejus dies Octava, etiamsi tertia dies tantum sit inde a translatione Officii, neque ulterius aliquid fieri poterit de Octava S. Georgii.

Nota. I. In casu translationis alicujus Festi infra suam Octavam, supprimuntur dies infra Octavam quæ currunt a die qua impeditum fuit Festum usque ad diem ejus translationis, et de eis nihil prorsus fit ; reliquæ vero dies infra Octavam, inde a celebratione Festi translati usque ad ejus diem Octavam, consistunt quælibet ipsa sua die.

Nota. II. Animadvertendum est, quod supradicta Rubrica, de omissione Octavæ in casu translationis Festi post totam suam Octavam, applicanda venit tantum ad translationem accidentalem in casu impedimenti accidentalis ; nam ex hodierno jure constat, quod in casu perpetuæ translationis alicujus Festi, nempe Tituli Ecclesiæ, vel Patroni loci, hoc Festum plenum jus ad Octavam perfectam retinet et servat. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4034, ad 2.)

Q. 145. *Quomodo ordinandum est Officium infra Octavam, et in die Octava, pro Octavis Patroni vel Tituli, quæ non reperiuntur in Breviario ?*

R. Si diebus infra Octavam occurrunt Officia duplicia vel semiduplicia, aut transferenda sunt Officia de Festis duplicibus translatis, de his fit Officium, et de die infra Octavam fit Commemoratio in Laudibus et in Vesperis, excepto si Festa essent duplicia 1 vel 2 classis, in quibus Commemoratio omittitur : alias fit Officium de Octava, ritu, ut dictum supra fuit, Semiduplici (Q. 142).

Si die Octava occurrit aliquod Festum duplex 1 vel 2 classis, vel Dominica major, de his fit Officium, cum Commemoratione diei Octavæ in Vesperis et in Laudibus ; alias fit Officium de die Octava, ritu Duplici, et Festum duplex vel semiduplex perpetuo in eam occurrens in aliam diem assignatur.

In Officio de Octava omnia dicuntur sicut in die Festi, præter Lectiones ad Matutinum : quarum primæ tres semper sunt de Scriptura occurrente, ex Officio de Tempore ; aliæ Lectiones, secundi et tertii Nocturni, si habentur propriæ et approbatæ, dicuntur ; si non habentur, repetuntur Lectiones positæ in Communi Sanctorum primo et secundo loco, si de Sanctis fit Octava, alioquin dicuntur Lectiones diei Festi. — In die Octava alicujus Sancti Lectiones secundi Nocturni quæ non reperiuntur in Breviario, deficiente Octavario, debent sumi de die Festo, et non de Communi primo loco. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Decembris 1895, n. 3876, ad 9.) — Lectiones tertii Nocturni, sumptæ de Communi, debent semper esse de eodem Evangelio quod in Festo et per Octavam in Missa dicitur ; etenim Officium et Missa concordare debent.

Multum prodest pro his Lectionibus usus libri cui titulus : *Octavarium Romanum*, in quo reperiuntur Lectiones II et III Nocturni pro singulis Octavæ diebus; et ita vitari potest repetitio earumdem Lectionum quæ recitari solent ab iis qui Breviario tantum utuntur. (Octavarii Romani ultima editio prodiit Ratisbonæ, apud Fr. Pustet, anno 1883, a S. Rituum Congregatione ad usum totius orbis ecclesiarum adprobata.)

In Vesperis, infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi ; et in primis Vesperis diei Octavæ omnia sicut in primis Vesperis Festi.

Infra Octavam, etiamsi Officium sit semiduplex, ob majorem celebritatem quam Octava significat, non fiunt Suffragia consueta de Sanctis in Laudibus ac Vesperis, nec dicuntur Preces ad Primam et Completorium, ut dictum fuit Q. 102.

Hæc summatim dicta hic sufficiant : quæ ultra in ejusmodi ordine applicandæ sunt regulæ, in sequentibus hujus Partis Sectionibus explicantur.

Q. 146. *Quæ distinctio facienda est inter diversas Octavas? Explica.*

R. Inter Octavas datur distinctio ratione dignitatis, qua revocari possunt ad quatuor ordines, scilicet :

Primi ordinis sunt Octavæ Paschatis et Pentecostes.

Secundi ordinis est Octava Epiphaniæ.

Tertii ordinis est Octava SS. Corporis Christi.

Quarti ordinis sunt omnes reliquæ Octavæ.

Quæ sit hujus ordinis ratio ex sequentibus regulis patebit :

I. OCTAVÆ PASCHATIS ET PENTECOSTES :

Diebus infra Octavam : nullum admittunt Officium integrum cujuscumque Festi, etiam duplicis I classis. Etenim :

Festa duplicia I et 2 classis, duplicia majora (Q. 105-107), et duplicia minora SS. Doctorum (Q. 110), transferuntur post Octavas.

Reliqua Festa duplicia minora, semiduplicia et simplicia, in ipsis Festis, et in diebus secunda et tertia infra Octavam penitus omittuntur ; in reliquis diebus tantum habent Commemorationem.

Diem Octavam proprie non habent ista Festa, quia Officium eorum Octavæ terminatur in Sabbato ad Nonam ; etenim ex eo quod utraque solemnitas Paschatis et Pentecostes non incipiunt a primis suis Vesperis, sed a Missa Vigiliæ earum, hinc Octavæ desinunt ad illam partem Officii in qua Festa incœpta fuerunt. Quæ autem regulariter forent istorum Festorum dies Octavæ, sunt Dominicæ majores I classis, scilicet Dominica in Albis et Dominica SS. Trinitatis (Q. 119).

II. OCTAVA EPIPHANIÆ :

Diebus infra Octavam : admittit tantum Officium integrum Festi duplicis I classis. Exemplum : ubi S. Gudula, Virgo, est Patrona loci, aut Titularis Ecclesiæ, celebrabitur ejus Festum, duplex I classis, die 8 Januarii, quæ est proprie festa dies hujus Sanctæ. Non tamen fiet Officium de hujusmodi Festi diebus infra Octavam, sed tantum Commemoratio.

In die Octava : nullum admittit cujuscumque Festi Officium integrum.

De Officio Dominicæ infra hanc Octavam dictum fuit

Q. 126, et habet hæc Dominica suas speciales Rubricas.

III. OCTAVA SS. CORPORIS CHRISTI :

Diebus infra Octavam : 1. admittit Officium integrum cujuscumque Festi duplicis occurrentis ;

2. admittit Officium translatum Festi duplicis 1 et 2 classis, iis diebus quibus fit de Octava ;

3. non admittit Officium translatum Festi duplicis majoris, vel minoris alicujus S. Doctoris ;

4. non admittit Officium integrum Festi semiduplicis, sed tantum hujus et Festi simplicis Commemorationem.

5. Dominica infra Octavam, si non occurrit Festum duplex, fit de Dominica infra Octavam, sed Officium hujus Dominicæ non est Dominicale sed festivum, ut dictum fuit Q. 126.

In die Octava : 1. admittit Officium integrum Festi duplicis 1 classis occurrentis, ex. gr., Nativitatis S. Joannis Baptistæ ;

2. excludit Officia integra Festorum duplicium 2 classis, majorum, et minorum SS. Doctorum ; quæ transferuntur ; item reliquorum Festorum duplicium minorum, semiduplicium et simplicium ; quorum tantum fit Commemoratio.

IV. RELIQUÆ OCTAVÆ :

Diebus infra Octavam : admittunt Officium cujuscumque Festi duplicis occurrentis vel translati, et cujuscumque Dominicæ, et Festi semiduplicis occurrentis. — Festi simplicis, Vigiliæ, aut Feriæ majoris tantum fit Commemoratio.

Dominica infra Octavam Nativitatis suas speciales habet Rubricas, et de ejus Officio festivo non Dominicali dictum fuit Q. 126. — Dominica infra Octavam Ascensionis, si non occurrit Festum duplex, fit de Dominica infra Octavam, sed hujus Dominicæ Officium item festivum est, ut dictum fuit Q. 126.

Dominicis infra reliquas hujus quarti ordinis Octavas, si non occurrat Festum duplex, fit Officium de Dominica, Dominicali modo, ut in Psalterio et in Proprio de Tempore, cum Commemoratione tantum de die infra Octavam.

In die Octava : 1. admittunt Officium integrum Festi

duplicis 1 et 2 classis occurrentis, et Dominicæ 1 vel 2 classis ; et tunc diei Octavæ tantum fit Commemoratio. Excipe tamen diem Octavam Nativitatis Domini, quæ simul est Festum Circumcisionis Domini ; etiamsi hoc sit tantum duplex 2 classis, nulli Festo cedit locum.

2. Si sit dies Octava Festi fixi (Q. 113), non admittit Officium integrum cujuscumque Festi duplicis majoris vel minoris, vel semiduplicis ; quæ tunc assignantur in aliam diem ; neque Dominicæ communis, aut Vigiliæ, aut Feriæ majoris, aut Festi simplicis ; quorum tantum fit Commemoratio.

3. Si sit dies Octava Festi mobilis (Q. 113), non admittit Officium integrum Festi duplicis majoris vel minoris S. Doctoris ; quæ transferuntur ; neque aliorum Festorum duplicium minorum, Dominicæ communis, Festi semiduplicis, Vigiliæ, Feriæ Majoris, aut Festi simplicis ; quorum tantum fit Commemoratio.

Q. 147. *Quid dicendum est de qualitate diei infra Octavam, et diei Octavæ Octavarum quæ in præcedenti responso quarto ordini adscribuntur ?*

R. Per Decretum diei 21 Februarii 1896 (n. 3886, ad 1 et 2), rescripsit S. Rituum Congregatio dies infra Octavam tamquam secundarias habendas esse ; diem Octavam vero esse primariam, vel secundariam, prouti Festum ad quod illa pertinet primarium, vel secundarium est. (Cfr. QQ. 104, III ; et 108.)

Cum omnes Octavæ quæ recensentur Q. 141 sint Octavæ Festorum primariorum, omnium earum dies Octavæ sunt primariæ. Excipiuntur tamen dies Octava Dedicationis omnium Ecclesiarum Diœcesis in iis Ecclesiis quæ non consecratæ sed tantum benedictæ sunt ; et dies Octava Titularis Ecclesiæ Cathedralis extra ipsam ; hæc enim Festa ibi sunt tantum secundaria (cfr. Q. 108).

Secundariæ autem sunt, ex. gr., dies Octavæ Festi SS. Cordis Jesu, Patrocinii S. Joseph, ubi hæc Festa ex privilegio seu particulari Indulto cum Octava celebrantur.

Q. 148. *Quæ Octavæ vocantur « privilegiatæ », et in quo consistit privilegium ?*

R. Octavæ privilegiatæ sunt quinque sequentes : Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, et Nativitatis Domini. Cæteræ omnes, ut Ascensionis Domini, Assumptionis B. Mariæ V., etc., sunt communes.

Privilegiatas esse Octavas Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ et SS. Corporis Christi, patet ex responso ad præcedentem Quæstionem 146, in quo distinctio non solum ab aliis, sed quidem inter ipsas stabilita fuit ; ex quarti ordinis Octavis autem præfertur Octava Nativitatis Domini, et adjungitur quatuor supradictis, ut quinque privilegiatæ inter omnes distinguantur. — Octavam Nativitatis Domini esse revera privilegiatam, quamvis inter privilegiatas postremum teneat locum, pluribus argumentis comprobatur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 30-46.)

Privilegium istarum quinque Octavarum duplex est :

1° Quoad Officium divinum : aut semper habent Officium integrum ; quales sunt Octavæ Paschatis et Pentecostes ; aut semper de eis saltem fit Commemoratio ; quales sunt Octavæ Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, et Nativitatis Domini. Etenim reliquæ Octavæ, si in die infra Octavam occurrat Festum duplex 1 vel 2 classis, amittunt jus ad Commemorationem, uti jam insinuatum fuit Quæstione 145, et postea latius explicabitur ; supradictæ tres autem, si earum Officium integrum impeditur, semper tamen habent Commemorationem, etiam in Festo duplici 1 classis.

Exempla : si infra Octavam SS. Corporis Christi occurrit Festum duplex 1 classis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, fiet Commemoratio diei infra Octavam SS. Corporis Christi in Officio Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Infra Octavam Epiphaniæ, ubi celebratur Festum duplex 1 classis S. Gudulæ, Patronæ, ut Q. 146 ad II indicatum fuit, in Officio S. Gudulæ fieri debet Commemoratio diei infra Octavam Epiphaniæ.

2° Quoad Missas : etiamsi potius ad Rubricas Missalis quam ad præsentis Tractatus materiam referatur, liceat tamen alterum istarum quinque Octavarum privilegium indicare ; quod nempe infra istas Octavas, licet ritus Officii sit Semiduplex, nihilominus prohibentur

Missæ Votivæ et Missæ de Requiem ; quas Missas infra alias Octavas dicere, ubi Officium fit de Festo semiduplici, aut de die infra Octavam, licitum est.

§ 7. De Officiis Votivis

Nota. In Rubricis generalibus Breviarii, Titulo VIII, dicuntur quædam de **Officio Sanctæ Mariæ in Sabbato** ; hoc Officium, quod reperitur in Breviario Romano post Officia de Communi Sanctorum, antiquitus recitabatur ad modum Festi simplicis in Sabbatis quibusdam per annum liberis, prout exponitur in Titulo VIII prædicto. Verum, ex quo apud nos, ex concessione Apostolica Benedicti XIII, iisdem Sabbatis liberis recitari debet Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., et quidem ritu duplici, hoc Officium Sanctæ Mariæ in Sabbato non amplius locum habere potest, ejusque rubricarum expositio omittitur.

Sequitur in Breviario Romano **Officium parvum B. Mariæ V.**, quod antiquitus quibusdam diebus superaddebatur Officio diei ; hujus Officii obligatio remota fuit a S. Pio V, ut dictum fuit in Parte II, Q. 73. Qui autem Officium hoc ex devotione, vel ex alio titulo recitant, ejus rubricas reperire poterunt in Breviario, ad ipsum Officium. Hujus Officii recitationem magnam utilitatem afferre iis qui aliquando Officium divinum recitaturi sunt, necnon solidæ devotionis uberem fructum, compertum habetur.

Q. 149. *Quæ Officia dicuntur Votiva ?*

R. Sicuti Missæ Votivæ dicuntur illæ quæ non conveniunt cum Officio diei, ita Officia Votiva dicuntur illa quæ recitantur ex speciali privilegio Apostolico, non de Tempore aut de Sanctis, conformiter ad Kalendarium, Romanum aut particulare, ejusque regulas, sed de alio objecto, juxta votum seu devotionem præscribentis aut recitantis, loco Officiorum Ferialium quorumdam et Festorum simplicium.

Q. 150. *Quæ Officia Votiva, pluribus Statibus jam ante concessa, in Archidiœcesi Mechliniensi persolvi debent, et quibus diebus ?*

R. In Archidiœcesi Mechliniensi ab omnibus de Clero sæculari recitari debent duo Officia Votiva, nempe :

1° Officium Votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, concessum Indulto Clementis Papæ XI, 17 Augusti

1715, omnibus Austriacæ Domus regno subjectis, recitandum sub ritu Semiduplici omnibus Feriis quintis, non impeditis Festo novem Lectionum etiam translato, aut Octava; exceptis Adventu, Quadragesima, Vigiliis, ac etiam Feria illa in qua secundum Rubricas Officium Dominicæ aliquando erit apponendum.

2° Officium Conceptionis B. Mariæ V., concessum Indulto Benedicti Papæ XIII, 15 Decembris 1727, omnibus Cæsareæ Majestati subjectis, recitandum ritu Duplici omnibus Sabbatis, non impeditis Festo novem Lectionum etiam translato, aut Octava; exceptis Adventu, Quadragesima, Vigiliis, Sabbatis Quatuor Temporum, et illis Sabbatis in quibus secundum Rubricas Officium Dominicæ aliquando est apponendum. Huic Officio subrogatum fuit jussu Pii Papæ IX, ex Decreto S. Rituum Congregationis, 25 Septembris 1863 (n. 3119, antiq. 5328), Officium Votivum de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.

Q. 151. *Qua de causa, et quodnam Indultum concessit Summus Pontifex Leo XIII pro recitatione plurium Officiorum Votivorum?*

R. Cum per Apostolicas Litteras in forma Brevis die 28 Julii 1882 editas (Decret. S. Rituum Congregationis, n. 3551, antiq. 5846), Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, sententiam confirmans specialis Sacrorum Rituum Congregationis a se constitutæ, Rubricam generalem Breviarii Romani, *Tit. X, de Translatione Festorum*, immutandam præcepisset, demptis videlicet translationibus Festorum duplicium minorum (exceptis illis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum), et Festorum semiduplicium (de qua immutatione postea dicetur in sequenti Sectione hujus Partis); compertum est, coarctata translationum serie, superesse quidem, juxta novæ editæ legis finem, dies quamplures in quibus deberent recitari Officia Festorum simplicium, vel Officia Ferialia; interim haud leviter inde augeri onus Officiorum Festorum simplicium, et Ferialium; quod, imminuto hodie Cleri numero auctisque aliis ejus oneribus, minime convenire existimatur.

Igitur specialis Sacrorum Rituum Congregatio, nutu

ejusdem Sanctissimi Domini Nostri, hisce maturo examine perpensis, de hujusmodi immutatæ Rubricæ consectariis, ita decrevit :

« Detur Indultum generale tam Capitulis et Ecclesiasticorum Communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque Clero, persolvendi Officia Votiva per annum loco Officiorum Ferialium, præterquam in Feriis quarta Cinerum, totius temporis Passionis, ac Sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive ; quoad Choralem quidem recitationem, de consensu Capituli seu Communitatis, ab Ordinario semel pro semper adprobando ; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de Clero. Officia autem hujusmodi Votiva per annum, Missis Votivis in Missali Romano positis fere respondentia, hæc pro singulis hebdomadæ diebus assignantur ; nimirum : pro Feria II de Angelis, Feria III de Sanctis Apostolis, Feria IV de S. Joseph, Sponso B. Mariæ V., Catholicæ Ecclesiæ Patrono, Feria V de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Feria VI de Passione Domini Nostri Jesu Christi, Sabbato de Immaculata B. Mariæ V. Conceptione. Officia ipsa a Sacrorum Rituum Congregatione adprobanda erunt atque edenda. Firmis remanentibus aliis Votivorum Officiorum indultis quibuscumque jam concessis. »

Sanctitas Sua hoc Sacræ ipsius Congregationis Decretum, indulgendo quæ in eo continentur, in omnibus adprobavit et confirmavit, die 5 Julii 1883 (n. 3581, antiq. 5879).

Nota I. Indultum concedit expresse ut « loco Officiorum Ferialium » persolvi queant Officia Votiva per annum ; verum non loco Officiorum Ferialium solummodo, quo nomine intelliguntur Feriarum Officia, necnon Vigiliarum Sanctorum (Decret. 16 Januarii 1885, n. 3627, antiq. 5932, ad 1), sed etiam loco Officii alicujus Festi simplicis prædicta Officia Votiva recitari posse, patet ex Rubrica ipsis Officiis Votivis præfixa, ut declaravit S. Rituum Congregatio per Decretum 24 Novembris 1883 (n. 3597, antiq. 5896, ad 3).

Nota II. Infra Octavam vero alicujus Festi, quando non occurrit aliquod Officium duplex aut semiduplex, fieri debet de Octava, et non licet recitare Officium Vo-

tivum. (Decret. 13 Augusti 1883, n. 3586, antiq. 5885, ad 1.) Neque licet Officium Votivum de Passione dicere Feria VI post Octavam Ascensionis. (Decret. 29 Aprilis 1887, n. 3675, antiq. 5983, ad 1.)

Nota III. Quando Officium alicujus Dominicæ est anticipandum in aliqua hebdomadæ Feria libera (Q. 124), non permittitur in hac Feria recitatio Officii Votivi, ad libitum, sed omnino dici debet Officium hujusmodi Dominicæ anticipatæ. (Decret. 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 1.)

Nota IV. In Ecclesia Metropolitana Mechliniensi pro Chorali recitatione, de consensu Capituli ab Archiepiscopo adprobato, statutum fuit persolvere Officia Votiva; hæc acceptatio Officiorum Votivorum semel facta, pro semper facta remanet, nec licet quandocumque ab ea recedere, nequidem pro quibusdam anni diebus. (Decret. 10 Novembris 1883, n. 3596, antiq. 5895, ad 2 et 3). Ideo in Directorio Diœcesano, quando indicantur Officia Votiva, ponitur superscriptio : *In Ecclesia Metropolitana* (scilicet : obligatorie), *et ad libitum singulorum* (eorum nempe de Clero qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur, ut declaravit S. Rituum Congregatio eodem Decreto ad 1). Insuper qui canonico titulo ad Chorum tenentur, si a Choro dispensati sunt, aut absentes, in privata recitatione Officii profecto ad Officia Votiva recitanda obligantur. (Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 41.)

Q. 152. *Quid, concesso Indulto generali 5 Julii 1883, notandum est circa Officia Votiva de SS. Eucharistiæ Sacramento, et de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., jam ante Indultum præfatum recitanda in quibusdam diebus liberis, secundum dicta in Quæstione 150 ?*

R. De hujusmodi Officiis decrevit Summus Pontifex, quod firma remanerent alia Votivorum Officiorum Indulta quæcumque jam concessa. (Cfr. Decretum in Quæstione præcedenti.)

Itaque remanent privilegia exposita Officiorum Votivorum de SS. Eucharistiæ Sacramento et de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., remanentque eorum conditiones omnes (Q. 150).

Sequitur quod iis diebus pro quibus ante Decretum 5 Julii 1883 concessa fuerant hæc duo Officia, non datur singulis de Clero Archidiœcesis Mechliniensis optio Officium Votivum inter et Officium Feriale aut Festi simplicis occurrentis, sed remanet obligatio recitandi Officium Votivum, et quidem eo ritu sicuti ante concessum fuerat ; iis autem diebus, quibus ex præcedentibus concessionibus licita non erat recitatio istorum Officiorum Votivorum, nunc autem conceditur ex Decreto 5 Julii 1883, optio dabitur singulis de Clero inter hæc Officia et Officia Ferialia aut de Festo simplici hisce diebus propria ; et qui recitabunt Officium Votivum de Immaculata Conceptione, eam recitationem instituent ritu Semiduplici, quemadmodum noviter conceditur, non autem ritu Duplici, quia privilegium ritus Duplicis, etsi firmum remaneat pro diebus antea concessis, extendere se ad novam concessionem non valet.

Prædicta confirmantur sequenti Decreto S. Rituum Congregationis, 24 Novembris 1883 (n. 3597, antiq. 5896, ad 1) : « Quæritur : Utrum obligatio adhuc maneat solum Officium Votivum recitandi, ubi istud Officium antea jam fuerat speciali privilegio alicui Diœcesi concessum : ita ut præfatis diebus ferialibus non detur optio inter Officium Feriale et Officium Votivum ? Et quatenus Affirmative : An optio detur diebus contentis in novo Indulto 5 Julii 1883, in alio præcedenti exceptis ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative, ad primam et secundam partem. » (Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidiœceseos Mechliniensis, anni 1884. Ex Liturgia Q. I.)

Unde fit quod in Directorio Diœcesano, mense Februario, si detur occasio ante Quadragesimam, item Tempore Paschali, ac mense Octobri, aliquando hæc duo Officia Votiva indicentur modo præceptivo et non ad libitum, et Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. M. V. præscribatur persolvendum ritu Duplici ; dum in Quadragesima et in Vigiliis indicantur ad libitum, et Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. M. V. persolvendum notatur ritu Semiduplici.

Q. 153. *Cujus qualitatis sunt hæc omnia Officia Votiva ?*

R. Hæc Officia non sunt proprie dicta Festa, sed ad instar Festorum, quasi repetitiones Festorum ; insuper, non sunt recitanda ex præscripto Rubricarum, sed ex devotione tantum dicuntur, vel indultiva solum sunt, unde rationem habent Festi secundarii.

Hoc confirmatur Decreto S. Rituum Congregationis, diei 23 Augusti 1895 (n. 3870), quo declaravit hujusmodi Officia Votiva in concurrentia cum Festis primariis ejusdem ritus, habere tantum Commemorationem in Vesperis quæ totæ dicuntur de Festo primario.

Occurrente tamen Officio Votivo de Immaculata Conceptione B. M. V., etiam sub ritu semiduplici, cum primis Vesperis Dominicæ sequentis, Vesperæ dicuntur de Dominica tantum a Capitulo. (Decreta 19 Julii 1895, n. 3867, ad 1 ; et 3 Septembris 1895, n. 3871.)

Concludi potest ex Decreto S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896 (n. 3908, ad 1), quod ubi concurrunt inter se hæc Officia Votiva, distinctio dignitatis personæ non erit ipsis applicanda (Q. 104, IV) ; unde in paritate ritus omnia sunt ejusdem ordinis, et dicuntur Vesperæ a Capitulo de sequenti cum Commemoratione præcedentis. Sed de his dicetur longius in Sectione II.

Q. 154. *Quomodo persolvuntur prædicta Officia Votiva, per annum pro singulis hebdomadæ Feriis concessa ?*

R. Dicuntur prout in aliis Festis semiduplicibus, additis tum Commemoratione Vigiliæ, Feriæ majoris et Festi simplicis occurrentis, tum nona Lectione, de Homilia super Evangelium ejusdem Vigiliæ vel Feriæ, aut de Sancto. — Tempore Paschali additur ubique *Alleluja*, etiam in Officio Votivo de Passione D. N. J. C., et servantur omnia ejusdem temporis propria. (Decret. S. Rituum Congregationis, 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 2.) — Adduntur Commemorationes communes, seu Suffragia Sanctorum, ut in Psalterio, si faciendæ sint ; omissa Commemoratione ejus, de quo fit Officium Votivum ; ex. gr. omissa, in Officio Votivo de S. Joseph, et in Officio Votivo de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., casu quo ritu Semiduplici recitetur secundum dicta in præcedenti Quæstione,

eorum Commemoratione communi; omissa etiam Commemoratione de Cruce, in Officio Votivo de Passione D. N. J. C., quando hæc tempore Paschali loco Suffragiorum de Sanctis dicitur (Decreta 29 Aprilis 1887, n. 3675, antiq. 5983, ad 3; et 27 Junii 1899, n. 4043, ad 2); omissa tandem eadem Commemoratione de Cruce in Officio Votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043, ad 2).

Notandum hic est, præfatam rubricam, de omittenda Commemoratione ejus de quo fit Officium, non esse applicandam Commemorationi communi de SS. Apostolis Petro et Paulo, in Officio Votivo de SS. Apostolis assignato Feriæ tertiæ : declaravit S. Rituum Congregatio, in casu hanc Commemorationem non esse omittendam. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

Pro facilitate persolventium, in Directorio describuntur rubricæ servandæ in recitatione Officiorum Votivorum ; quod fieri posse rescripsit S. Rituum Congregatio ; voluit tamen ut iisdem diebus redigatur etiam ordo divini Officii more consueto juxta rubricas, de Festo simplici nempe, aut de Vigilia, aut de Feria. (Decret. 19 Septembris 1883, n. 3594, antiq. 5893, ad 2.)

SECTIO II

De Occurrentia et de Concurrentia Officiorum

CAPUT I

DE OCCURRENTIA

ARTICULUS I

De natura Occurrentiæ

Q. 155. *Explica quid intelligatur per Occurrentiam.*

R. Cum ob Festi Paschalis mobilitatem, ipsum Fe-

stum, et omnia quæ ab eo dependent Festa et Officia mobilia quolibet anno aliam occupent diem ; cum insuper, ob mutationem annuam Litteræ Dominicalis, omnes Dominicæ et Feriæ aliam quolibet anno occupent in mense diem (cfr. Q. 96, 3°) ; — cum aliunde omnia fere Sanctorum Festa fixam habeant in determinata mensis die sedem, ut videre est in Kalendario ; exinde necessario accidit, ut sæpius Festa et Officia mobilia, et Dominicæ in eam incidant diem, quam Festum immobile jam occupat, sicque duo in una die in conspectum veniant Officia. Illa autem **incidentia duorum in una eademque die Festorum aut Officiorum vocatur Occurrentia.** — Etsi duo hæc Officia sermone latino forsan emendatius dicerentur *concurrere*, tamen in Liturgia dicitur quod ambo *occurrunt*, et vox *concurrentia* de alio Officiorum conflictu intelligitur, ut in Capite sequenti dicetur.

Exempla : dies 28 mensis Maji assignata est Festo S. Augustini, Episcopi Cantuariensis ; at fieri potest, ut hac eadem die 28 Maji celebrandum veniat uno anno Festum mobile SS. Corporis Christi (1891), alio anno incidat dies infra Octavam Pentecostes (1890), alio anno dies Octava Ascensionis Domini (1903) ; — dies 30 mensis Novembris est propria Festi S. Andreæ, Apostoli ; fieri potest, si Littera Dominicalis est E, ut eadem die adveniat Dominica I Adventus (1902) ; — in his casibus dicuntur occurrere Festum S. Augustini et Festum SS. Corporis Christi ; Festum S. Augustini et dies infra Octavam Pentecostes ; Festum S. Augustini et dies Octava Ascensionis Domini ; Festum S. Andreæ et Dominica I Adventus.

Q. 156. *Quotuplex distinguitur Occurrentia ? Explica.*

R. Duplex distinguitur Occurrentia : **accidentalis** nempe, et **perpetua.**

Occurrentia accidentalis datur, quando Officium mobile incidit in ea die in qua Officium fixum suam sedem habet, vel in qua aliud Officium mobile similiter incidit ; — et quoniam Officium mobile, si præsenti anno in tali die incidit, sequenti anno in alia die incidet, non semper igitur, neque perpetuo occurret cum eodem Officio fixo, sed tantum accidentaliter, quia scilicet sequenti anno Festum Paschatis alia die mensis, imo alio quandoque mense celebrandum erit ; quia item sequenti anno Littera Dominicalis diversa erit ; ideo Occurren-

tia duorum hujusmodi in una eademque die Officiorum dicitur accidentalis.

Hæc est Occurrentia quæ in præcedenti responso exponitur, et per exempla proposita manifesta est. Attamen, licet data ibi Occurrentiæ definitio apta sit, ratio tamen Occurrentiæ non ex toto sufficienter exposita fuit, ut ex sequentibus patebit.

Occurrentia perpetua datur, quando Officium fixum incidit in ea die in qua et aliud Officium fixum suam sedem habet ; — quoniam ambo fixa sunt, ideo quotannis eadem determinata die mensis, seu perpetuo hæc occurrent.

Exempla : Dies Octava Festi Nativitatis S. Joannis Baptistæ (quod celebratur 24 Junii), ritus Duplicis, necessario incidit in die 1 Julii ; Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, in Archidiœcesi Mechliniensi celebratur ritu Duplici 1 classis eadem die 1 Julii : occurrunt perpetuo hæc dies Octava et hoc Festum. — Festum duplex S. Martini, Episcopi et Confessoris, celebratur 11 Novembris ; eadem die incidit Festum simplex S. Mennæ, Martyris : hæc duo Festa, duplex unum, simplex alterum, perpetuo occurrunt. — Ubi idem S. Martinus est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, ejus Festum est duplex 1 classis cum Octava ; Octava dies incidit in die 18 Novembris ; eadem die 18 Novembris indicatur in Kalendario universæ Ecclesiæ Festum duplex majus Anniversarii Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli : in his locis, in his Ecclesiis occurrunt dies Octava S. Martini et Festum Dedicationis, et quotannis seu perpetuo occurrunt.

ARTICULUS II

De effectibus Occurrentiæ

Q. 157. *Qui sunt effectus Occurrentiæ ?*

R. Ex Occurrentia id efficitur ut, cum in una die nonnisi de uno fieri possit integrum Officium, alterum aliquo pacto hac eadem die cedere debeat ; quod diversis fit modis, etenim : aut de altero fiet tantum Commemoratio loco Officii integri ; aut ipsum alterum Officium omittetur penitus ; aut integrum in aliam diem accidentaliter transferetur ; aut integrum in aliam diem perpetuo mutabitur vel assignabitur.

Proinde sequentia inquirenda sunt in omni conflictu plurium Officiorum :

1° Quodnam Officium ex occurrentibus potiora jura habebit ut aliis præferatur, sive de quonam Officium fieri debebit.

2° Quandonam alterum occurrens Officium vel sola Commemoratione erit peragendum, vel aliquando penitus omittetur.

3° Quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia accidentalis est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta Officii translatione.

4° Quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia perpetua est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta vel Festi mutatione, vel Officii assignatione.

Hæc quatuor explicabuntur in sequentibus paragraphis.

§ I. Quodnam Officium alteri est præferendum

Q. 158. *Quot et quæ dantur rationes ob quas unum Officium alteri in Occurrentia prævaleat ?*

R. Tres dari possunt rationes, scilicet : 1° Officii dignitas ; 2° Officii necessitas ; 3° Officii dignitas simul et necessitas.

1° Dignitas quidem, quæ mensuratur ab excellentia seu præstantia personarum quæ coluntur, et a classe vel qualitate quam obtinet earum Festum vel Officium ; unde, exempli gratia, Festa Nativitatis Domini, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., omnibus aliis Festis et Officiis quæ possunt occurrere, dignitate antecedunt.

2° Necessitas vero, quando recolenda sunt suo proprio tempore, sua propria die, quædam mysteria, aut ea quæ ad hæc mysteria referuntur, quæ, etiamsi eorum Officia ritu, classe aut dignitate minora sint, tamen præ magnitudine sui objecti et omitti non possunt, et dignioribus Officiis longe præstant ; hac necessitate prævalent, exempli gratia, omnibus Festis quibuscumque Officia, inter alia, Dominicæ I Adventus et I Quadragesimæ, etiamsi istæ Dominicæ ritus semiduplicis tantum sint ; Feriæ IV Cinerum, et Feriarum majoris Hebdomadæ, licet istæ Feriæ ritus sint tantum simplicis.

3° Dignitas denique simul et necessitas, quando duæ supradictæ rationes simul adsunt, quemadmodum habetur, exempli gratia, in Dominicis Paschatis et Pentecostes, quæ solemnissima sunt Festa et dignissima, simulque mysteria necessario suis propriis diebus recolenda ; item in eorumdem Festorum Octavis, etiamsi infra has Octavas quædam dies habeant Officia ritus tantum semiduplicis; quodcumque enim Festum ipsis cedit.

Q. 159. *Describe seriem Officiorum in qua eo ordine referuntur, ut, quando eadem die simul duo vel plura Officia occurrunt, Officium superius positum præferatur iis quæ inferiorem locum occupant.*

R. Quando eadem die occurrunt duo vel plura Officia in diversis numeris seriei seu ordinis sequentis relata, præfertur Officium relatum ad numerum superiorem, cedunt vero Officia in numeris inferioribus designata. — Series seu tabella Officiorum proponitur hic sufficiens pro præsenti studio materiæ ; quædam particularia, omissa ne memoria gravetur, postea suis locis indicabuntur. — Ordo sequens est :

1° Dominicæ primæ classis ; — Feriæ privilegiatæ ; — Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes ; — dies infra Octavas Paschæ et Pentecostes ; — dies Octavæ Nativitatis Domini, et Epiphaniæ. (Hæc Officia sub unico numero referuntur, quia non possunt simul occurrere.)

2° Festa duplicia primæ classis.

3° Dominicæ secundæ classis ; — dies infra Octavam Epiphaniæ ; — dies Octava SS. Corporis Christi.

4° Festa duplicia secundæ classis.

5° Dies Octavæ Octavarum communium.

6° Festa duplicia majora.

7° Festa duplicia minora.

8° Dominicæ communes ; — dies infra Octavam SS. Corporis Christi ; — Vigilia Epiphaniæ.

9° Festa semiduplicia.

10° Dies infra Octavas communes.

11° Feria VI post Octavam Ascensionis.

12° Feriæ majores totius temporis Passionis, ac sacri Adventus a die 17 ad 23 Decembris inclusive.

13° Feriæ majores quæ non indicantur in numero præcedenti, et in quibus licet ad libitum recitare, vel Officium feriale, vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883. (Cfr. Q. 151.)

14° Vigiliæ minores, in quibus item licet ad libitum recitare, vel Officium Vigiliæ, vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883.

15° Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento in Feriis quintis, et Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. in Sabbatis, modo liberæ hæ dies sint, juxta concessiones particulares nostræ Diœcesi ante factas et relatas in Q. 150.

16° Festa simplicia quæ occurrunt Feriis II, III, IV, et VI, et in quibus licet ad libitum recitare, vel Officium Festi, vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883.

Ultimo tandem loco sequitur Officium Feriæ minoris II, III, IV, et VI, sed proprie non dicitur occurrere ; in ea licebit ad libitum recitare, vel Officium Feriæ vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883.

Facilis est usus hujus tabellæ. Resumentes enim exempla supra ad Quæstiones 155 et 156 data, statim videbimus : *a*) Festum S. Augustini Cantuariensis, 28 Maji, duplex minus, notari 7° loco ; Festum eadem die occurrens SS. Corporis Christi, 2° loco ; aut diem infra Octavam Pentecostes, 1° loco ; aut diem Octavam Festi Ascensionis Domini, 5° loco : de his igitur et non de S. Augustino, fiet 28 Maji Officium ; — *b*) Festum S. Andreæ, Apostoli, 30 Novembris, duplex 2 classis, adscribi 4° loco ; Dominicam I Adventus, 1 classis, 1° loco : Dominicæ ergo, et non S. Andreæ Officium fiet 30 Novembris ; — *c*) Octavam diem Octavæ communis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 1 Julii, recenseri 5° loco ; Festum S. Rumoldi, duplex 1 classis, 2° loco : quare S. Rumoldi, et non diei Octavæ, dicetur 1 Julii Officium ; — *d*) Festum S. Martini, Episcopi et Confessoris, 11 Novembris, duplex, tenere 7^{um} locum ; Festum S. Mennæ, simplex, 16^{um} locum : S. Martini itaque, et non S. Mennæ, fiet Officium ; — *e*) Octavam die Octavæ communis S. Martini, Patroni alicujus loci, 18 Novembris, adscribi 5° loco ; Festum Anniversarii Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, duplex majus, 6° loco : ex quo patet Officium hac die fieri de die Octava S. Martini, non de Anniversario Dedicationis. — Hæc exempla sufficiant ad indicandum ordinis descripti usum.

Q. 160. *Occurrunt subinde eadem die duo Festa ejusdem ritus et classis ; vel duæ Octavæ simul celebrandæ ; quodnam*

tunc Officium potiora jura habebit ut alteri præferatur?

R. Suprapositus ordo Officiorum statim indicat Officium præferendum, casu quo Officia occurrentia ejusmodi sunt quæ diversis ordinis numeris referuntur. Sed aliquando accidit id quod in Quæstione ponitur : occurrunt nempe duo Officia, vel Festa quæ eodem numero in ordine assignantur ; vel speciatim : occurrunt eadem die duo Festa quorum utrumque est duplex 1 classis, aut duplex 2 classis, aut duplex majus, aut duplex minus, aut semiduplex.

Exempla: 1° Festum S. Georgii, Martyris, celebratur 23 Aprilis; in iis locis ubi est Patronus, in iis Ecclesiis quarum est Titulus, Festum est duplex 1 classis ; occurrere potest hac die 23 Aprilis Festum in nostra Diœcesi duplex 1 classis Patrocinii S. Joseph, celebrandum Dominica III post Pascha. — 2° Festum S. Martini, Episcopi et Confessoris, celebratur 11 Novembris, ritu duplici 1 classis, si est alicujus loci Patronus aut alicujus Ecclesiæ Titulus ; occurrere potest hac die 11 Novembris Anniversarium Dedicationis omnium Diœcesis nostræ Ecclesiarum, item duplex 1 classis (cfr. Q. 105, Nota II). — 3° Festum Visitationis B. Mariæ Virginis, duplex 2 classis, celebratur 2 Julii ; occurrere potest hac die 2 Julii Festum Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri, item duplex 2 classis, celebrandum Dominica I Julii. — 4° Die 2 Martii celebratur in nostra Diœcesi Festum duplex majus B. Caroli Boni, comitis Flandriæ, et Martyris ; occurrere potest hac die Officium Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., item duplex majus, celebrandum in nostra Diœcesi Feria VI post Feriam IV Cinerum. — 5° Festum Conversionis S. Pauli Apostoli, duplex majus, celebratur 25 Januarii ; occurrere potest hac die Officium Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, celebrandum in nostra Diœcesi Feria III post Dominicam in Septuagesima. — 6° Diebus 3ª, 4ª Julii assignatur Officium de die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli ; occurrit iisdem diebus in nostra Diœcesi Officium diei infra Octavam S. Rumoldi. — Sufficiant hæc exempla.

Pro hujusmodi concurrentia duorum in eadem die Festorum, quorum utrumque jam est ritus duplicis et ejusdem classis, aut utrumque ritus semiduplicis, regulam sequentem dat Rubrica (Tit. X, n. 6) : « Si omnia fuerint duplicia, vel omnia semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, videlicet, de Festo potioris ritus præ alio ritus inferioris, aut in paritate ritus de primario præ secundario, aut, iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personæ, aut, in paritate dignitatis

de fixo præ mobili, aut denique, ceteris paribus, de magis proprio præ minus proprio. » — Referri hic etiam posset Decretum generale S. Rituum Congregationis, 21 Novembris 1893 (n. 3811), super duobus Festis vel Officiis eadem die occurrentibus ; sed quia hoc Decretum speciatim fuit datum pro casibus novorum Festorum quæ Sancta Sedes non raro statuit celebranda, de eo longius dicetur infra (QQ. 173-179), ubi agitur de mutatione vel assignatione Festorum.

Itaque in his casibus servantur regulæ sequentes :

1° Semper et in omni casu Occurrentiæ alicujus Festi duplicis 1 classis cum uno ex Festis duplicibus 1 classis quæ in Ecclesia universali majori cum religione et solemnitate celebrantur, hoc potiora jura habebit ut præferatur. Festa illa digniora jam recensita fuerunt Q. 105, in Nota I, attamen juvat illa iterum enumerare. Sunt : Nativitas D. N. J. C., Epiphania, Pascha Domini cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Festum SS. Corporis Christi, Assumptio B.M.V., Immaculata Conceptio B. M. V., Annuntiatio, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V., Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum Omnium Sanctorum. — His solemnioribus Festis cedunt igitur, ex. gr., Festa localia Patroni loci, Dedicationis Ecclesiæ, et Tituli Ecclesiæ.

Exempla in annuo Directorio seu Kalendario nostræ Diœcesis pro applicatione hujus primæ regulæ reperiri non possent : casus omnes pro nobis obvii resolvi possunt ex sequentibus regulis qualitatis et dignitatis. Exemplum tamen foret, si Dedicatio alicujus Ecclesiæ jam fieret, ex. gr., in Festo Ascensionis Domini, aut Feria II aut III post Pascha vel Pentecosten : ritus, classis, qualitas, dignitas personæ, in utroque Festo eadem sunt ; non poterit tamen neque Officium dici, neque Missa celebrari de Dedicatione, quia supradicta Festa de majoribus et dignioribus sunt, quæ in omni casu prævalent. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, editio anni 1902, Sectio II, Caput I, Articulus II, § 3, VIII, Q. 298.)

2° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, attendenda est primo qualitas Festorum : inquiritur quodnam scilicet ex eis sit primarium,

quodnam secundarium (Cfr. QQ. 104, III, et 108) ; et præfertur primarium secundario.

Prædictam solutionem diu desideratam dedit S. Rituum Congregatio per Decretum generale quoad præeminentiam inter Festa primaria et secundaria, 27 Junii 1893 (n. 3808) ; quam Congregationis sententiam Summus Pontifex Leo XIII ratam habuit et confirmavit 2 Julii 1893. (Cfr. Decretum in Directorio anni 1894, inter Documenta, n° 2.)

Proinde ad exempla proposita dabitur sequens solutio : ad primum, Festum S. Georgii, Patroni, est primarium ; Festum Patrocinii S. Joseph est secundarium : ergo præfertur Festum S. Georgii, et celebrabitur 23 Aprilis ; — ad tertium, Festum Visitationis B. Mariæ V. est primarium ; Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. est secundarium : ergo præfertur Festum Visitationis B. Mariæ V., et celebratur 2 Julii ; — ad quartum, Festum B. Caroli Boni est primarium ; Officium Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C. est secundarium : ergo præfertur Festum B. Caroli Boni, et celebratur 2 Martii.

3° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, et utrumque Festum est ejusdem qualitatis, scilicet, utrumque est primarium, vel utrumque est secundarium : attendenda tunc est dignitas personæ cujus Festum occurrit (cfr. Q. 104, IV) ; et præfertur Festum personæ dignioris.

Unde datur sequens solutio ad exempla posita : ad secundum, Festum Dedicationis Ecclesiarum est Festum Domini : ergo præfertur Festo S. Martini, et celebrabitur 11 Novembris ; — ad quintum, Officium Orationis D. N. in Monte Oliveti, ratione dignitatis personæ Christi Domini, præfertur Festo Conversionis S. Pauli Apostoli.

Nota. Solutio proposita pro exemplo secundo, nempe præferentia Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ super Festo S. Martini, intelligenda est pro Ecclesiis consecratis. Nam animadvertendum hic est, quod pro Ecclesiis nondum consecratis sed tantum solemniter benedictis, Festum Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum in cumulo per totam Diœcesim celebratum (cfr. Q. 105, Nota II) est qualitate secundarium (cfr. Q. 108, Nota) ; unde in hujusmodi Ecclesiis nondum consecratis præsens solutio non valet, et alia omnino servanda est ; etenim, quia Festum S. Martini est primarium, Anniversarium Dedicationis vero hic est secundarium, servata regula præcedenti, præfertur Festum S. Martini Festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum. — Postquam vero Ecclesia S. Martini fuerit consecrata, Anniver-

sarium Dedicationis Ecclesiarum pro ipsa erit etiam Festum primarium, et servanda erit solutio supra proposita, nempe cedet Festum S. Martini Festo Domini Dedicationis.

4° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, et utrumque Festum est ejusdem qualitatis, et insuper adest paritas dignitatis : tunc præfertur Festum diei mensis affixum, seu fixum præ Festo mobili. (Cfr. Q. 112.)

Pro vera intelligentia hujus Rubricæ circa prælationem fixi præ mobili Festo animadvertendum est quod ipsa non est applicanda iis Festis lato sensu mobilibus, quæ Dominicis affixa fuerunt ideo præcise ut cum feriatione valeant celebrari ; qualia sunt Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. ; Festum Patrocinii S. Joseph ; Festum S. Joachim, Patris B. Mariæ V. ; etc. ; et ideo perperam ageret qui, ex. gr., ubi Festum S. Rochi, Confessoris, fixum in die 16 Augusti, celebratur ritu duplici 2 classis, quando dies 16 Augusti est dies Dominica, hoc Festum, quia fixum, præferret Festo S. Joachim, Patris B. Mariæ V., eodem ritu celebrando in Dominica infra Octavam Assumptionis, quia est mobile ; etenim tamquam recolendum cum feriatione, Festum S. Joachim, etiamsi sit par in ritu et aliis, sed mobile, gaudet aliqua prælatione super Festo fixo S. Rochi, quia feriatum non est. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 24.)

Sed Rubrica de iis tantum Festis intelligenda est, quæ ad cleri levamen fuerunt Dominicis affixa ut possint subrogari Officiis Dominicalibus, qualia sunt, ex. gr., Festa Puritatis et Maternitatis B. Mariæ V.

Dicere liceat desiderari hujus Rubricæ reformatæ authenticam declarationem ab ipsa S. Rituum Congregatione datam ; nam non ita clara est ejus applicatio in diversis casibus, et pro diversis Festis lato sensu mobilibus.

Exemplum hujusmodi occurrentiæ in nostro Kalendario Mechliniensi reperire non est ; etenim omnes qui se offerre possunt casus solvi jam valent regulis supra datis, ratione qualitatis Festi et ratione dignitatis personæ. Optime applicaretur præsens regula in casibus sequentibus : si, ex. gr., Festa duplicia majora Maternitatis et Puritatis B. Mariæ V., quæ celebrantur

in Dominicis secunda et tertia Octobris, alicubi occurrerent cum alio Festo secundario ejusdem B. Mariæ V., ritus duplicis majoris, et diei mensis affixo : præferendum tunc foret Festum fixum ; — item, si Festum SS. Reliquiarum quæ in Ecclesiis nostræ Diœcesis asservantur, celebratum ritu duplici majori in Dominica ultima Octobris, et quod primarium est, alicubi occurreret cum Festo duplici majori primario alicujus Sancti diei mensis affixo : cæteris paribus tunc fiat de Festo fixo Sancti præ Festo mobili SS. Reliquiarum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4034, ad 1.)

5° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, et utrumque Festum est ejusdem qualitatis, et insuper adest paritas dignitatis, et utrumque est fixum aut utrumque mobile, verbo cæteris paribus, fiat de magis proprio præ minus proprio. — Quid intelligatur per Festum proprium, expositum fuit supra Q. 113.

Hæc regula rarissime practica erit pro occurrentia accidentali, sed suam applicationem habere poterit et non raro habet in occurrentiis perpetuis, necnon in casu quo Sancta Sedes novum Festum statuit celebrandum ; de quibus dicetur postea, QQ. 173-179.

Exempla : Festum S. Amandi, Episcopi et Confessoris, et Festum S. Dorotheæ, Virginis et Martyris, occurrunt eadem die 6 Februarii. Supponitur quod S. Amandus sit alicujus Diœcesis Patronus, et quod S. Dorothea sit Patrona particularis loci ejusdem Diœcesis ; omnia jam paria sunt : utrumque Festum est ritus duplicis 1 classis, utrumque est primarium ; personarum dignitas est æqualis ; utrumque est fixum. Ast pro loco cujus S. Dorothea est Patrona, hujus Festum censetur et est magis proprium, quam Festum S. Amandi, qui est Patronus quidem sed Diœcesis, proprius qua talis etiam in loco patronatus S. Dorotheæ, sed minus proprius quam S. Dorothea : ergo præfertur in casu Festum S. Dorotheæ, in loco cujus est Patrona, Festo S. Amandi, Patroni Diœcesis.

Exempla plura dantur in nostro Kalendario Mechliniensi, in quibus Festa propria Diœcesis præferuntur tamquam magis propria Festis Ecclesiæ universalis eadem die occurrentibus, quæ ipsis cedere debuerunt et acceperunt aliam diem assignatam. Ita die 17 Martii fit de Festo magis proprio S. Gertrudis, Virginis Nivigellensis, præ minus proprio S. Patritii, Episcopi et Confessoris, hac eadem die adscripto in Kalendario Ecclesiæ universalis, et ad aliam diem assignato ; ita etiam die 15 Maji fit de Festo magis proprio S. Dympnæ, Virginis et Martyris, præ minus proprio S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, hac eadem die ab anno 1903 adscripto in Kalendario Ecclesiæ

universalis, et ad aliam diem assignato pro Diœcesi Mechliniensis.

6° Quando dies infra Octavam occurrit cum die infra aliam Octavam, præfertur Officium illius Octavæ cujus præfertur Festum ; accessorium enim sequitur naturam principalis.

Igitur, pro exemplo sexto supra in initio responsi allato, Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli cum præferendum sit Festo S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, utpote personarum digniorum, etiam dictis diebus præferentia dabitur Officio diei infra Octavam SS. Apostolorum, et non Officio diei infra Octavam S. Rumoldi.

Alia exempla subjungere placet sequentia :

S. Rituum Congregatio declaravit Octavam Omnium Sanctorum esse præferendam, tamquam digniorem, Octavæ Dedicationis Ecclesiæ. (Decret. 5 Martii 1695, n. 1922, antiq. 3354, ad 1.) Festum Omnium Sanctorum enim unum ex illis est quæ supra sub 1° recensentur, et Festo locali Dedicationis Ecclesiæ præferuntur.

Ad dubium : « Ubi Festum SS. Cordis Jesu, vel Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis est Titulus Ecclesiæ, utriusque Festi Octava, tum quoad Officium, tum quoad Commemorationem postponendane est Octavis Festorum Nativitatis S. Joannis Baptistæ et SS. Apostolorum Petri et Pauli ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; juxta Decretum *Urbis*, diei 22 Maji 1896, in responsione ad tertium. » (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 9.)

Nota. Exceptiones ad præfatas regulas, sed raræ reperiuntur in ipso Breviario Romano ; ipsæ reguntur particularibus Rubricis ; sequentem sufficiat hic notare pro exemplo. Festum duplex majus S. Nominis B. Mariæ V. celebrari debet Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. Mariæ V., et occurrere potest in ipsam diem Octavam Nativitatis. Juxta tabellam præferentiæ propositam ad Q. 159, videretur præferenda dies Octava Nativitatis, quæ ibi notatur 5° loco, Festo duplici majori S. Nominis, quod notatur 6° loco ; attamen Rubrica specialis Festi S. Nominis præscribit quod, si Festum S. Nominis incidat in diem Octavam Nativitatis, Officium fit de eo ; præfertur ergo Officium Festi duplicis majoris in casu Officio diei Octavæ.

§ 2. De Commemorationibus in Occurrentia Officiorum

In præcedenti paragrapho inquisitum fuit, quodnam Officium, ex diversis in una die occurrentibus, potiora habeat jura ut aliis præferatur et integrum dicatur, sive de quonam fieri debeat Officium integrum.

Nunc vero investigandum est, quid, statuto jam prævalentis Officio integro, de alio impedito vel de aliis impeditis sit faciendum.

Triplex sese offert solutio ; etenim : 1° quædam sunt Officia quæ, vel ex natura sua, vel quia ita lege statutum fuit, diem propriam conservant ; et cum, prævalente alio Officio, Officium integrum non habere possint, relicto Officio integro, partem tantum Officii retinent, adjungendam Officio integro prævalenti ; verbo, Commemoratione peraguntur ; — 2° quædam sunt Officia quæ minoris quasi momenti sunt, respectu Officii integri prævalentis, quam ut eorum Commemoratio huic addi valeat ; et penitus omittuntur ; — 3° quædam sunt Officia quæ jus habent ut integra dicantur; cumque ex Occurrentia cum alio Officio quod prævalet, integra in die Occurrentiæ non possint dici, ad aliam sequentem diem liberam in qua integra dici valeant reponuntur.

In præsenti paragrapho exponitur, **quandonam alterum occurrens Officium, vel sola Commemoratione erit peragendum, vel aliquando penitus omittetur.** Agitur itaque de secundo effectu Occurrentiæ significato in Articulo II, Quæstione 157, seu de prima et secunda solutione supra proposita. Tertia solutio vero exponetur in sequentibus paragraphis tertio et quarto.

Q. 161. *Quid est Commemoratio, prout est effectus Occurrentiæ ?*

R. Commemoratio, prout est effectus Occurrentiæ, est pars quædam exigua Officii, in ipsius integri locum substituta, et Officii integri quasi vicem supplens.

Non agitur hic de Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum, quæ dicuntur in quibusdam Officiis et quibusdam anni temporibus, quorumque

regulæ expositæ fuerunt supra, Q. 46 ; ad eorumdem distinctionem præsens Commemoratio vocatur nonnumquam **Commemoratio specialis**, seu particularis uni alterive Officio, ut ex data definitione jam patet.

Q. 162. *Quibus constat Commemoratio, et in quo Officii loco est facienda ?*

R. ad I. Commemoratio constat **Antiphona, Versu et Oratione.**

Antiphona in Vesperis, vel primis vel secundis, ea sumitur quæ est posita ad Canticum *Magnificat* Officii illius de quo fit Commemoratio ; in Laudibus vero, ea quæ posita est ad Canticum *Benedictus*; sunt enim Antiphonæ illæ nobiliores cæteris quæ in his Horis dantur. — **Versus** sumitur qui sive in Vesperis, sive in Laudibus, respective ponitur post Hymnum. — **Oratio** ea dicitur quæ Officii cujus Commemoratio fit est propria. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.) De Antiphonis et Versibus dicetur latius QQ. 201-208.

His non raro additur **Lectio**, legenda in Matutino Officii quod integre dicitur ; quæ Lectio erit, vel de Homilia Evangelii Dominicæ, Feriæ aut Vigiliæ, quarum Commemoratio peragenda est, et quæ propriam habent Homiliam in suis Officiis assignatam ; vel de Sancto cujus Commemoratio fit, modo propriam habeat, seu historicam, aut de sermone proprio ; hæcque ex omnibus Lectionibus Sancti propriis, si plures sunt, ad modum unius componitur, scilicet ex duabus vel ex tribus fit una. De hac Lectione dicetur QQ. 214 et 215.

R. ad II. Fit itaque Officii alicujus ob Occurrentiam impediti Commemoratio in sequentibus Horis Officii quod prævalet et integrum dicitur :

1° In **Vesperis** ; scilicet : in **primis Vesperis**, si Commemoratio instituenda est de Festo simplici ; in **secundis Vesperis**, si de die infra Octavam, de Feriis Adventus et Quadragesimæ ; in **utrisque Vesperis**, si de die Octava, de Dominica, et de Festo duplici ac semiduplici ad modum simplicis redacto Commemoratio fit.

2° In **Laudibus** ; de Festo duplici ac semiduplici ad modum simplicis redacto, de Festo simplici, de Dominica, de Octava, de Feria majori quacumque, et de Vigilia.

3° In Matutino ; legendo, in Officio prævalente quod integrum dicitur, pro nona Lectione Lectionem de Homilia Evangelii, vel de Sancto, ut supra in responso ad I dictum fuit.

In nulla ex aliis Horis Officii prævalentis aliqua fit Commemoratio Officii per Occurrentiam impediti.

Q. 163. *Quænam Officia ob Occurrentiam cum alio prævalente impedita peraguntur sola Commemoratione ?*

R. Omnia Officia præter Festa duplicia 1 classis, duplicia 2 classis, duplicia majora (cfr. QQ. 105, 106, 107), et Festa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum (cfr. Q. 110).

Consequenter Festa duplicia minora quæ non sunt SS. Doctorum, Festa semiduplicia, Festa simplicia, Dominicæ, Feriæ majores, Vigiliæ, dies infra Octavas, dies Octavæ, quando in Occurrentia cum alio Officio prævalente impediuntur, numquam transferuntur, sed de iis impeditis in diebus eorum propriis fit tantum Commemoratio ; modo jus ad Commemorationem non amittant, nam in tali casu penitus omittuntur, ut dicetur in Quæstione sequenti.

Nota. I. Hæc dicta de Festis duplicibus minoribus et de Festis semiduplicibus sola Commemoratione peragendis, intellige pro casu Occurrentiæ accidentalis (Q. 156) ; nam bene animadvertendum est, quod in casu Occurrentiæ perpetuæ, quæcumque Festa duplicia minora et semiduplicia impedita jus habent ut eorum Officium integrum dicatur in prima die libera quæ sequitur, in qua ipsa tamquam in sede propria perpetuo recolentur. (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1.) De hujusmodi Occurrentia perpetua latius dicetur in § 4 hujus Articuli.

Placet hic loci jam exemplum ponere relative ad hanc animadversionem. Sancta Sedes statuit ab anno 1903 celebrandum esse Festum duplex S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, 15 Maji ; in Archidiœcesi Mechliniensi vero eadem die 15 Maji jam celebratur Festum duplex S. Dympnæ, Virginis et Martyris, quod prævalet et celebrandum retinetur die 15 Maji. Festum S. Joannis ergo quotannis impeditur in die 15 Maji, ob Occurrentiam perpetuam cum Festo S. Dympnæ ; quia hæc Occurrentia est perpetua, ideo non sufficiet quotannis Commemorationem tantum peragere in die 15 Maji Officii S. Joannis,

sed integrum ejus Officium reponendum fuit in prima die libera, quæ in Kalendario Mechliniensi reperta fuit 22 Maji, et quæ ab Archiepiscopo Mechliniensi statuta fuit tamquam dies fixa, in qua perpetuo integrum dicetur Officium S. Joannis.

Sed in variis locis et Ecclesiis Diœcesis dies 22 Maji etiam non est libera ; ubi, ex. gr., S. Servatius, Confessor et Pontifex, cujus Festum celebratur 13 Maji, est Patronus loci aut Titularis Ecclesiæ ante annum 1903, ejus dies Octava celebratur 20 Maji, ex qua die reponendum fuit Officium S. Bernardini Senensis, Confessoris ; hoc Officium in his locis et Ecclesiis dicitur jam die 22 Maji, quæ est dies fixa ; ex regulis postea exponendis patet diem 22 Maji esse retinendam ibi pro Officio S. Bernardini, et pro Officio S. Joannis Baptistæ de la Salle requirendam ulterius esse primam diem liberam ; hæc reperitur die sequenti, 23 Maji, et Archiepiscopi est pro his locis et Ecclesiis statuere hanc diem tamquam diem fixam in qua ibi perpetuo dicetur Officium integrum S. Joannis.

Nota. II. Dicitur in responso Officia Dominicæ et Vigiliæ numquam transferri ; attamen, ad Quæstionem 124, dictum fuit Officium Dominicæ aliquando anticipari in hebdomada, et ad Quæstionem 136, Officium Vigiliæ in Dominica die occurrentis anticipari in Sabbato ; hæc alio sensu et alia de causa quam ex Occurrentia fieri patet.

Nota. III. Quæ in hoc responso datur regula pro Officiis in Occurrentia per solam Commemorationem peragendis, non convenit cum regula in ipsis Rubricis Breviarii et in auctoribus tradita ante annum 1882. Etenim antea quodcumque Festum novem Lectionum, d est, duplex aut semiduplex, impeditum per Occurrentiam, jus habebat ad Officium integrum, et transferebatur in primam sequentem diem liberam.

Verum, per Breve Apostolicum 28 Julii 1882 (Decret. n. 3551, antiq. 5846), quo SS. D. Leo XIII plura Sanctorum Officia in Kalendario universali inseri jussit, idem SS. D., ut in Kalendario habeantur plures sedes liberæ ad nova Officia introducenda, voluit Apostolica auctoritate sua, ut Rubrica generalis Breviarii, Tit. X, hac ratione mutetur, videlicet :

« Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicæ, vel majoris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo

cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus Commemoratio, cum nona Lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen hæc eo die fieri possint ; secus, hujusmodi Festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de Simplici cautum est in Rubricis, Tit. IX, num. X, et Tit. X, num. VIII. » Insuper SS. D. voluit ut Litteræ Apostolicæ, hanc Rubricæ mutationem instituentes, in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricæ interim apponantur, donec accurata Rubricæ ipsius correctio per S. Rituum Congregationem perficiatur.

Quam correctionem cum S. Rituum Congregatio feliciter in finem perduxerit, et permiserit, ut Rubricæ reformatæ cum textu authentico in lucem emitterentur, anno 1883 editæ fuerunt Rubricæ generales et speciales Breviarii et Missalis Romani reformatæ, eæque solæ in posterum in novis editionibus horum librorum liturgicorum imprimi possunt.

Satis intelligitur, quanta exinde supervenerit facienda mutatio, in ipsis Rubricis generalibus et particularibus Breviarii, et in auctoribus qui ea de re scripserunt ante annum 1882.

Q. 164. *An Officia supradicta, quæ Commemoratione peraguntur in casu impedimenti ex Occurrentia, nonnumquam jus ad Commemorationem amittunt, ita ut penitus omittantur ?*

R. Affirmative ; jus ad Commemorationem possunt amittere, ob excellentiam illius Officii quocum occurrunt et quod dicitur. Nimirum :

1° Festa duplicia et semiduplicia ad instar Simplicis redacta penitus omittuntur, nulla de eis facta Commemoratione, in omnibus Festis duplicibus primæ classis. — Attamen, in Vesperis secundis Duplicium primæ classis debet fieri Commemoratio Festi ad modum Simplicis redacti quod occurrit sequenti die et cujus Commemoratio eadem die facienda erit ; ex. gr., si in Feria IV infra Octavam Paschatis aut Pentecostes occurrit aliquod Festum duplex aut semiduplex, ejus fiet tantum Commemoratio ; sed hæc jam poterit fieri pro primis ejus Vesperis, in secundis Vesperis Feriæ III

infra Octavam Paschatis aut Pentecostes, etiamsi hæc sit duplex primæ classis.

Exempla quotannis in Directorio dantur diversa, ratione mobilitatis Festorum Paschatis et Pentecostes ; sint inter alia sequentia :

In Kalendario fixo Sanctorum notantur Festa :

7 Maji, S. Stanislai, Episcopi et Martyris, duplex ;

17 Maji, S. Paschalis Baylon, Confessoris, duplex ;

18 Maji, S. Venantii, Martyris, duplex ;

19 Maji, S. Petri Cœlestini, Papæ et Confessoris, duplex ;

20 Maji, S. Bernardini Senensis, Confessoris, semiduplex.

Quando Pascha celebratur 29 Martii, tunc occurrunt : 7 Maji, Festum Ascensionis Domini ; — 17 Maji, Festum Pentecostes ; — 18 Maji, Feria II de Octava Pentecostes ; — 19 Maji, Feria III de Octava Pentecostes ; hæc omnia Festa sunt duplicia 1 classis ; ergo omittentur penitus, nequidem facta Commemoratione, Festa SS. Stanislai, Paschalis, Venantii, Petri Cœlestini. — Attamen, 19 Maji, in secundis Vesperis Feriæ III de Octava Pentecostes, quæ rejecit Commemorationem S. Petri Cœlestini, jam fiet Commemoratio S. Bernardini Senensis, quia de eo sequenti die, 20 Maji, Feria IV de Octava Pentecostes, quæ ritus est semiduplicis, fieri valet Commemoratio.

2° Festum simplex, et Vigilia minor penitus omittuntur in quocumque Festo duplici primæ classis ; in Duplici secundæ classis vero, Simplicis tantum fit Commemoratio in Laudibus, non in Vesperis.

Exempla : 6 Februarii, in Festo duplici S. Amandi, Episcopi et Confessoris, occurrit Festum simplex S. Dorotheæ, Virginis et Martyris ; 11 Novembris, in Festo duplici S. Martini, Episcopi et Confessoris, occurrit Festum simplex S. Mennæ, Martyris ; S. Dorotheæ et S. Mennæ præscribitur in Directorio Commemoratio in primis Vesperis et in Laudibus ; sed ubi S. Amandus, aut S. Martinus sunt Patroni loci, aut Titulares Ecclesiæ, Festa eorum sunt duplicia 1 classis, et S. Dorotheæ ac S. Mennæ omittetur Commemoratio.

Die 12 Julii celebratur Festum duplex S. Joannis Gualberti, Abbatis, et fit Commemoratio occurrentis Festi simplicis SS. Naboris et Felicis, Martyrum, in Vesperis primis et in Laudibus ; anno 1903, occurrit hac die in Kalendario Archidiœcesis Mechliniensis Festum duplex 2 classis S. Liberti, Martyris, celebrandum Dominica II Julii ; S. Joannis, duplicis simplificati, fiet quidem Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus ; SS. Naboris et Felicis autem fiet tantum Commemoratio in Laudibus.

3° Dies infra Octavam communem non habent Commemorationem in quocumque Festo duplici primæ vel

secundæ classis. Attamen in secundis Vesperis Festi duplicis secundæ classis admittitur Commemoratio hujusmodi diei infra Octavam, si de ea dicitur Officium die sequenti.

Exemplum : Anno 1903, die 2 Julii, in Festo Visitationis B. M. V., duplici 2 classis, omissa penitus in Officio hujus Festi Commemoratione utriusque Octavæ, tum SS. Apostolorum Petri et Pauli in Ecclesia universali, tum S. Rumoldi in Diœcesi Mechliniensi occurrentibus, in secundis Vesperis hujus Festi tamen admittitur Commemoratio Octavæ SS. Apostolorum, cujus sequenti die, 3 Julii, dicitur per Diœcesim Officium, omissa adhuc penitus Commemoratione Octavæ S. Rumoldi.

Remanent itaque Officia Dominicæ cujuscumque, Feriæ majoris , et diei Octavæ, de quibus impeditis semper fit Commemoratio.

Exempla : Festum Patrocinii S. Joseph, quod in nostra Diœcesi celebratur ritu duplici 1 classis, etiamsi rejiciat Commemorationem Festi duplicis minoris si occurrat, admittit tamen Commemorationem Dominicæ III post Pascha, in qua celebratur, in Vesperis, in Matutino et in Laudibus.

Festa S. Joseph, 19 Martii, et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 8 Decembris, debent admittere Commemorationem Feriæ majoris in qua celebrantur respective in Quadragesima, et in Adventu.

Festum S. Rumoldi, 1 Julii, in nostra Diœcesi duplex 1 classis, admittit Commemorationem diei Octavæ S. Joannis Baptistæ in Vesperis et in Laudibus.

Nota. I. Animadvertendum est, in præsenti paragrapho tradi regulas tantum pro Occurrentia Officiorum, et pro his regulis tantum dari exempla ; nonnumquam autem Officia, quæ jus habent ad Commemorationem in Vesperis ratione Occurrentiæ, posse jus istud in Vesperis amittere propter Concurrentiam, de qua in Capite II agitur.

Nota. II. Aliquando etiam ratione identitatis omittenda erit Commemoratio ; ex. gr., hac de causa omittitur Commemoratio Octavæ Nativitatis B. Mariæ V., et quidem diei Octavæ, in Festo SS. Nominis B. Mariæ V., quod celebratur Dominica infra Octavam Nativitatis. (Cfr. Rubrica specialis hujus Festi.) Ob eamdem rationem rescripsit S. Rituum Congregatio, quod, si in Vigilia Assumptionis B. Mariæ V. de aliquo ejus-

dem Virginis Festo esset alicubi agendum, omittenda sit Commemoratio Vigiliæ. (Decret. 20 Junii 1899, n. 4037, ad 2.)

Nota. III. De Festis « ad libitum » jam dictum fuit (Q. 115), quando impediuntur, de ipsis nequidem fieri Commemorationem, sed ipsa omnino tunc omitti.

Q. 165. *Quis ordo servandus est inter Commemorationes quando plures in uno Officio faciendæ sunt ?*

R. Prænotatur quod in Laudibus et Vesperis, dicta Antiphona post *Benedictus* et *Magnificat*, semper primo loco dicitur Oratio propria Officii, nempe in Laudibus ejus de quo dictæ fuerunt Laudes, in Vesperis vero ejus de quo dictæ fuerunt Vesperæ integræ vel a Capitulo. Huic primæ Orationi præponitur : *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, et hæc concluditur sub sua conclusione. Deinde fiunt Commemorationes singulæ per Antiphonam, Versum et Orationem (cfr. Q. 162), cui Orationi etiam præponitur *Oremus*; sed istæ Commemorationes, quotquot etiam sint, non concluduntur nisi in ultima Oratione. (Cfr. Q. 43.)

Hoc prænotato, respondetur quod in Occurentia diversorum Officiorum pro Commemorationum ordine servatur regula, ut de illo prius Commemoratio agatur, de quo Officium, secluso impedimento, persolveretur. Unde sequens ordo servabitur (cfr. Rubricæ generales, Tit. IX, n. 11) :

1° De Dominica privilegiata seu majori secundæ classis ;

2° de die Octava ;

3° de Duplici quod agitur tamquam simplex ;

4° de Dominica communi per annum ;

5° de die infra Octavam SS. Corporis Christi ;

6° de Semiduplici quod agitur tamquam simplex ;

7° de die infra Octavam communem ;

8° de Feria majori ;

9° de Vigilia ;

10° de Sancto cujus Festum per se simplex est.

Quod si in aliquo Officio dicendæ sint Commemorationes communes, istæ dicuntur semper post prædictas omnes Commemorationes speciales. (Cfr. QQ. 46, 161.)

Nota. Quædam hic loci animadvertenda sunt circa nonnullas Commemorationes omnino particulares, quæ extra ordinem Officii aliquando dicendæ sunt.

I. In Rubricis particularibus Festorum S. Petri Apostoli, et S. Pauli Apostoli, semper notatur quod in Vesperis et Laudibus Officii unius Commemoratio facienda est alterius ; nempe in Officiis Festorum S. Petri fit Commemoratio S. Pauli, et in Officiis Festorum S. Pauli fit Commemoratio S. Petri ; et fit quidem hæc Commemoratio particularis immediate post Orationem substantialem Officii, ante alias quascumque etiam ad Officium pertinentes ; sub altera tamen conclusione cum Commemorationibus specialibus si dicendæ sunt. (Cfr. Proprium Sanctorum in Breviario, in Festis Cathedræ S. Petri Romæ, 18 Januarii ; Cathedræ S. Petri Antiochiæ, 22 Februarii ; S. Petri ad Vincula, 1 Augusti ; Conversionis S. Pauli, 25 Januarii ; Commemorationis S. Pauli, 30 Junii.) — In Festo autem utriusque Apostoli, 29 Junii, neutrius fit Commemoratio, quia, licet proprium Officii (et etiam Missæ) sit specialiter de S. Petro, Oratio tamen est communis utrique, S. Petro scilicet et S. Paulo, ut dicit Rubrica specialis hujus Festi.

II. Idem dicendum est de Commemoratione particulari S. Joseph, in Festo Desponsationis B. Mariæ V. (23 Januarii, in Appendice Breviarii et Missalis), ubi hoc Festum celebratur ; etenim Commemoratio S. Joseph dicitur ante alias quascumque, primo loco post Orationem Festi Desponsationis, sub altera tamen conclusione. — Sed animadvertendum est, hanc S. Joseph Commemorationem non debere fieri vi Rubricæ, sicut supradictæ de Sanctis Petro et Paulo ; imo ipsam non posse fieri in hoc Festo Desponsationis, nisi constet de speciali ejusdem Commemorationis concessione, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. IX). — In nostra Diœcesi, ubi Festum jam celebratur a sæculo XVIII, Indultum pro Commemoratione S. Joseph concessum fuit 11 Martii 1875. (Cfr. Directorium anni 1876.)

III. Dantur etiam duæ Commemorationes particulares sequentes, nempe Commemoratio Omnium SS

Apostolorum, quæ fit in Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii), et Commemoratio Omnium SS. Martyrum, quæ fit in Festo S. Stephani Protomartyris (26 Decembris). Istæ Commemorationes, de quibus in Rubricis nihil habetur, fuerunt præscriptæ, per Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771, Archidiœcesi Mechliniensi, Austriacæ ditioni tunc temporis subjectæ, occasione abrogationis, quoad feriationem, nonnullorum Festorum SS. Apostolorum et SS. Martyrum ; ut fideles aliquo modo eorum memoriam servent, ac venerentur. (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. II, pag. 507.) Idem præscriptum fuit, per Indultum pro reductione Festorum, 9 Aprilis 1802, pro toto territorio Reipublicæ Gallicanæ. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechliniensis, Tom. I, pag. 45.) — S. Rituum Congregatio rescripsit istas Commemorationes esse faciendas, non immediate post Orationem Festorum in quibus fiunt, sed post Commemorationes speciales occurrentes. (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 12, antiq. 5381, ad 14.) Itaque Commemoratio Omnium SS. Apostolorum fiet post Commemorationem Dominicæ, quoties Festum SS. Petri et Pauli occurrit in Dominica (ut factum fuit anno 1902) ; et Commemoratio Omnium SS. Martyrum in Festo S. Stephani Protomartyris fiet post Commemorationem Octavæ Nativitatis Domini. — In Appendice Breviarii reperiuntur diversæ Commemorationes pro SS. Apostolis et SS. Martyribus, quia diversæ fuerunt a Sancta Sede concessæ pro diversis locis; sumendæ sunt Antiphonæ, Versus et Orationes quotannis in Directorio seu Ordine Officiorum indicatæ, quæ pro nostra Diœcesi præscriptæ fuerunt.

Casus Occurrentiæ

Antequam ad ulteriora progrediamur, proponuntur hic aliqui casus Occurrentiæ, ut alumni, iis se exercendo, magis perspectas habeant regulas hucusque traditas, et expeditior sit via ad sequentia. Supponitur Pascha celebrari 10 Aprilis, et Litteram Dominicalem esse B.

Q. 166. *Resolve sequentes casus Occurrentiæ, et da pro singulo casu rationes solutionis.*

I. Die 4 Aprilis occurrit Festum duplex S. Isidori, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris ; 5 Aprilis occurrit Festum duplex S. Julianæ, Virginis ; sed simul eædem dies sunt Feriæ 2 et 3 majoris Hebdomadæ. Quæritur : quodnam Officium alteri prævalebit in his duabus diebus, et quid de altero est faciendum ?

Solutio. Die 4 Aprilis fiet Officium de Feria 2 majoris Hebdomadæ, alterum vero Festum S. Isidori transfertur. Etenim Feriæ Hebdomadæ sanctæ sunt maxime privilegiatæ (QQ. 128, 130) ; primum occupant locum in Tabella prælationis Officiorum (Q. 159) ; dum e contra Festum duplex minus quale est Festum S. Isidori, septimo tantum loco in ea ponitur. Præfertur ergo Officium Feriæ, et Festum S. Isidori, etsi tantum duplex minus, quia tamen est Festum alicujus Ecclesiæ Doctoris (Q. 110), transfertur.

Die 5 Aprilis, propter idem motivum Officium Feriæ 3 Hebdomadæ sanctæ præfertur Festo duplici minori S. Julianæ ; verum quia hoc Festum est tantum duplex minus, non transfertur, sed reducitur ad modum Simplicis (Q. 163), ejusque fit tantum Commemoratio pro primis Vesperis die 4 Aprilis, pro Laudibus ac secundis Vesperis die 5 Aprilis (Q. 162, ad II).

II. Die 16 Januarii occurrit in Kalendario Festum S. Marcelli, Papæ et Martyris, semiduplex ; sed simul eadem dies habet assignatam litteram B Dominicalem, et est Dominica II post Epiphaniam ; hac vero Dominica celebratur Festum duplex 2 classis SS. Nominis Jesu.

Solutio. Tria jam hic occurrunt Officia, quorum Festum semiduplex S. Marcelli minoris est momenti : ponitur enim in ordine Tabellæ (Q. 159) loco 9° ; præcedit Dominica communis posita 8° loco : ideo certe jam erit reducendum ad instar Simplicis Officium Festi semiduplicis S. Marcelli (Q. 163), cujus fiet Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus (Q. 162, ad II) ; sed et ipsa Dominica debet cedere locum Officio Festi duplicis 2 classis SS. Nominis Jesu, posito in Tabella 4° loco ; igitur Officium integrum dicetur de hoc Festo, et instituetur in utrisque Vesperis et in

Laudibus hujus Officii Commemoratio, primo Dominicæ, dein Festi semiduplicis ad instar Simplicis redacti. Nona Lectio in Matutino legetur de Homilia ex tertio Nocturno Officii Dominicæ (Q. 162).

III. Die 6 Februarii adscribitur in Kalendario Diœcesano Festum S. Amandi, Episcopi et Confessoris, duplex, et in Kalendario Romano Festum simplex S. Dorotheæ, Virginis et Martyris; simul occurrit Dominica in Septuagesima.

Solutio. Dominica hæc dicta in Septuagesima habet quidem Officium ritus semiduplicis tantum, sed est hæc Dominica una ex privilegiatis 2 classis; ideo certe præferetur ejus Officium Officio etsi duplici S. Amandi; venit etenim in Tabella (Q. 159) ordine tertia, Festum duplex vero ordine septimum. Festum S. Amandi reducetur ad instar Simplicis (Q. 163), ejusque fiet Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus. Festi simplicis S. Dorotheæ instituetur Commemoratio tantum in primis Vesperis et in Laudibus, non in secundis Vesperis, quia eas non habet (Q. 102).

— *Sed supponatur S. Amandum esse alicubi, vel Patronum loci, vel Titularem Ecclesiæ.*

Solutio. Tunc Festum S. Amandi ibi celebrabitur ritu duplici 1 classis (Q. 106) cum Octava (Q. 141); inspecta Tabella (Q. 159), animadvertitur statim ejus Officium ibi esse præferendum Officio Dominicæ in Septuagesima; hæc enim tertio, illud vero secundo loco assignatur. Itaque dicetur Officium Festi duplicis 1 classis S. Amandi, cum Commemoratione Dominicæ in utrisque Vesperis et in Laudibus, ejusque Homiliæ Lectione nona (Q. 119); de Festo simplici S. Dorotheæ nihil fit (Q. 164).

IV. Die 18 Martii adscribitur in Kalendario particulari pro aliquibus locis, in Appendice Breviarii, Festum duplex majus S. Gabrielis Archangeli; simul hac die, quæ est Feria VI post Dominicam III in Quadragesima, itaque Feria major, occurrit Officium itidem duplex majus SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., concessum Diœcesi Mechliniensi per Indultum 28 Julii 1874.

Solutio. Tria occurrunt Officia : Feria major Quadragesimæ, Festum duplex majus S. Gabrielis Archangeli, et Officium duplex majus SS. Quinque vulnerum D. N. J. C.

Officia seu Festa Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis, quæ celebrantur Feriis tertiis post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, et Feriis sextis post Cineres et post Dominicas quatuor Quadragesimæ (indicantur Q. 107 sub nn. 26 ad 32), hisce diebus recitanda sunt ita ut « non possint amandari ad aliam diem, et intra Quadragesimam tantum, nisi occurrente Officio potioris ritus. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Augusti 1831, Urbis.) Implicata erat antehac quæstio de præeminentia hujusmodi Officiorum super primariis Festis Sanctorum ejusdem ritus duplicis majoris ; et ipsa S. Rituum Congregatio in casibus particularibus non eamdem semper dederat solutionem. Ex quo autem S. Rituum Congregatio, per Decretum 27 Junii-2 Julii 1893 (n. 3808), declaravit hujusmodi Officia seu Festa, utpote secundaria (Q. 108), cedere locum Festis primariis (Q. 160), quale est Festum S. Gabrielis (Q. 108); et ipse Summus Pontifex Leo XIII abrogavit penitus quæcumque Rescripta seu Decreta anteriora in contrarium facientia ; omne dubium evanuit, et quæ hucusque in contrarium datæ fuerunt solutiones reformandæ sunt.

Igitur Festum S. Gabrielis Archangeli, primarium, celebrabitur hac Feria VI, die 18 Martii ; et Officium SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., etsi personæ dignioris, cum sit secundarium, locum cedet ; quia vero utpote duplex majus requirit Officium integrum, transferetur in aliam diem liberam, si talis intra Quadragesimam detur. Libera autem est in Kalendario Archidiœcesis Mechliniensis dies 23 Martii, Feria IV sequentis hebdomadæ IV in Quadragesima.

Feriæ Quadragesimæ cum sint majores (Q. 128), jus habent ut semper de eis fiat Commemoratio (Q. 130) ; ideo die 18 Martii fiet Feriæ Commemoratio in Laudibus ac Vesperis, et dicetur nona Lectio in Matutino de ejus Homilia.

V. Dies 1 Maji propria est Festi SS. Philippi et Jacobi, Apostolorum, duplicis 2 classis ; cum Littera Dominicalis ad diem hanc adscripta in Kalendario sit B, occurrit dies Dominica, quæ est III post Pascha. Sed in hac Dominica celebrandum venit Festum mobile Patrocinii S. Joseph, ritu duplici 1 classis (qui ritus Diœcesi Mechliniensi concessus fuit Indulto Apostolico 26 Novembris 1847).

Solutio. Præferentia dabitur Festo Patrocinii S. Joseph, utpote superanti classe Festum SS. Apostolorum. Officium Festi SS. Philippi et Jacobi, duplicis 2 classis, cum non possit peragi sola Commemoratione, transferetur ad primam diem liberam. Remanet Officium Dominicæ, cujus, impeditum cum sit per Festum occurrens celebratum, et non capax translationis (Q. 163), fiet Commemoratio per nonam Lectionem ejus Homiliæ in Evangelium ad Matutinum, et per Antiphonam, Versum et Orationem, ad utrasque Vesperas et ad Laudes.

Nota. Ubi vero Festum Patrocinii S. Joseph celebratur ritu et classe quæ indicatur in Kalendario Romano, scilicet ritu duplici 2 classis, alia omnino requiritur solutio ; occurrunt tunc duo Officia duplicia æqualia quoad classem, utrumque enim est duplex 2 classis ; attenta tunc qualitate (Q. 160, 2°), præferentia dabitur Festo primario SS. Philippi et Jacobi, quod celebrabitur die sua propria 1 Maji, cum Commemoratione Dominicæ ; Festum vero Patrocinii S. Joseph, secundarium, locum cedet et transferetur ad primam diem liberam.

VI. Die 10 Junii, Feria VI, celebrandum est Festum semiduplex S. Margaritæ, Reginæ Scotiæ, Viduæ ; item 15 Junii, Feria IV, Festum semiduplex B. Aleydis, Virginis (cujus Officium reperitur inter Officia propria Diœcesana), et Festum simplex SS. Viti et Sociorum, Martyrum. Ast (celebrato Paschatis Festo 10 Aprilis), tali anno occurrit his diebus Octava privilegiata SS. Corporis Christi.

Solutio. In ordine Officiorum quo determinatur eorum præferentia (Q. 159), dies infra Octavam SS. Corporis Christi notantur 8° loco, Festa semiduplicia vero tantum 9° loco ; et in eo inter alia consistit privilegium

hujus Octavæ SS. Corporis Christi, quod non admittat celebrationem Festi semiduplicis (Q. 146, III) ; itaque diebus in casu indicatis, dicetur Officium de die infra Octavam SS. Corporis Christi ; 10 Junii instituetur in utrisque Vesperis et in Laudibus Commemoratio S. Margaritæ ; 15 Junii fiet in utrisque Vesperis et in Laudibus Commemoratio B. Aleydis, utroque Festo semiduplici ad modum Simplicis redacto ; 15 Junii etiam dicetur, in primis Vesperis et in Laudibus, Commemoratio Festi simplicis SS. Viti et Sociorum. Notatur insuper quod utriusque Festi semiduplicis non legi potest in Matutino nona Lectio, composita ex tribus Lectionibus historicis Officii ; id enim inter privilegia numeratur Octavæ SS. Corporis Christi, quod non admittat nonam Lectionem de Sanctis, quando de ea fit Officium, ut postea dicetur, ubi de Lectionibus datur liturgica explicatio (Q. 215, 4°).

VII. Die 29 Junii, celebratur Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, duplex 1 classis, et simul (pro Belgio et aliis quibusdam locis) præscribitur facienda Commemoratio Omnium Sanctorum Apostolorum ; estque insuper dies infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Solutio. Octava S. Joannis Baptistæ est Octava communis (Q. 146) : atqui de die infra Octavam communem omittitur Commemoratio in Festo duplici 1 classis (Q. 164); ergo de die infra Octavam S. Joannis Baptistæ nihil fiet in Officio SS. Petri et Pauli.

Quoad indicatam Commemorationem Omnium SS. Apostolorum, hæc fit in utrisque Vesperis et Laudibus, sub distincta conclusione. (Cfr. quæ de ea Commemoratione particulari dicta fuerunt, Q. 165, ad Notam III.)

VIII. Die 30 Junii celebratur Festum quod vocatur « Commemoratio S. Pauli », duplex majus ; occurrunt dies infra Octavam S. Joannis Baptistæ, dies infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum Diœcesanum S. Adiliæ, Virginis, simplex.

Solutio. Placeat obiter cognitam habere originem hujus singularis S. Pauli Commemorationis, quæ immediate subsequitur diem Festum utrique, S. Petro et S.

Paulo, communem ; Festum scilicet antiquitus Romæ 29 Junii eo solemniori modo celebrabatur, ut Summus Pontifex, peracto primum in Vaticana Basilica S. Petri Sacrosancto Sacrificio, mox alterum perficeret in Basilica S. Pauli ; verum quia onus grave et Pontifici et populo hoc duplex Sacrum erat, ævo S. Gregorii Magni statutum fuit, ut Festo die SS. Petri et Pauli in sola Basilica Vaticana Sacrum celebraretur, alterum vero ad S. Pauli Basilicam pro sequenti die reservaretur ; institutumque fuit speciale S. Pauli Officium, quod « Commemorationis » vocabulo notatur, quia quasi complementum est ipsius Festi pridie non integre celebrati, et continuatur ita Festum in honorem S. Pauli.

Usque ad annum 1883 hæc Commemoratio erat tantum ritus duplicis minoris ; Leo XIII, Decreto Urbis et Orbis, 5 Julii 1883 (n. 3581, antiq. 5879), statuit illam fore celebrandam ritu duplici majori. Recensetur hæc Commemoratio inter Festa secundaria (Q. 108).

In Officio S. Pauli dicitur ad Matutinum nona Lectio de Festo simplici S. Adiliæ (Q. 162) ; in Laudibus dicitur Commemoratio diei infra Octavam S. Joannis Baptistæ, deinde S. Adiliæ.

Omittitur Commemoratio diei infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, ne bis de eisdem fiat in eodem Officio, juxta dicenda in Sectione III (Q. 193) ; sed quia de S. Paulo fit Officium, de S. Petro particularis facienda est Commemoratio, quæ quidem ponitur ante Commemorationem diei infra Octavam S. Joannis Baptistæ (cfr. Q. 165, Nota I).

Exinde intelligitur quare hac die in Directorio præscribantur Commemorationes 1° S. Petri, 2° Octavæ S. Joannis Baptistæ, 3° S. Adiliæ.

Notatur tandem, quod S. Adiliæ fiat Commemoratio in Laudibus tantum, non autem in primis Vesperis hujus Festi ; hujus omissionis ratio quæritur, non ex dictis Q. 164, etenim Festum hodiernum est tantum duplex majus, sed ex legibus Concurrentiæ postea in Capite II (Q. 192) exponendis ; hujusmodi omissio insinuata fuit Q. 164, in Nota.

IX. Die 14 Augusti indicatur in Kalendario Officium

de 5 die infra Octavam S. Laurentii, semiduplex ; simul occurrit Vigilia Assumptionis B. Mariæ V., et Festum simplex S. Eusebii, Confessoris ; sed et supponitur dies Dominica, XI scilicet post Pentecosten.

Solutio. Officium fiet de Dominica XI post Pentecosten; fiet Commemoratio diei infra Octavam S. Laurentii, et S. Eusebii ; in Officio Dominicæ autem non dicetur specialis quædam Lectio nona de S. Eusebio, nulla enim ponitur in Breviario ; neque dicentur Suffragia Sanctorum ad Laudes, aut Preces ad Primam, ratione Octavæ S. Laurentii (Q. 102). Officium Vigiliæ autem anticipatur, et de ea fit in Sabbato præcedente (Q. 136), in quo, cum celebretur Festum S. Joannis Berchmans, Confessoris, duplex majus, legitur ad Matutinum nona Lectio de Homilia Vigiliæ, hujusque fit Commemoratio in Laudibus (Q. 137).

X. Die 11 Septembris adscribitur in Kalendario Festum simplex SS. Proti et Hyacinthi, Martyrum ; est dies hæc etiam quarta infra Octavam Nativitatis B. M. V. ; supponitur dies Dominica, scilicet XV post Pentecosten ; Kalendarium autem notat, Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. celebrandum esse Festum SS. Nominis B. Mariæ V., duplex majus ; sed in Kalendario Diœcesano occurrit celebranda dies Octava Festi SS. Angelorum Custodum, cum sit Dominica II Septembris. Ergo quinque diversa Officia occurrunt.

Solutio. In ordine tradito Q. 159, Officium Festi simplicis notatur 16° loco ; dies infra Octavam communem, qualis est Octava Nativitatis B. Mariæ V. (Q. 146), 10^{um} tenet locum ; Dominica communis 8^{um} ; Festum duplex majus 6^{um} ; dies Octava Octavarum communium 5^{um}. Ergo præferentia dabitur Officio diei Octavæ SS. Angelorum Custodum. Festum duplex majus SS. Nominis B. Mariæ V. cedet locum, et cum jus habeat ad integrum Officium, transferetur ejus Officium in primam diem liberam. De Dominica fiet solum Commemoratio per nonam Lectionem Homiliæ Evangelii in Matutino, et per Antiphonam, Versum et Orationem in utrisque Vesperis et in Laudibus (QQ. 162 et 163). De die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V. similiter dicetur Com-

memoratio in Vesperis et in Laudibus. Tandem Festi simplicis instituetur Commemoratio tantum in primis Vesperis et in Laudibus. Ordo Commemorationum supradictus servabitur juxta regulam traditam Q. 165.

XI. Die 13 Novembris celebrandum est Festum S. Didaci, Confessoris, semiduplex ; supponitur dies Dominica, et occurrit Officium Dominicæ XXIV post Pentecosten ; verum, hæc Dominica est prima post Octavam Omnium Sanctorum, in qua celebrari debet Festum Anniversarii Dedicationis omnium Ecclesiarum Diœcesis (Q. 105, Nota II), duplex 1 classis.

Solutio. Officium dicetur de Festo duplici 1 classis Dedicationis Ecclesiarum. Festum semiduplex S. Didaci, ob Occurrentiam Festi duplicis 1 classis, totaliter omittetur (Q. 164). Remanet Officium Dominicæ, cujus fiet Commemoratio, in Matutino per nonam Lectionem, in utrisque Vesperis, et in Laudibus.

Pro Officio hujus Dominicæ animadvertendum est, quod, etiamsi pro viginti quatuor Dominicis tantum describatur Officium in Breviario, celebrato Paschatis Festo 10 Aprilis, hac præsenti Dominica, etsi XXIV post Pentecosten, non poterit sumi Officium in Breviario pro hac descriptum ; etenim in supposito anno hæc Dominica non est ultima ecclesiastici anni, et Officium proprium Dominicæ XXIV reservari debet pro ultima Dominica post Pentecosten, quæ erit sequens XXV (Q. 123). Recurrendum est ad Officium Dominicæ unius ex vagis quæ superfuerunt post Epiphaniam ante Septuagesimam ; et sumitur Officium Dominicæ VI post Epiphaniam (Q. 123).

XII. Die 29 Novembris indicatur in Kalendario Vigilia S. Andreæ, Apostoli, et Festum simplex S. Saturnini, Martyris ; sed cum præcesserit die 27 Novembris Dominica I Adventus (proximior Festo S. Andreæ, ut dicitur Q. 121), dies 29 Novembris in casu est Feria III post Dominicam I Adventus.

Solutio. Feriæ in Adventu omnes sunt majores (Q. 128) ; quando vero aliqua Vigilia venerit in Adventu, de ea nihil fit in Officio (Q. 137) ; itaque die 29 Novem-

bris Officium erit de Feria III post Dominicam I Adventus ; ad Laudes et per Horas dicuntur Preces Feriales flexis genibus (Q. 102, in fine) ; Festi simplicis S. Saturnini fit Commemoratio in Vesperis diei præcedentis et in Laudibus Feriæ III.

Sed cum hæc Feria major Adventus de iis sit quæ admittunt Officium votivum ex concessis a Summo Pontifice Leone XIII, per Indultum 5 Julii 1883 (Q. 151), singuli de clero igitur poterunt dicere ad libitum Officium votivum de SS. Apostolis assignatum pro Feria III, in quo instituetur consequenter Commemoratio Feriæ, et S. Saturnini (Q. 154).

Nota. Alia jam deberet dari casus solutio, si Littera Dominicalis anni alia esset quam supposita B, ita ut Dominica I Adventus occurreret 30 Novembris, aut 1, 2, vel 3 Decembris ; Feria 29 Novembris esset tantum minor (Q. 128), quæ cuicumque Officio locum cedit ; proinde, occurrentibus tantum in hoc casu Vigilia et Festo simplici S. Saturnini, ex ordine tradito (Q. 159) patet Officium hac die esse de Vigilia, cum Commemoratione in Laudibus Festi S. Saturnini. Etiam in casu posset a singulis dici ad libitum Officium votivum correspondens Feriæ, in quo nona Lectio Matutini diceretur de Homilia Vigiliæ (Q. 154), et in Laudibus fieret Commemoratio Vigiliæ et S. Saturnini.

XIII. Die 17 Februarii, Feria V post Dominicam in Sexagesima, nullum in Kalendario adscribitur Festum, aliudve speciale Officium, et juxta rubricas dicendum est Officium de Feria ; item 3 Martii, Feria V post Dominicam I in Quadragesima.

Solutio. Die 17 Februarii, debet in Archidiœcesi Mechliniensi dici Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici (Q. 150), et Feriæ minoris nulla quidem fiet Commemoratio (Q. 130).

Die 3 Martii, Officium juxta rubricas dicetur de Feria V post Dominicam I in Quadragesima ; sed singuli de clero ad libitum dicere poterunt, vel Officium hujus Feriæ, vel Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici (Q. 152) ; facta Feriæ majoris Commemoratione, in Matutino, per nonam Lectionem

Homiliæ Feriæ, in Laudibus, et in Vesperis (Q. 130).

XIV. Die 5 Martii, Sabbato post Dominicam I in Quadragesima, dicendum est juxta rubricas Officium feriale de Sabbato Quatuor temporum ; die 18 Junii, Sabbato hebdomadæ II post Pentecosten, celebratur Festum simplex SS. Marci et Marcelliani, Martyrum.

Solutio. Die 5 Martii Officium juxta rubricas dicetur de Sabbato post Dominicam I in Quadragesima ; sed a singulis de clero poterit ad libitum dici, vel Officium feriale hujus Sabbati, vel Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritu, non duplici, sed semiduplici (Q. 152), cum nona Lectione Homiliæ, et Commemoratione ex Officio feriali Sabbati, et additis Suffragiis Sanctorum, excepto tamen Suffragio B. Mariæ V. (Q. 154).

Die 18 Junii, debet in Archidiœcesi Mechliniensi dici Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., et quidem ritu duplici (Q. 150), cum nona Lectione, et Commemoratione SS. Martyrum.

XV. Supponitur pro præsenti casu alia Littera Dominicalis, scilicet F. Die 8 Septembris celebratur Festum Nativitatis B. Mariæ V., duplex 2 classis cum Octava : est Dominica. Dominica sequente, III Septembris, occurrit hujus Festi dies Octava, ritus duplicis ; sed hac Dominica III Septembris celebrandum est Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. (Q. 125) ; insuper Dominica infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., qualis hæc præsens est, celebrari debet Festum SS. Nominis ejusdem B. Mariæ V.

Solutio. Occurrunt hac die quatuor Officia : Dominica communis post Pentecosten, et tria Festa B. Mariæ Virginis, quorum unum est primarium, scilicet dies Octava Festi primarii Nativitatis B. Mariæ V. (Q. 147), et reliqua duo sunt secundaria (Q. 108).

Speciales Rubricæ regunt hanc Occurrentiam, ut videre est in Breviario Romano ad hæc Festa : ex regulis hucusque traditis, et speciatim ex ordine tradito Q. 159, præferentia videtur danda diei Octavæ Nativitatis B. Mariæ V. ; attamen non ita fiet : statutum est in Rubricis specialibus quod dies Octava locum cedet,

et celebrabitur Festum SS. Nominis B. Mariæ V.; dies autem Octava cum non possit transferri, ut explicabitur in sequenti § 3, deberet tunc habere Commemorationem; sed ex consideratione quod idem est objectum utriusque Festi, honoratur enim in utroque B. Maria Virgo, ne bis fiat de eodem (Q. 193), statuitur in Rubrica quod diei Octavæ Nativitatis B. Mariæ V. omittenda est Commemoratio.

Quoad tertium occurrens Festum, nempe Septem Dolorum B. Mariæ V., statuitur per plura Decreta S. Rituum Congregationis (inter alia per Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3851), quod si Dominica III Septembris occurrat aliud Festum B. Mariæ V., amandatur Festum Septem Dolorum ad Dominicam IV Septembris : ergo in casu transfertur hoc Festum ad hanc Dominicam.

Remanet itaque hac Dominica Festum SS. Nominis B. Mariæ V., et in ejus Officio fit Commemoratio Dominicæ communis occurrentis, modo consueto ut pluries jam in præcedentibus indicatum fuit.

Sufficiant hæc exempla Occurrentiæ ; unusquisque potest juxta eamdem methodum, plures alios casus sibi proponere eosque resolvere ; aut hac methodo rationes investigare eorum quæ singulis annis in Directorio, seu Ordine divinorum Officiorum, pro multis variisque Occurrentiis soluta proponuntur ; quæ rationum intelligentia non parum confert, ut grata fiat divinorum Officiorum æstimatio, et summus honos habeatur sapientissimæ dispositioni Ecclesiæ, cum multiformiter in dies laudat Deum et jugi canore prædicat.

TABELLA OCCURRENTIARUM

In Breviario Romano describitur post Rubricas generales Tabella, in qua statim videri potest de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa aut Officia occurrant.

Causa emendationum quæ anno 1882 supervenerunt in ipsis Rubricis de Translatione Officiorum, et de Commemorationibus, necessariæ quoque sunt correctiones in Tabellis ante annum 1882 impressis. Describitur hic Tabella Occurrentiarum reformata.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex primæ classis,	6	4	0	6	6	4	6	6	2	2	2	8	4	4	1
Duplex secundæ classis,	4	4	0	4	4	4	6	4	2	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum majus,	4	4	0	4	4	1	4	4	2	8	1	1	4	1	1
Duplex Doctoris Ecclesiæ,	4	4	0	4	4	1	4	0	0	1	1	1	4	1	1
Duplex per annum minus,	4	4	0	4	4	3	4	7	0	3	3	5	4	3	3
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	3	3	5	5	3	3	3
Dies Octava,	4	4	0	4	4	7	4	4	2	2	3	3	4	3	3
Semiduplex,	4	4	0	4	7	3	4	3	3	3	3	5	3	3	3
Simplex,	3	3	3	0	3	3	3	3	3	3	3	5	3	3	3
S. Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia,	0	5	6	4	3	3	3	3	3	3	3	5	0	0	0
1. Translatio de primo, Officium de secundo.	» Vigilia.	» Feria major.	» Sancta Maria in Sabbato.	» Simplex.	» Semiduplex.	» Dies Octava.	» Dies infra Octavam.	» Duplex per annum minus	» Duplex Doctoris Ecclesiæ.	» Duplex per annum majus.	» Duplex secundæ classis.	» Duplex primæ classis.	» Dominica per annum	» Dominica secundæ classis.	et Dominica primæ classis.
2. Officium de primo, Translatio de secundo.															
3. Commemoratio de primo, Officium de secundo.															
4. Officium de primo, Commemoratio de secundo.															
5. Nihil de primo, Officium de secundo.															
6. Officium de primo, nihil de secundo.															
7. Officium de digniori, Commemoratio de minus digno.															
8. Officium de digniori, Translatio de minus digno.															

Ex hac Tabella hoc ordine reperitur illud quod quæritur : Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Officia, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt : deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videtur quid sit agendum.

Exempli gratia : Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primæ classis, et Dominica primæ classis, erit qui est in angulo superiori Tabellæ, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam Duplex, quam Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita, sic habet : *1. Translatio de primo, Officium de secundo.* Id est, Duplex 1 classis prædictum transferatur, et Officium fiat de Dominica 1 classis : quia, cum in his Regulis dicitur de primo, seu præcedenti, intelligitur de Officio in superiori parte

Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum ; cum de secundo, vel sequenti, de Officio in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus ; vel quia nullus occursus esse potest, vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sit agendum.

Notandum est quod hæc Tabella valet tantum pro Occurrentiis accidentalibus, non vero pro perpetuis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 224 et sqq.)

§ 3. De Officiorum Translatione

In omni Occurrentia duorum vel plurium Officiorum unum prævalet et in die Occurrentiæ integrum dicitur (§ 1) ; pro aliis triplex sese offert solutio : etenim, aut 1° in ipsa die peraguntur Commemoratione (§ 2) ; aut 2° penitus omittuntur (ibid.) ; aut 3°, quia jus habent ut integra dicantur, ad aliam sequentem diem liberam, n qua integra valeant dici, reponuntur, scilicet vel transferuntur vel assignantur. (Cfr. dicta § 2.)

Quæstione 156 explicata fuit distinctio Occurrentiæ accidentalis et Occurrentiæ perpetuæ ; et Quæstione sequenti 157 indicata fuit Officii impediti translatio tamquam effectus Occurrentiæ accidentalis (ad 3^{um}), et Festi mutatio, necnon Officii assignatio tamquam effectus Occurrentiæ perpetuæ (ad 4^{um}).

Pro solutione supra tertio loco indicata, exinde distinguendum erit prout Officia quæ jus habent ut integra dicantur, impedita sunt in sua propria die vel accidentaliter, vel perpetuo ; et primo quidem investigandum est, **quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia accidentalis est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta Officii translatione.** (Q. 157, ad 3^{um}.)

Q. 167. *Quænam Officia ab aliis accidentaliter impedita, gaudent privilegio translationis ?*

R. Sola Festa duplicia 1 classis, duplicia 2 classis, duplicia majora (cfr. QQ. 105, 106, 107), et Festa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum (cfr. Q. 110), privilegio

gaudent ut in casu impedimenti accidentalis ex Occurrentia oriundi, eorum Officium transferatur in aliam diem.

Reliqua omnia Festa duplicia minora, semiduplicia, necnon simplicia, et reliqua omnia Officia, nempe Octavæ, Dominicæ, Feriæ et Vigiliæ, in tali casu, aut Commemoratione peraguntur, aut penitus omittuntur. (QQ. 163, et 164.)

Nota. Quædam tamen sunt Festa quæ, licet sint ritus duplicis etiam majoris, in Occurrentia cum Festo quod ipsis præfertur, non transferuntur, neque de eis fit Commemoratio, sed omnino omittuntur. Sunt nempe Festa Dominicis affixa, mobilia lato sensu, sed minoris nobilitatis, concessa pro locis et Ecclesiis particularibus absque privilegio speciali quo translatio permittitur. (Cfr. Q. 112.) In nostro Mechliniensi Kalendario hodiedum duo tantum hujusmodi Festa dantur, scilicet Festa Maternitatis et Puritatis B. Mariæ Virginis, duplicia majora, concessa pro Dominicis II et III mensis Octobris. — Anno 1903 in Dominica III Octobris occurrit et celebratur Festum S. Lucæ Evangelistæ, duplex 2 classis, et Festum Puritatis B. Mariæ V. ideo omittitur.

Q. 168. *Quid est Officii alicujus Festi translatio ?*

R. Est Officii integri alicujus Festi accidentaliter impediti temporaria amotio a die sua propria, et in aliam diem liberam item temporaria repositio.

Exemplum : Dies 30 mensis Novembris est propria Festi S. Andreæ, Apostoli ; quando Littera Dominicalis est E, eadem die incidit Dominica I Adventus, et duo hæc Officia occurrunt (Q. 155) ; prævalet Officium Dominicæ, quia hæc est Dominica 1 classis, et Festum S. Andreæ duplex 2 classis (Q. 159) ; verum quia S. Andreæ Festum est duplex 2 classis, non sufficiet ejus Commemorationem facere die 30 Novembris, sed jus seu privilegium habet, ut ab hac die sua propria amoveatur ejus Officium, et in aliam diem liberam reponatur. Est autem illa amotio tantum temporaria, quia sequentibus annis, ubi alia erit Littera Dominicalis, non locus erit huic Occurrentiæ accidentali, et Officium S. Andreæ dicetur in ipsa die Festi, 30 Novembris.

Cum ergo translatio sit amotio, necesse est ut habeat duos terminos, videlicet **terminum a quo** Officium amo-

vetur, qui est dies propria Festi propter Occurrentiam alterius Officii prævalentis impediti, et terminum ad quem, seu in quem reponitur Officium Festi in die sua propria impeditum.

Q. 169. *Quis est terminus ad quem, seu in quem transfertur Officium Festi accidentaliter impediti ; aliis verbis, quæ dies admittit Officium Festi transferendi ?*

R. Est prima dies post Festum accidentaliter impeditum, in qua non celebratur Festum duplex, Festum semiduplex, dies Octava, aut non occurrit aliqua Dominica, Feria privilegiata, aut Vigilia privilegiata.

Exemplum : Officium Festi S. Andreæ, Apostoli, impeditum supponitur Officio Dominicæ I Adventus, et transferendum in primam diem liberam. Inspiciendo Kalendarium Diœcesanum reperitur :

1 Decembris, Festum duplex S. Eligii, Episcopi et Confessoris, proprium Diœcesis Mechliniensis ;

2 Decembris, Festum semiduplex S. Bibianæ, Virginis et Martyris ;

3 Decembris, Festum duplex S. Francisci Xaverii, Confessoris ;

4 Decembris, Festum duplex S. Barbaræ, Virginis et Martyris, proprium Diœcesis Mechliniensis ;

5 Decembris, Festum duplex S. Petri Chrysologi, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris ;

6 Decembris, Festum duplex S. Nicolai, Episcopi et Confessoris ;

7 Decembris, Dominica II Adventus. In Kalendario adscribitur quidem hac die Festum duplex S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris ; sed ex diversis Occurrentiæ Officiorum regulis hucusque traditis patet et ipsius Officium accidentaliter impeditum ulterius esse transferendum ;

8 Decembris, Festum duplex 1 classis Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis ;

9 Decembris, Officium de 2 die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ; en prima dies inde a 30 Novembris in qua non assignatur Festum duplex, Festum semiduplex, dies Octava, aut non occurrit Dominica ; in eam itaque transfertur Officium integrum S. Andreæ ; et quia hoc Officium est Festi duplicis 2 classis, de die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis nequidem fiet Commemoratio (Q. 164, ad 3^{um}) ; Feriæ majoris Adventus vero Commemoratio fiet (QQ. 128 et 164).

Cumque in decursu investigationis obviam fuerit, 7 Decembris, Festum S. Doctoris Ambrosii, cujus Officium accidentaliter est impeditum Officio Dominicæ II in Adventu, si placeat hujus Officii terminum ad quem inquirere, reperietur pro translatione dies 10 Decembris libera, in qua adscribitur in Kalen-

dario Officium de 3 die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. V., cum Commemoratione Festi simplicis S. Melchiadis, Papæ et Martyris ; in eam igitur transfertur Officium integrum S. Ambrosii, in quo fiet Commemoratio, tum diei infra Octavam, tum Feriæ majoris Adventus, tum S. Melchiadis.

Nota. I. Uti patet ex responso, Officium alicujus Festi transfertur semper in diem liberam quæ sequitur Festum, numquam vero in diem quæ antecedit Festum.

Nota. II. Translatio Officii fieri potest usque ad finem anni, nempe vulgaris, qui desinit 31 Decembris ; numquam transfertur Officium ad annum sequentem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 19 Septembris 1750, n. 2410, antiq. 4212.)

Quod si translationi Officii alicujus locus non superesset in anni decursu, ob multitudinem Festorum translatorum, tunc, juxta idem Decretum citatum, in ipsa die propria qua cadit Festum impeditum, de eo fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio historica ad Matutinum, si tamen hæc ea die fieri possunt, secus eo anno penitus omittitur Festum. (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1 ; cfr. § 2.) Hoc tamen in nostra Diœcesi non, aut rarissime tantum practicum est.

Quædam Diœcesium et Regularium Kalendaria tot numerant Festa et Officia propria, ex eis quæ juxta Rubricas jus ad translationem habent, ut non raro, imo sæpius dies intra annum non suffiċiant pro eorum omnium translatione. Super quo plura rescripsit S. Rituum Congregatio.

A) Si sint Festa duplicia 2 classis, S. Congregatio declaravit :

I. « Festa duplicia 2 classis diebus suis impedita, si dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non suppetant, licite posse reponi ac debere in aliis diebus proximioribus, quamvis in his Festa semiduplicia, aut, in horum defectu, duplicia minora (non tamen Doctorum Ecclesiæ) occurrant, quæ pro eo anno commemoranda erunt juxta Rubricas. »

II. « In prædictis vero rerum adjunctis, ut præstantiora Officia aliis præferantur, in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, in quibus alia Officia minus solemnia reponentur, communibus cæterum translationis regulis servatis : si nihilominus semiduplicia vel etiam duplicia ad libitum in Calendariis habeantur, hæc præ aliis de præcepto pro repositione seligantur. »

III. « Quocumque autem casu, ita Calendariorum Ordinatores se gerere debere, ut, in unoquoque mense, nonnullos dies

liberos, quantum fieri possit, relinquant pro Missis de Requie celebrandis. » Die 2 Decembris 1891. (Decret. n. 3756.)

B) Si sint Festa duplicia majora, sive minora SS. Ecclesiæ Doctorum, hæc ex communi lege ad instar simplicis redigenda sunt ; nisi adsit speciale Indultum hujusmodi Festa transferendi in dies Festorum semiduplicium quæ proximiora sunt, ipsis semiduplicibus ad ritum simplicium redactis. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Julii 1896, n. 3925, ad IV.)

Q. 170. *An dies infra Octavam libera est pro translatione Officii alicujus Festi transferendi ?*

R. Dies infra Octavam non privilegiatam (cfr. Q. 148), etiamsi ejus Officium sit ritus semiduplicis, quia tamen non est Festum proprie dictum, est dies libera in qua transferri potest Officium alicujus Festi impeditum. (S. Rituum Congregatio, Decret. 30 Septembris 1679, n. 1637, antiq. 2903, ad 2.)

Quoad Octavas privilegiatas animadvertendum est quod Octavæ Paschatis, Pentecostes, et Epiphaniæ nullum admittunt Officium Festi translatum ; Octava SS. Corporis Christi vero admittit tantum Officium translatum Festi duplicis 1 et 2 classis ; ut dictum fuit Q. 146. — Infra Octavam Nativitatis Domini occurrit dies 30 Decembris ; ad dubium : « Quonam in casu die 30 Decembris reponi possit Officium aliquod translatum ? » S. Rituum Congregatio declaravit : « Tunc tantum, quando die 30 Decembris fieri deberet Officium de die infra Octavam Nativitatis Domini. » (Decret. 9 Julii 1895, n. 3866, ad 2.)

Quoad diem 2 Novembris, infra Octavam Omnium Sanctorum, notandum est quod Festum duplex ex eis quæ transferri possunt, sua die accidentaliter impeditum, transferri valet in diem 2 Novembris, qua die fit solemnis Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. (Decret. 10 Julii 1896, n. 3925, ad IV, 4.)

De eadem die sequentia declaravit et statuit S. Rituum Congregatio : « Quod si die 2 Novembris occurrat dies Dominica, vel alicubi Festum aliquod cum feriatione celebrandum, aut Duplex primæ classis, quamvis sine feriatione, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum transferatur in sequentem diem tertiam ejusdem mensis, similiter non impeditam. — Si vero in aliqua Ecclesia die 3 Novembris, in quam transferenda sit eadem Defunctorum Commemoratio, Festum duplex 2 classis occurrat, hoc Festum transferatur in primam diem liberam

juxta Rubricas. De die vero Octava, aut de Festo duplici majori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicut de alio Festo translato, cui in Calendario locus pro eo anno non suppetat, in præfata Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum Officium fiat; sed Missæ omnes, sola ubi dicenda est Conventuali excepta, sint de requie.» (Decret. 9 Julii 1895, n. 3864, ad 2 et 3.)

Q. 171. *Quis ordo servari debet, quando plura Officia Festorum transferanda sunt?*

R. Quatuor sunt hujus ordinis regulæ:

1° Inter Officia Festorum transferenda, si diversæ sunt classis, semper prius transfertur Officium Festi quod prævalet classe. Sic Officium Festi duplicis 1 classis transferri debet ante Officium Festi duplicis 2 classis; Officium Festi duplicis 2 classis ante Officium Festi duplicis majoris; Officium Festi duplicis majoris ante Officium Festi duplicis miñoris alicujus Sancti Doctoris; etiamsi Festum minoris classis prius forsan occurrerit in Kalendario.

2° Inter Officia Festorum transferenda, si ejusdem sunt classis, distinguitur quodnam sit primarium, quodnam secundarium; attenditur itaque secundo Festorum qualitas, et primarium reponitur ante secundarium, utpote solemnius, etiamsi secundarium esset personæ dignioris, et etiamsi Festum secundarium forsan prius in Kalendario occurrerit. (Cfr. Q. 104, ad III, et Q. 108.)

Exemplum: Anno 1897 Festum SS. Sindonis D. N. J. C. duplex majus, celebrandum Feria VI post Dominicam II in Quadragesima, occurrit 19 Martii, cum Festo S. Joseph, duplici 1 classis, et transferri debuit; Festum S. Benedicti, Abbatis, duplex majus, occurrit 21 Martii cum Dominica III in Quadragesima, et etiam transferri debuit; duo Officia transferenda sunt ejusdem classis; attamen, Festum S. Benedicti, licet sit personæ minus dignæ, et licet ordine in Kalendario sit posterius, quia ipsum est primarium, jus habet ut transferatur in primam diem liberam, et Officium SS. Sindonis transferetur in sequentem liberam diem: quare in Kalendario seu Directorio translatum fuit Officium S. Benedicti in diem 23 Martii, Officium SS. Sindonis in diem 24 Martii.

3° Inter Officia Festorum transferenda, si ejusdem sunt classis et qualitatis, servatur ordo dignitatis (Q. 104, ad IV), et prius transfertur Officium Festi Domi-

ni, dein Festi B. Mariæ V., etc., juxta ordinem in citata Quæstione traditum.

4° Si Festa sunt æqualia quoad classem et quoad qualitatem et dignitatem, servandus est ordo Kalendarii, seu temporis ; et prius transfertur Officium Festi quod prius,seu a longiori tempore in Kalendario occurrit.

Exemplum : Anno 1902, tria Festa duplicia minora Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, Confessoris, Joannis Damasceni, Confessoris, et Isidori, Episcopi et Confessoris, impedita suis respectivis diebus 22 Martii, 27 Martii, et 4 Aprilis, eodem Kalendarii ordine translatum habuerunt Officium, S. Cyrillus in diem 7 Aprilis, S. Joannes in diem 9 Aprilis, et S. Isidorus in diem 10 Aprilis.

Ob eamdem rationem censuit S. Rituum Congregatio, ubi duo Festa S. Marci, Evangelistæ (25 Aprilis), et SS. Philippi et Jacobi, Apostolorum (1 Maji) sunt juxta Rubricas transferenda, in translatione præferendum et prius reponendum esse Festum S. Marci. (Decret. 17 Julii 1706, n. 2171, antiq. 3748.) Evangelistæ enim et Apostoli æquiparantur (Q. 104, IV), et nulla adest disparitas inter translationem Festorum Apostolorum et illam Evangelistarum (Decret. 18 Septembris 1666, n. 1341, antiq. 2380).

Nota. I. Festum aliquod quod cum Octava celebratur per se non præfertur, neque in occursu, neque in translatione, Festo quod sine Octava celebratur.

De eo quoad translationem statuit S. Rituum Congregatio, quod si dies non impedita occurrat priusquam Octava hujusmodi Festi finem habeat, hoc Festum in repositione præferendum sit aliis Festis, etiam majoris ritus, vel dignitatis, prius juxta regulas datas reponendis, quæ tamen vel non gaudent Octava, vel post suam Octavam transferuntur (Decret. 13 Martii 1804, antiq. n. 4493) ; cujus præferentiæ ratio est, quod Festum infra suam Octavam reputandum sit tamquam in die sua propria.

Decretum citatum e nova Collectionis Decretorum editione anni 1898 expunctum fuit, non quasi S. Congregatio revocasset privilegium translationis infra Octavam in eo Decreto concessum, sed quia novum hac super re edidit Decretum quod plura alia antiqua comprehendit, uti videre est in sequenti Nota II.

Nota. II. « Sacra Rituum Congregatio declarat : Festum duplex habens Octavam, quando in die sua cele-

brari juxta Rubricam haud valeat et infra totam suam Octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam Octavam diem, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud Festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius : quo in casu Sacra Rituum Congregatio jubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam juxta Rubricas. » (Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3853.)

Circa hoc Decretum duo sunt notanda :

1° Dominica in quam dies Octava incidit, et in quam transferri potest Festum, intelligenda est Dominica minor, non autem Dominica major, nequidem secundæ classis (Q. 119).

Ubi ergo S. Andreas est Patronus loci vel Titulus Ecclesiæ, quando ejus Festum impeditur per Occurrentiam Dominicæ primæ Adventus, non poterit transferri in diem suam Octavam quamvis liberam ab omni Festo, quia incidit hæc dies Octava in Dominicam secundam Adventus, quæ est Dominica major secundæ classis.

2° Si Festum impediens etiam celebratur cum Octava, Festum impeditum non poterit celebrari in die sua Octava, quia hæc est dies Octava Festi impedientis : dies Octava autem cedit Festo duplici 1 classis occurrenti (Q. 159), sed non admittit Festum translatum (Q. 169).

Ubi ergo S. Dympna, Virgo et Martyr (15 Maji), est Patrona loci vel Titulus Ecclesiæ, occurrente 15 Maji Festo Ascensionis Domini, quod prævalet, non poterit 22 Maji, in ejus diem Octavam transferri Festum, quia hac eadem die celebratur dies Octava Ascensionis ; — neque ubi S. Martinus, Episcopus et Confessor (11 Novembris) est loci Patronus, occurrente hac 11 Novembris Festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, quod prævalet in Ecclesiis solemniter ab Episcopo consecratis, non poterit 18 Novembris, in ejus diem Octavam transferri Festum, quia hac eadem die celebratur dies Octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum.

Hæc duo notant auctores super hoc Decreto, et dicunt Decretum ita esse interpretandum quasi diceret : « Festum habens Octavam, quando in die sua celebrari non valeat, et infra totam suam Octavam transferri nequeat, transferendum est in ipsam Octavam diem,

quamvis in Dominicam incidat minorem, et dummodo Octava ipsa ab Officio majori juxta Rubricas non sit impedita. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 307-313.)

Nota. III. De omissione Octavæ vel partis Octavæ, in casu translationis Festi, dictum fuit Q. 144.

Q. 172. *Quæ Festa singulari gaudent translationis privilegio?*

R. 1° Festum SS. Cordis Jesu, secundarium, recolendum Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi, veluti in sede propria, ritu duplici 1 classis, si sit impeditum per aliquod Festum primarium ejusdem ritus et classis, transfertur in diem immediate sequentem, etiam veluti in sedem propriam ; ideoque de eo agendum est in sequenti Sabbato, in quo gaudebit iisdem privilegiis quibus fruitur in Feria VI. Itaque Festum aliquod occurrens hoc Sabbato, aut omittitur, aut translatum habebit Officium, juxta regulas in hoc Capite traditas. (S. Rituum Congregatio, Decretum Urbis et Orbis, 28 Junii 1889 n. 3712, et Decretum generale 14 Augusti 1894, n. 3838.)

Exemplum : Anno 1892, Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi occurrit 24 Junii, in Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ ; huic cessit Festum SS. Cordis Jesu, sed translatum fuit in diem immediate sequentem, Sabbatum, et celebratum tamquam in die propria. Festum S. Gulielmi, Abbatis, duplex minus, cujus dies propria est 25 Junii, fuit omissum.

2° Festum SS. Nominis Jesu, duplex 2 classis, celebrandum Dominica II post Epiphaniam, occurrens cum Dominica Septuagesimæ, transfertur in diem 28 Januarii, tamquam in sedem propriam ; nisi alicubi occurrat hac die Festum duplex 1 classis, aut duplex 2 classis primarium ; quod si occurrat hac die Festum duplex 2 classis secundarium, aut duplex majus, hoc locum cedit Festo translato SS. Nominis et transfertur ; de Festo duplici minori, aut semiduplici hac die occurrente fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, cum Lectione nona historica, omissa Lectione de S. Agnete. — Festum semiduplex ad libitum S. Juliani, Episcopi et Confessoris, in Diœcesi Mechli-

niensi hac die celebratum, omittitur (Q. 112) ; de Festo simplici S. Agnetis secundo fit Commemoratio in Laudibus tantum (Q. 164 ad 2^um), cum Nona Lectione.

Hæc dispositio valet pro casu Occurrentiæ Festi SS. Nominis Jesu cum Dominica Septuagesimæ, et indicatur in Rubrica speciali Breviarii Romani ad hoc Festum ; finis ejus est præcavere ne hoc Festum celebretur in Quadragesima.

Rubrica specialis Breviarii non indicat quid sit faciendum, quando die 28 Januarii occurrit Festum duplex 1 classis, aut duplex 2 classis primarium. In Hispania hac die 28 Januarii celebratur sub ritu duplici 2 classis Festum S. Juliani, Episcopi et Confessoris : S. Rituum Congregatio declaravit ibi in casu die 28 Januarii faciendum esse Officium de S. Juliano, et transferendum esse Officium SS. Nominis Jesu ad primam diem liberam juxta Rubricas. (Decret. 18 Julii 1885, n. 3639, ad 3, antiq. 5944, ad 4.)

Quando præfatum Festum SS. Nominis Jesu in Dominica II post Epiphaniam impeditur per Occurrentiam cum Festo Patroni alicujus loci, aut Tituli alicujus Ecclesiæ, « Festum SSmi Nominis Jesu, in casu, transferatur ad diem 28 Januarii, nisi occurrat Festum altioris ritus, vel æqualis sed primarium ; quo in casu prædictum Festum transferatur ad primam diem liberam non impeditam juxta Rubricas. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Septembris 1895, n. 3872, ad 2.)

3° Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. præscriptum fuit a Summo Pontifice Pio IX celebrandum ab universali Ecclesia, Dominica I Julii, sub ritu duplici 2 classis. (Decret. 10 Augusti 1849, n. 2978, antiq. 5143.) Quod si hac Dominica occurrat Festum Visitationis B. Mariæ V., vel aliud Festum altioris ritus, aut æqualis sed primarium, de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die non impedita a Festo duplici 1 vel 2 classis, translato inde juxta Rubricas Festo duplici majori vel alicujus Doctoris Ecclesiæ ; de duplici vero minori vel semiduplici occurrente fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cum Lectione nona historica.

4° Festum Annuntiationis B. Mariæ V., per Decre-

tum Urbis et Orbis, 23 Aprilis-27 Maji 1895 (n. 3850), ad ritum primæ classis pro universa Ecclesia elevatum fuit cum omnibus juribus celebriorum Festorum propriis, etsi Octava carens ob temporis Quadragesimalis rationem.

Si hoc Festum venerit Feria VI in Parasceve vel Sabbato sancto, transferendum erit in Feriam II post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriatione, et sine Octava, servato tamen ritu Paschali.

Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam II immediate sequentem : quodsi incidat in Hebdomadam majorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario ejusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur.

Ad dubium : « Quando Festum Annuntiationis incidit in Hebdomadam majorem, potestne transferri etiam quoad solemnitatem, ad aliam diem ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 11 Aprilis 1902, *Augustana*, ad 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 293.)

Nota. In Diœcesi Mechliniensi, relicta Breviarii Rubrica de Festo Annuntiationis transferendo in Feriam II post Dominicam in Albis, servatur adhuc Decretum tertii Concilii Provincialis Mechliniensis, anno 1607 celebrati, et a Paulo V approbati, quo statuitur pro tota Provincia Mechliniensi uti tunc temporis erat, quod si Festum Annuntiationis incidat in Hebdomadam majorem vel Paschalem, in casu « celebretur, juxta receptam consuetudinem, tam a populo quam a clero, Feria III post dictam Dominicam in Albis. » (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. I, pag. 386 ; Cap. V, de Festis.) Quo super S. Rituum Congregatio rescripsit, per Decretum 23 Aprilis-27 Maji 1895 non derogari particularibus locorum concessionibus. (Decret. 10 Julii 1896, n. 3925, ad VI, 1.)

5° Festum Purificationis B. Mariæ V., duplex 2 classis, celebrandum 2 Februarii, si inciderit in aliquam Dominicam majorem, ex. gr., Septuagesimæ, fiunt qui-

dem in hac Dominica benedictio et distributio Candelarum, atque processio ; sed Purificationis Officium transfertur in Feriam II, 3 Februarii, tamquam in sedem propriam, modo non celebretur alicubi hac die Festum duplex 1 classis in sua propria die, quo casu Purificationis Officium transferendum est ad Feriam III, 4 Februarii ; si aliud Festum hac die celebraretur, transfertur hujus Officium, si ex iis est quæ transferri valeant, aut hujus fit Commemoratio juxta regulas in hoc Capite traditas.

6° Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. celebratur in Ecclesia universali, sub ritu duplici majori, Feria VI post Dominicam Passionis. Quando hoc Festum dicta Feria celebrari nequit ob occursum alicujus Festi altioris ritus, aut æqualis sed primarii, vel potioris dignitatis, transferendum est in Sabbatum immediate sequens, simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur.

Celebratur alterum Festum Septem Dolorum B. Mariæ V., quod Summus Pontifex Pius VII, per Decretum 13 Septembris 1814 (n. 3851, antiq. 4513), ad preces Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis, sub ritu duplici majori ad universam extendit Ecclesiam, pro Dominica III Septembris, cum Officio et Missa jam antea concessis Ordini Servorum B. Mariæ V. ; de quo Festo S. Rituum Congregatio sequentia decrevit :

« Festum Dolorum B. Mariæ V., Dominica III Septembris ab universo seu Sæculari seu regulari Clero esse in tota Ecclesia quotannis celebrandum sub duplici majori ritu, firma nihilominus remanente ejusdem Festi commemoratione, quæ recolitur in Feria VI post Dominicam Passionis. Quod si ejusmodi Festum Dolorum cum alio occurrat, cui vi Rubricarum cedere locum debeat, transferatur in primam, post tertiam Septembris, Dominicam, dummodo duplici majori primario, aut alio de eadem Deipara etiam secundario, aut octava aliqua die non impediatur. Si vero Dominicæ omnes post dictam habeantur impeditæ, transferatur de more in primam diem liberam juxta Rubricam. » (Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3851.)

Per Decretum 11 Decembris 1897 sequens variatio

inducta fuit in Rubrica speciali hujus Festi : « Impedita Dominica III Septembris ob occursum Festi duplicis 1 vel 2 classis, vel alicujus diei Octavæ, vel duplicis majoris primarii, vel potioris dignitatis, Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. transfertur in proximiorem sequentem Dominicam, simili modo non impeditam. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, Festum Septem Dolorum ponatur, juxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III Septembris. »

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 66 et sqq., ubi longius agitur de speciali privilegio quo Sancta Sedes decorare voluit hoc alterum Dolorum B. Mariæ V. Festum.)

7° Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ celebratur die 24 Junii, ritu duplici 1 classis cum Octava. Si hac die occurrerit Festum SS. Corporis Christi, agendum erit de prædicto Festo, et Festum S. Joannis Baptistæ tunc reponatur in diem 25 Junii tamquam in sedem propriam, translato alio Festo duplici, si alibi occurrat, post Octavam, aut eo penitus omisso, juxta Rubricas ; sed si fuerit 1 vel 2 classis, transfertur in primam diem Officio duplici non impeditam infra eamdem Octavam. — Dies autem Octava S. Joannis, tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavæ Corporis Christi. (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1.)

8° Festum S. Joseph, 19 Martii, si occurrerit in Dominica Passionis, transfertur in 20 Martii, Feriam II, immediate sequentem ; et quoties inciderit in majorem Hebdomadam, transfertur in Feriam IV post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam. (Decretum S. Rituum Congregationis, 15 Augusti 1892, n. 3789.) Si tamen occurrerit his diebus Festum aliquod duplex 1 classis primarium, præferendum illud esse Festo translato S. Joseph declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 14 Augusti 1894 (n. 3838). Aliud vero Festum occurrens aut omittitur, aut translatum habebit Officium, juxta regulas in hoc Capite traditas.

§ 4. De Festorum mutatione, et Officiorum assignatione

In præcedenti paragrapho expositæ sunt regulæ servandæ pro translatione Officiorum in casu Occurrentiæ accidentalis ; remanet ut dentur regulæ servandæ in casu Occurrentiæ perpetuæ (Q. 156) ; et investigandum est, quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia perpetua est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta vel Festi mutatione, vel Officii assignatione. (Q. 157, ad 4^{um}.)

Q. 173. *Quænam Officia ab aliis perpetuo impedita, gaudent privilegio mutationis, vel assignationis ?*

R. Omnia Festa duplicia, etiam duplicia minora quamquam non sint Doctoris Ecclesiæ, et semiduplicia privilegio gaudent, in casu impedimenti perpetui ex Occurrentia oriundi, nempe si quotannis seu perpetuo ab eodem digniori Officio impediantur, ut vel ipsa mutentur, vel eorum Officia assignentur in aliam diem, tamquam in propria sede perpetua recolenda. (Rubricæ generales, Tit. X, nn. 1 et 5.)

Maxima jam statim patet differentia a regulis translationis Officiorum in casu impedimenti accidentalis ex Occurrentia oriundi ; nam ibi jus ad translationem non confertur Festis duplicibus minoribus quæ non sunt SS. Ecclesiæ Doctorum, nec Festis semiduplicibus ; etenim, vel de eis tantum fit Commemoratio, vel etiam penitus ipsa omittuntur (QQ. 163 et 164) ; hic autem, dato impedimento ex Occurrentia perpetuo, jus ipsis quoque tribuitur ut integra eorum Officia in alia die dicantur.

Nota. Hic jam a principio notari debet privilegium concessum Festis quæ cum Octava celebrantur, qualia sunt Festa Patroni loci et Titularis Ecclesiæ. Dictum fuit Q. 144, quod hujusmodi Festa, in casu translationis accidentalis, omittunt tot dies suæ Octavæ quot numerantur a die qua Festum impeditur usque ad diem translationis infra Octavam, et quod si transferuntur in ipsam propriam diem Octavam, aut post totam Octavam, illo anno celebrantur sine Octava. — Aliquando

disputatum fuit an hæc regula applicanda sit in casu translationis perpetuæ, seu assignationis in primam diem liberam.— Quæstio resoluta fuit ab ipsa S. Rituum Congregatione ; etenim ad dubium : « Si accidat ut Titulus Ecclesiæ vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, num respective Octavam servabunt ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative, si agatur de translatione perpetua ; secus, Negative. » (Decret. 20 Junii 1899, n. 4034, ad 2.)

Ergo quando Festum cum Octava perpetuo transferri debet, retinet jus ad totam suam Octavam, et transfertur etiam tota ejus Octava.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 375, 376.)

Q. 174. *Quid est Festi alicujus mutatio ?*

R. Est amotio definitiva alicujus Festi a die sua propria, perpetuo impedita, ratione temporis aut ratione Occurrentiæ cum majori Festo, et in aliam diem collocatio, quæ tamquam dies propria reputabitur.

Exempla : Decollatio S. Joannis Baptistæ circa Festum Paschatis accidit ; S. Jacobus Major, Apostolus, circa Pascham obiisse traditur ; ratione temporis mutata fuerunt hæc Festa, in diem 29 Augusti unum, in diem 25 Julii alterum. — S. Dominicus, Confessor, obiit 6 Augusti ; ejus tamen Festum e die natalitia a Paulo Papa IV mutatum fuit, ratione Festi Transfigurationis Domini, et celebratur die 4 Augusti. — Natalitia dies S. Francisci Salesii, Episcopi et Confessoris, est 28 Decembris ; dies festa agitur 29 Januarii. (Cfr. Martyrologium, diversis his diebus.)

Nota. Mutatio importat amotionem non tantum Officii, sed et ipsius Festi, ita ut dies in quam collocatur, etiamsi pro Sancto non ejus sit natalitia, seu dies in qua obdormivit in Domino, et in cœlis nasci meruit, nihilominus quasi natalis illius Sancti reputetur, et tamquam propria Festa dies eligatur ab Ecclesia et determinetur, et omnibus Festi juribus gaudeat. (Cfr. Q. 111.)

In mutatione alicujus Festi eligitur dies, sive sit libera sive sit jam alio Officio occupata, et non debet esse prima libera quæ in Kalendario post mutandum Festum reperitur.

Hanc mutationem Festi a summa in Ecclesia aucto-

ritate tantum posse fieri, ex dictis facile intelligitur ; proinde non ab Episcopo, sed a Summo Pontifice Festa mutantur, et omnino ad Ejus placitum.

Qui in recitatione Primæ quotidie Martyrologium legunt, sæpius possunt animadvertere mutationes Festorum a Summis Pontificibus factas, et in hoc Libro adnotatas.

Exempla : Sextodecimo Kalendas Januarii (17 Decembris) annuntiatur dies natalitia S. Joannis de Matha : « Romæ sancti Joannis de Matha, Fundatoris Ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis Captivorum ; cujus festivitas agitur sexto Idus Februarii, ex decreto Innocentii Undecimi. » Et sexto Idus Februarii (8 Februarii) annuntiatur ejusdem dies festa : « Sancti Joannis de Matha,..... qui sextodecimo Kalendas Januarii obdormivit in Domino. »

Idem animadverti potest pro S. Francisco Salesio, Quinto Kalendas Januarii (28 Decembris), et Quarto Kalendas Februarii (28 Januarii) ; pro S. Camillo de Lellis, pro S. Vincentio a Paulo, et pluribus aliis.

Pro S. Ambrosio, depositio seu dies natalis annuntiatur Pridie Nonas Aprilis (4 Aprilis) ; pro Festo ejusdem Sancti celebrando, electa fuit ab Ecclesia dies ejus ordinationis ad Episcopatum ; Septimo Idus Decembris (7 Decembris) annuntiatur : « Mediolani ordinatio sancti Ambrosii... ».

Sufficiat hæc dixisse de Festorum mutatione ; magis interest intelligere regulas de Officiorum assignatione, quæ propter diversas causas aliquanda occurrit facienda.

Q. 175. *Quid est Officii assignatio ?*

R. Est amotio definitiva Officii a die propria alicujus Festi, perpetuo impedita ratione Occurrentiæ cum alio Officio prævalente, et in primam liberam diem quæ sequitur collocatio, quæ dies vocatur assignata, seu etiam aliquando fixa.

Proinde in casu Festum retinet quidem suam propriam diem, sed quia ponitur impedimentum perpetuum, ejus Officium tantum assignatur in primam sequentem diem liberam, quæ ideo etiam vocatur dies **tamquam propria, seu non propria.** (Cfr. Q. 111.)

Exemplum : Ubi S. Nicolaus, Episcopus et Confessor, cujus Festum celebratur 6 Decembris, est Patronus loci, vel Titulus Ecclesiæ, ejus Festum est duplex 1 classis cum Octava ; Octava dies incidit in die 13 Decembris ; cumque 13 Decembris in Kalendario Ecclesiæ universæ adscriptum sit Festum duplex minus S. Luciæ, Virginis et Martyris, locus datur Occurrentiæ

perpetuæ utriusque Officii (Q. 156); prævalet Officium diei Octavæ S. Nicolai (Q. 159); Festum duplex S. Luciæ, in casu Occurrentiæ accidentalis, Commemoratione tantum perageretur (Q. 163); quia vero Occurrentia est perpetua, Festum quidem remanet in die propria 13 Decembris, sed gaudet privilegio ut ejus Officium assignetur in primam diem liberam (Q. 173). Unde patet differentia assignationem inter et mutationem, cum in mutatione Festum ipsum et non tantum Festi Officium collocetur in aliam diem liberam.

Aliud exemplum proponitur Q. 111, diei assignatæ et tamquam propriæ, pro Officio S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris.

Nota. Ad indicandum alicujus Festi vel Officii amotionem a sua propria die, et in aliam diem collocationem, varii termini in auctoribus, et etiam in Decretis S. Rituum Congregationis usuvenerunt, quibus non eadem semper ab omnibus tribuitur significatio. In recentioribus Decretis, S. Rituum Congregatio pluries dixit de **repositione**, et ibi intelligit collocationem Festi vel Officii a sua in aliam diem, per translationem accidentaliter; auctores vero aliquando per repositionem intelligunt assignationem in perpetuum.

In præcedentibus et sequentibus Quæstionibus mens fuit per **repositionem** intelligere generalem terminum; amotio Festi vel Officii accidentalis a sua die et in aliam diem repositio vocata fuit translatio; amotio hujusmodi et repositio perpetua vocata fuit **mutatio**, vel **assignatio**. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 89, in Nota.)

Q. 176. *Quis est terminus ad quem, seu in quem assignatur Officium Festi perpetuo impediti; aliis verbis, quæ dies admittit Officium Festi assignandum?*

R. Est prima dies libera post Festum perpetuo impeditum, in qua non celebratur Festum fixum seu immobile (Q. 113) ritus duplicis aut semiduplicis; aut in qua non celebratur dies Octava fixa. Liberæ etiam non sunt dies infra Octavam Epiphaniæ, neque Vigiliæ Nativitatis Domini, et Epiphaniæ. His diebus impedientibus etiam addenda est dies 2 Novembris.

Itaque Festa mobilia, eorumque Octavæ, Dominicæ, Feriæ privilegiatæ, Vigilia Pentecostes, quæ non admittunt Officia translata, impedimentum non sunt pro

assignatione alicujus Officii ; etiamsi aliquando impedimentum accidentale erunt pro integritate Officii in tali die assignati.

Exemplum : Ex Occurrentia perpetua diei Octavæ S. Nicolai et Festi S. Luciæ, 13 Decembris (cfr. Q. præcedens), assignandum venit Officium hujus Festi ; prima dies non impedita quæ reperitur in Kalendario Diœcesis Mechliniensis, est 20 Decembris, a die 13 enim usque ad 19 inclusive adscribuntur singulis diebus Festa duplicia aut semiduplicia ; in diem 20 Decembris igitur assignatur Officium S. Luciæ, 13 Decembris perpetuo impeditum, et hæc dies fit dies assignata Officio hujus Festi.

Si dies 20 esset dies Dominica, occurrente Littera Dominicali D, non liceret, in locis ubi S. Nicolaus non est Patronus, et dies hæc in Kalendario alias libera est, transferre aliquod Officium accidentaliter ex Occurrentia præcedenti impeditum (Q. 169) ; sed etiamsi sit Dominica, 20 Decembris remanet tamen dies assignata Officio in eam reposito ; nova inde tali anno habebitur Occurrentia, sed accidentalis, cui regulæ in §§ 1 et 2 datæ applicabuntur ; in casu Occurrentia daretur cum Dominica IV Adventus, cujus Officium præfertur (Q. 159), et Officii assignati S. Luciæ fiet tantum Commemoratio (Q. 163).

Nota. I. Ab auctoribus generatim hucusque indicatæ fuerunt quædam dies, in præcedenti responso non adscriptæ, in quibus ex speciali motivo non poterant assignari perpetuo Officia Festorum impedita, etiamsi liberæ semper essent pro translatione accidentali ; scilicet : dies 3 Februarii, dies 28 Januarii, dies 26 Martii ; ut liberæ remanerent semper pro translatione accidentali Officiorum respective Purificationis B. Mariæ V., SS. Nominis Jesu, et Annuntiationis B. Mariæ V., casu quo hæc Festa inciderent in Dominicam majorem, qua eorum Officium impeditum foret. (Cfr. Q. 172 ad 2°, 4° et 5°.)

Dicunt Ephemerides Liturgicæ (IX, 1895, pag. 689-692) ejusdem dies liberas esse censendas pro assignatione saltem Officii duplicis aut semiduplicis ; quod si Officia superius indicata in illas dies sint transferenda, Officia in ipsis diebus assignata eo anno redigentur ad instar simplicis, fietque eorum Commemoratio vel non, juxta regulas in § 2 traditas. Revera particulares Rubricæ, his Festis in Breviario propositæ, ita jure merito dici posse saltem innuere videntur. Imo dicta confirmantur per sequens S. Rituum Congregationis

Decretum : Ad dubium : « Num dies 26 Martii assignari possit ut sedes fixa Festi perpetuo translati ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative. » (Decret. 15 Septembris 1881, n. 3531, antiq. 5826, ad 3.)

Idem dicendum est de die 20 Martii, pro translatione Festi S. Joseph, in Occurrentia cum Dominica Passionis, juxta Decretum S. Rituum Congregationis 15 Augusti 1892. (Cfr. Q. 172, 8°.)

Nota. II. Festa semiduplicia quæ transferuntur ob perpetuum impedimentum, assignari possunt, tamquam in dies proprios, in dies infra Octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de die infra Octavam. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Augusti 1744, n. 2378, antiq. 4160, ad 3.)

Nota. III. Nonnulla Diœcesium et Regularium Kalendaria ita sunt Festis expleta, ut dies intra annum non sufficiant pro assignatione Festorum duplicium et semiduplicium, quæ propterea perpetuo redigenda sunt ad ritum simplicem. Etiamsi casus pro nobis non sit practicus, placet referre Decretum S. Rituum Congregationis hac super re datum : « Cum propositum fuerit dubium : Utrum Festum duplex vel semiduplex, quod perpetuo redactum est ad ritum simplicem, considerari debeat uti simplificatum vel uti simplex, Sacra Rituum Congregatio.... respondendum censuit : Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam ; servatis Rubricis. » (Decret. 7 Decembris 1900 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 65.) Itaque Festum perpetuo simplificatum mutat naturam suam et de simplicato transit in simplex : unde in casu non amplius habet jus ad tres Commemorationes, scilicet in primis Vesperis, in Laudibus et in secundis Vesperis, sed ad duas Commemorationes tantum, nempe in primis Vesperis tantum et in Laudibus.

Q. 177. *Quis ordo servari debet, quando plura Officia Festorum assignanda sunt ?*

R. Primum assignatur Officium Festi duplicis 1 classis, dein duplicis 2 classis, tertio duplicis majoris, quarto duplicis minoris, tandem Festi semiduplicis. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. X, n. 7.)

Inter duplicia minora nulla fit distinctio in favorem Festi alicujus Sancti Ecclesiæ Doctoris.

Cæterum servantur omnino regulæ datæ Quæstione 171 pro ordine translationis plurium Officiorum.

Q. 178. *Indica casus satis frequentes assignationis Officiorum faciendæ in locis et Ecclesiis particularibus.*

R. 1° In omnibus locis, in omnibus Ecclesiis, in quibus loci Patronus aut Ecclesiæ Titulus ex iis est, quorum Festum 1° non celebratur, in Ecclesia universali vel in Diœcesi, cum Octava (Q. 141) ; 2° non celebratur eo tempore quo Octavæ prohibentur (Q. 143) ; 3° Festum est immobile (Q. 113) ; si in ipsa die Festi in Kalendario Ecclesiæ universalis aut Diœcesano adscribitur aliud Festum duplex 2 classis, duplex majus, duplex minus aut semiduplex ; vel si in die Octava occurrit aliquod Festum duplex majus, duplex minus, aut semiduplex ; cum hæc perpetuo sint per Occurrentiam impedita, eorum Officia necessario sunt assignanda, et Ordo Officiorum a Directorio Diœcesano indicatus semel pro semper mutandus est, secundum regulas in præsenti paragrapho traditas.

Si autem Patroni vel Titularis Festum mobile est, ex. gr., in Ecclesiis quarum Titulus est SS. Trinitas, aut SS. Cor Jesu, patet quod Occurrentiæ, tam in die Festo quam in die Octava, accidentales tantum sunt, et locus datur in casu Occurrentiæ, non assignationi Officiorum, sed translationi tantum, quæ quotannis fiet secundum regulas in § præcedenti datas.

2° Quando Summus Pontifex præscribit novum Festum, aut permittit ut novum Festum celebretur tum in Ecclesia universali, tum in Provincia, Diœcesi, aut loco particulari, accidit quod dies pro novo Festo indicata jam sit occupata in Kalendario, sive generali sive particulari, alio Festo vel Officio ; in quo casu alterutrius assignatio facienda est. Consulendum in casu est Directorium.

Exempla : Nova Festa per Breve 28 Julii 1882 concessa *a*) S. Cyrilli Alexandrini, *b*) S. Cyrilli Hierosolymitani, *c*) S. Josaphat, diebus *a*) 9 Februarii, *b*) 18 Martii, *c*) 14 Novembris, in quibus alia Festa vel Officia in Kalendario Diœcesis Mechli-

niensis jam reperiuntur, nempe *a*) S. Gudulæ, *b*) S. Gabrielis, *c*) S. Martini, Papæ et Martyris, reposita fuerunt, et assignata sunt diebus vacuis proxime insequentibus, quæ reperiuntur *a*) 14 Februarii, *b*) 22 Martii, *c*) 16 Novembris.

Et in quo Ecclesiæ alicujus particularis Kalendario una alterave ex præfatis diebus est impedita per Officium jam præcedenter his diebus assignatum, ulterius dies libera quærenda erit, diversa ab ea quæ in Diœcesis Kalendario indicatur. Exemplum : Ecclesia quæ Titularem habet S. Hubertum, cujus Festum celebratur 3 Novembris, diem Octavam S. Titularis celebrabit 10 Novembris; ea die in Kalendario indicatur Festum duplex minus S. Andreæ Avellini, Confessoris ; perpetuo erit in Ecclesia S. Huberti impeditum, ideoque assignandum ad primam diem liberam ; in Kalendario Mechliniensi prima dies libera est 16 Novembris, quæ pro Ecclesia S. Huberti igitur erit dies assignata Officio S. Andreæ Avellini. His jam ita statutis ante annum 1882, superveniens Festum novum S. Josaphat, diem assignatam accipiens in Kalendario Diœcesano 16 Novembris, ulterius erit assignandum in Kalendario particulari Ecclesiæ S. Huberti, eique dies assignabitur 27 Novembris, quæ ibi prima dies libera est.

Variæ tamen in hujusmodi casibus animadverti debent regulæ, et præsertim sedulo perpendenda sunt Decreta, vel Indulta concessionum.

Nota. Super duobus Festis vel Officiis eadem die occurrentibus S. Rituum Congregatio sequens dedit Decretum generale (21 Novembris 1893, n. 3811) :

« Cum sæpe accidat, ut dies, qua S. Sedes aliquod novum Festum liturgicum statuit celebrandum, in calendariis particularibus sit alio Festo impedita, nec tamen clare constet quodnam ex iis sit peragendum, quodnam perpetuo transferendum ; S. Rituum Congregatio præsenti Generali Decreto declarat et statuit, sequentes imposterum ab omnibus Calendariorum Ordinatoribus tenendas esse normas :

I. Si duo Festa, alterum antiquum, alterum novum ; ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia, ceteris paribus illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur juxta Rubricas. Ceteris vero non paribus, si alterum præ altero sit potioris ritus, præferatur illud quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic præferatur. Si ambo primaria fuerint vel secundaria, dignius minus digno præferatur

juxta ordinem dignitatis in Rubricis præscriptum Tit. X, n. 1, et XI, n. 2. Si denique utrumque fuerit ejusdem dignitatis, Festum magis proprium minus proprio præferatur.

II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic præferatur. Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut æqualis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri præferatur, quod die prima libera reponetur juxta Rubricas.

III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia, alius in die assignata, seu non-propria aut tanquam-propria ; ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, præferatur huic, qui prima die libera reponendus erit juxta Rubricas.

IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata ; antiquum novo præferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum alicujus Ecclesiæ Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis, ac prioritas translationis.

V. Quemadmodum autem pro die natalitia Sanctorum illa est intelligenda, qua iidem Sancti æternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica Festa recolenda ; ita S. Rituum Congregatio declarat, illam intelligendam esse pro die assignata, quæ prima post propriam libera fixe in Calendario juxta notas occurrentiæ leges ab Ordinario inscribitur, sicuti pro translata illam, quæ pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

Quanti sit momenti hoc Decretum nemo non videt, et quam fuerit opportunum, quo præveniuntur plura dubia antiquitus sæpissime oborta ubi novum Festum instituebatur celebrandum.

Occurrunt in hoc Decreto plures definitiones quæ elucidatæ fuerunt in præcedentibus Quæstionibus super Festis ; nempe,

de Festorum qualitate (QQ. 104, III, et 108), de eorum dignitate (Q. 104, IV), de Festis magis propriis et minus propriis (Q. 113), de Festorum translatione (QQ. 167-171), de eorum mutatione et assignatione (QQ. 173-177), de Sanctorum die natalitia et quasi natalitia (Q. 110), de Sanctorum die propria et non propria seu tamquam propria (Q. 110). Exempla ad diversas has Quæstiones proposita præsentis Decreti normas sufficienter elucidant ut non sit necessarium hic iterum exempla proponere.

Q. 179. *Cujus est Festorum mutationem, aut Officiorum asssignationem indicare aut approbare ?*

R. Festum mutare solus Summus Pontifex, aut S. Rituum Congregatio potest (Q. 174).

Officii assignatio autem fieri aut saltem approbari semper debet ab Episcopo loci Ordinario, justificatis apud ipsum Officiorum repositorum numero et causis, dierumque assignatarum ordine et qualitate. (S. Rituum Congregatio, Decret. 21 Novembris 1893, n. 3811, ad V.)

Imo ex citato Decreto eruitur posse Episcopum etiam novam sui Diœcesani Calendarii perpetui reformationem peragere, si forte Officia assignata non fuissent rite apposita ; servatis in casu ad amussim normis in Decreto propositis. — Non potest vero Episcopus, sine licentia S. Sedis, suum Calendarium perpetuum novis Officiis ditare. (Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 699, 700.)

CAPUT II

DE CONCURRENTIA

§ 1. De effectibus Concurrentiæ

Q. 180. *Explica quid intelligatur per Concurrentiam.*

R. Concurrentia dicitur **illa Officiorum successio, qua secundæ Vesperæ unius Officii simul obveniunt cum primis Vesperis Officii sequentis diei.** Cum enim Officia ritus duplicis et semiduplicis jus habeant ad duas Vesperas, primas nempe et secundas (Q. 102), hinc, quando duo ejusmodi Officia sese proxime consequuntur, Vesperæ secundæ Officii præcedentis et Vesperæ primæ Officii sequentis de jure pariter recitari deberent ; datur con-

flictus inter duas istas Vesperas, ex quo necessaria nascitur aliqua compositio seu ordinatio, ne duæ Vesperæ integræ sint recitandæ.

Hic Vesperarum conflictus, earumque compositio vocatur « Concurrentia », quæ vox in Rubricis hanc specialem habet significationem, ab illa diversam qua communiter apud Latinos intelligitur.

« Concurrentia Officii attendenda est in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis. » (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 1.)

Exemplum : die 13 Junii, celebratur Festum duplex S. Antonii de Padua, Confessoris ; die sequenti 14 Junii, celebratur Festum item duplex S. Basilii Magni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris ; Officium S. Antonii dicitur concurrere cum Officio S. Basilii ; eadem enim die 13 Junii Festum S. Antonii exigit suas secundas Vesperas, et Festum S. Basilii suas primas Vesperas.

Hujusmodi Concurrentia a quibusdam auctoribus dicitur activa, quæ se tenet ex parte secundarum Vesperarum Officii præcedentis, quod proprie cum sequenti concurrit ; et passiva, quæ se tenet ex parte primarum Vesperarum Officii sequentis, cum quibus Vesperæ præcedentis concurrunt. In exemplo allato Officium S. Antonii concurrit active cum Officio S. Basilii ; Officium S. Basilii autem concurrit passive cum Officio S. Antonii.

Q. 181. *Quotuplex distinguitur Concurrentia ? Explica.*

R. Duplex distinguitur Concurrentia : accidentalis nempe, et perpetua.

Accidentalis est Concurrentia duorum Officiorum, quorum unum est fixum, alterum mobile, vel accidentaliter translatum, aut utrumque est mobile ; ita si concurrit 5 Junii Officium mobile SS. Cordis D. N. J. C. cum Officio S. Norberti, Episcopi et Confessoris, cujus Festum fixum celebratur 6 Junii, Concurrentia erit accidentalis tantum, quia non singulis annis Festum mobile SS. Cordis celebratur 5 Junii.

Perpetua dicitur Concurrentia duorum Officiorum quæ fixam habent in determinata mensis die sedem, in Kalendario indicatam ; datur ejus exemplum in Quæstione præcedenti.

Nonnumquam tamen fieri poterit, ut ex Occurrentia accidentali præstantioris Officii cum uno vel utroque horum Officiorum, huic perpetuæ Concurrentiæ aliquando locus non detur.

Q. 182. *Quis est effectus Concurrentiæ ?*

R. Effectus Concurrentiæ, ut ex dictis patet, totus est in Vesperis ; — ita ut Vesperæ vel integræ fiant de alterutro Officiorum concurrentium, idque cum aut sine Commemoratione alterius ; — vel inter utrumque Vesperæ dimidientur, ita nimirum, ut Psalmi cum Antiphonis sint de præcedenti, seu de Officio currentis diei, Capitulum vero cum reliquis fiat de sequenti, seu de Officio sequentis diei, cum Commemoratione præcedentis.

Integræ fiunt Vesperæ secundæ de Officio active concurrente, si altero passive concurrente Officio sit majus ; aut integræ Vesperæ primæ de passive concurrente, si quod sequitur Officium sit majus Officio active concurrente ; regulariter Vesperæ dividuntur seu dimidiantur, si active concurrens Officium sit alteri passive concurrenti æquale.

R. 183. *Quæ Officia Concurrentiæ locum præbent ?*

R. 1° **Festa duplicia et semiduplicia**, cum utrasque, primas scilicet et secundas habeant Vesperas, utrique Concurrentiæ, activæ et passivæ, locum præbere possunt.

Idem dicendum est de Officiis votivis pro diversis hebdomadæ diebus liberis concessis, de quibus agitur § 7 Sectionis I hujus tertiæ Partis.

Festa simplicia non concurrunt active, sed passivam tantum habent Concurrentiam : incipit enim eorum Officium a Vesperis, et terminatur ad Nonam (cfr. Q. 102). De Festo simplici dicit Rubrica (Tit. XI, n. 8) : « Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed

ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo, nec Commemoratio. »

2° **Dominicæ** tam active quam passive concurrere possunt ; verum est, Vesperas quæ in Psalterio describuntur de Dominica, esse ejusdem Vesperas tantum secundas, et nullas de Dominica reperiri inscriptas tamquam Dominicæ primas Vesperas ; habent tamen aliquo modo suas primas Vesperas, eas nempe quæ in Psalterio describuntur tamquam Vesperæ Sabbati (cfr. Q. 126).

3° **Feriæ** nullam proprie habent Concurrentiam ; incipit enim earum Officium a Matutino (Q. 102) ; habent quidem Vesperas unicas, dictas secundas (Q. 102), sed cum locum cedant cuicumque Officio,ibi desinit earum Officium, ubi incipit aliud a quo impediuntur, adeo ut omnis Concurrentia activa Feriæ sit impossibilis.

Equidem si Officio Feriæ subsequitur Officium Festi simplicis, quod habet primas tantum Vesperas, dicuntur Psalmi Feriæ, et a Capitulo fit de Festo simplici ; sed ibi non haberi Vesperarum ex Concurrentia æqualium divisionem, seu dimidiatas Vesperas (Q. 182), patet ex eo quod nulla fiat Feriæ in his simplicis Festi Vesperis Commemoratio.

Quod autem Feriarum majorum in Adventu et in Quadragesima semper fiat in Vesperis Commemoratio, id non contingit ratione Concurrentiæ ; sed ipsius temporis Adventus et Quadragesimæ privilegium est (Q. 130) ; fitque Commemoratio Feriæ majoris in Vesperis, non quia concurrit, sed quia occurrit.

4° **Vigiliæ**, cum a Matutino incipiat earum Officium, et ad Nonam terminetur, nullum dant locum Concurrentiæ. Una excipitur Vigilia Epiphaniæ (cfr. QQ. 134 et 135), cujus pridie fit Commemoratio.

5° **Dies Octavæ**, cum sint ritus duplicis minoris (Q. 142), et habeant primas et secundas Vesperas (Q. 145), utroque modo activo et passivo concurrere possunt.

Dies infra Octavas vero, cum Festa minime sint, sed continuatio unius ejusdemque Festi, cujus scilicet Officium per singulas infra Octavam dies repetitur a Matutino usque ad Completorium, cumque inde proprie primas Vesperas non habeant, sed tantum unicas, di-

ctas secundas (Q. 102), certe nullam inter se habere possunt Concurrentiam ; unde si hodie Officium fit de die infra aliquam Octavam, et item crastina die, etiamsi hæc Officia æqualia sint, dicentur tamen hodie integræ Vesperæ de hodierna die infra Octavam, ut in secundis Vesperis Festi, nulla facta divisione, aut Commemoratione ratione diei infra Octavam cujus crastina die Officium subsequitur (Q. 145).

Concurrere possunt active cum Vesperis primis cujuslibet Festi et Dominicæ quæ sequuntur. Concurrere passive non possunt cum Vesperis secundis Festi duplicis et semiduplicis, aut Dominicæ quæ præcedunt, nisi improprie, ut explicatur in Quæstione sequenti.

Q. 184. *Modo dictum est diem infra Octavam non posse concurrere passive cum præcedenti Officio duplici vel semiduplici ; attamen in tali casu Breviarium præscribit, in secundis Vesperis Officii duplicis, aut Dominicæ, faciendam esse Commemorationem sequentis diei infra Octavam ; item in Vesperis præcedentis Officii Festi primarii semiduplicis. Quomodo hoc explicatur ?*

R. Ad Quæstionem seu objectionem in Quæstione positam bene intelligendam, prius dare juvat duo exempla ex Directorio desumpta :

I. Die 10 Septembris, celebratur Festum duplex S. Nicolai de Tolentino, Confessoris ; occurrit dies infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., cujus Commemoratio fit in Laudibus ; sequitur, 11 Septembris, Officium de 4 die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., semiduplex ; indicantur in Directorio pro die 10 Septembris, Vesperæ secundæ integræ de Festo duplici S. Nicolai, cum Commemoratione Officii semiduplicis Octavæ.

II. Die 2 Septembris, celebratur Festum semiduplex S. Stephani, Hungariæ Regis, Confessoris ; occurrere potest in nostra Diœcesi dies infra Octavam SS. Angelorum Custodum, cujus Commemoratio fit in Laudibus ; sequitur, 3 Septembris, Officium de die infra Octavam SS. Angelorum, semiduplex ; indicantur in Directorio pro die 2 Septembris, Vesperæ secundæ integræ de Festo semiduplici S. Stephani, cum Commemoratione Octavæ SS. Angelorum.

Hæc profecto videntur habere rationem Concurrentiæ passivæ diei infra Octavam cum Festis quæ præcedunt.

Respondetur : licet Rubricæ Breviarii loquantur de Duplici, aut Semiduplici, aut Dominica, quæ concurrunt

cum die infra Octavam (Rubricæ generales, Tit. XI, nn. 3, 4 et 6), dicendum est hujusmodi Concurrentiam esse **improprie** dictam, et ibi non dari veram Concurrentiam ; dies infra Octavam, cujus Officium tantum incipit a Matutino, quæ proinde primas Vesperas non habet (Q. 102), non potest igitur passive hic concurrere cum præcedenti. Sed, in tali casu, deficiente Officio de sequenti die infra Octavam pro Vesperis, resumitur pro hac Commemoratione facienda Officium occurrentis, seu præsentis diei infra Octavam ; et ita justificatur locutio Concurrentiæ Duplicis, aut Semiduplicis, aut Dominicæ cum sequenti die infra Octavam ; ideo consulto, annuntiata in tali casu Commemoratione Octavæ, additur in Directorio : ut in secundis Vesperis Festi. Est igitur Concurrentia, sed improprie dicta.

Nisi velis dicere cum quibusdam auctoribus, Vesperas diei infra Octavam, **in quibus omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi** (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5), nec primas esse, nec secundas, sed unicas, quæ inserviunt pro primis aut secundis, juxta quod eorum Concurrentia vel activa est, vel passiva. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 59 ad 62.)

Q. 185. *Dictum fuit Quæstione 183 Festum simplex passivam tantum habere Concurrentiam, et Feriam nullam quidem habere ; quid igitur fiet si hodie celebratur Festum simplex, et cras fiat Officium alicujus Feriæ ?*

R. Pro Quæstionis intelligentia sequens datur exemplum : Die 26 Octobris, celebratur Festum simplex S. Evaristi, Papæ et Martyris ; dies 27 Octobris est Vigilia SS. Simonis et Judæ, Apostolorum ; supponuntur hæ dies Feria II et Feria III in hebdomada.

Festum simplex non habet secundas Vesperas, ejusque Officium terminatur ad Nonam (Q. 102) ; non potest igitur active concurrere cum Officio sequenti (Q. 183) ; Vigiliæ Officium Feriale incipit tantum ad Matutinum (Q. 135) ; inde non tantum non datur hic locus Concurrentiæ in Vesperis, sed et ipsæ Vesperæ de his Officiis deficiunt.

In tali casu subintrat inter utrumque hujusmodi Of-

ficium ad Vesperas Officium Feriæ occurrentis (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 8) ; et in casu, terminato Feria II ad Nonam Officio Festi S. Evaristi, et nondum incepto ad Vesperas Officio Feriali Vigiliæ quod dicetur Feria III, sumitur Officium Feriale ipsius Feriæ II pro Vesperis hac die 26 Octobris dicendis. Ideo in Directorio in tali supposito notabitur in Festo S. Evaristi : Vesperæ Feriales, ut in Psalterio. Oratio Dominicæ præcedentis.

§ 2. De Regulis in Concurrentia servandis

Q. 186. *Quæ duæ Regulæ generales dari possunt pro Concurrentia duorum Officiorum ?*

R. Regula prior : In Concurrentia duorum Officiorum **inæqualium**, hoc est majoris cum minori, vel minoris cum majori, dicuntur Vesperæ integræ de majori cum Commemoratione minoris ; nonnumquam etiam absque ejusmodi Commemoratione, si id præstantia majoris Officii exigit.

Regula altera : In Concurrentia duorum Officiorum **in omnibus æqualium**, Vesperæ regulariter dividuntur, seu dimidiantur, adeo ut Psalmi cum Antiphonis dicantur de Officio præcedenti concurrenti, Capitulum vero cum reliquis dicatur de sequenti, addita semper Commemoratione præcedentis.

Præfatæ regulæ illustrantur in sequentibus Quæstionibus.

Q. 187. *Da speciatim regulas servandas pro Concurrentia duorum Festorum.*

R. 1° Quando duo Festa concurrentia sunt diversi ritus, aut diversæ classis (Q. 104, I et II), Vesperæ dicuntur integræ de Festo quod præstat ritu et classe, cum Commemoratione Festi quod minoris ritus est, aut classis ; nonnumquam etiam absque ejusmodi Commemoratione, si ita exigit præstantia Festi cujus dictæ fuerunt Vesperæ integræ ; de qua omissione dicetur Q. 192.

Exempla : Die 1 Julii, celebratur Festum duplex 1 classis S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, proprium Diœcesis Mechli-

niensis ; 2 Julii, celebratur Festum duplex 2 classis Visitationis B. Mariæ V. ; Festum S. Rumoldi, præstans classe, concurrit cum Festo minoris classis Visitationis ; Vesperæ dicuntur integræ de S. Rumoldo, cum Commemoratione sequentis.

Die 12 Augusti, Festum duplex minus S. Claræ, Virginis, concurrit cum Festo die 13 Augusti in Diœcesi Mechliniensi celebrando, sub ritu duplici majori, S. Joannis Berchmans, Confessoris ; Vesperæ dicuntur integræ de sequenti Festo S. Joannis, cum Commemoratione præcedentis S. Claræ.

2° Ante omnia animadvertendum venit quod, quando duo Festa concurrentia sunt ritus duplicis 1 classis, illa Festa duplicia 1 classis, quæ in Ecclesia universali majori cum religione ac solemnitate celebrantur, sicuti in Occurrentia, ita etiam in Concurrentia potiora jura sua habent ; et quando ipsa concurrunt cum alio Festo duplici 1 classis, aut aliud Festum duplex 1 classis concurrit cum ipsis, ipsa semper Vesperas integras habent cum Commemoratione tantum alterius Festi duplicis 1 classis quocum concurrunt, vel quod cum ipsis concurrit. — Festa hæc solemnissima recensita fuerunt Q. 105, Nota I ; juvat tamen ea iterum hic enumerare. Sunt : Nativitas D. N. J. C., Epiphania, Pascha Domini cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Festum SS. Corporis Christi, Assumptio B. M. V., Immaculata Conceptio B. M. V., Annuntiatio, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festum S. Joseph Sponsi B. M. V., Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum Omnium Sanctorum.

His solemnioribus Festis cedunt igitur in Concurrentia integras Vesperas Festa localia Patroni loci, Dedicationis Ecclesiæ, et Tituli Ecclesiæ.

Exempla : Statuit et declaravit S. Rituum Congregatio « Dedicationis Ecclesiæ, sive propriæ sive non propriæ, Anniversario occurrente vel concurrente cum Festis solemnioribus universalis Ecclesiæ, hæc semper illi prævalere, personali etiam dignitate posthabita, juxta Rubricas. » (Decret. 4 Februarii 1896, n. 3881, ad 4.)

Et ita ad dubium propositum circa secundas Vesperas Festi Assumptionis B. M. V. concurrentis cum Festo Dedicationis Ecclesiæ, S. Rituum Congregatio declaravit sequenti modo ordinandum esse Officium Vesperarum : « Totum de præcedenti cum Commemoratione sequentis. » (Decret. 8 Maji 1700, n. 2053, antiq. 3556.)

3° Quando duo Festa sunt ejusdem ritus et classis, nempe quando duo Festa concurrentia ambo sunt aut duplicia 1 classis, aut duplicia 2 classis, aut duplicia majora, aut duplicia minora, aut semiduplicia, animadvertendum est ad eorum qualitatem, quodnam nempe ex duobus est primarium, quodnam secundarium (Q. 104, III) ; idque non tantum pro Festis classicis, sed etiam pro Festis ritus duplicis minoris et semiduplicis (Q. 108, Nota III) ; et Vesperæ dicuntur integræ de Festo primario, cum Commemoratione Festi secundarii, numquam omissa.

Exempla : Festum S. Georgii, Martyris, celebratur 23 Aprilis; in iis locis quorum est Patronus, in iis Ecclesiis quarum est Titulus, Festum ejus est duplex 1 classis ; Festum hoc insuper est primarium ; supponitur diem 22 Aprilis esse Dominicam III post Pascha, in qua celebratur Festum Patrocinii S. Joseph, in nostra Diœcesi duplex 1 classis ; quia Festum hoc est secundarium tantum, dicentur hac Dominica Vesperæ integræ de S. Georgio, cujus Festum est primarium, cum Commemoratione tantum præcedentis Festi secundarii Patrocinii S. Joseph.

Die 2 Julii, celebratur Festum Visitationis B. Mariæ V., duplex 2 classis, et primarium ; si dies 3 Julii est dies Dominica, erit prima Julii, in qua celebrandum erit Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., duplex itidem 2 classis, sed secundarium ; Vesperæ dicentur integræ de Festo primario Visitationis B. Mariæ V., et Festi Pretiosissimi Sanguinis D. N., utpote tantum secundarii, fiet tantum Commemoratio.

Die 21 Martii celebratur Festum S. Benedicti, Abbatis, duplex majus, primarium ; supponitur concurrere cum sequenti Festo SS. Sindonis D. N. J. C., quod item est duplex majus, sed secundarium tantum : dicentur Vesperæ integræ de Festo primario S. Benedicti, cum Commemoratione tantum sequentis Festi SS. Sindonis.

Die 25 Septembris celebratur Festum S. Thomæ de Villanova, Episcopi et Confessoris, huic diei in Diœcesi Mechliniensi assignatum ex 18 Septembris ; est duplex minus, primarium ; concurrit cum sequenti Festo Impressionis SS. Stigmatum in corpore S. Francisci, diei 26 assignato ex 17 Septembris ; est item duplex minus, sed secundarium ; dicentur Vesperæ integræ de Festo S. Thomæ, cum Commemoratione sequentis secundarii.

4° Quando duo Festa sunt ejusdem ritus, ejusdem classis, et ejusdem qualitatis, tunc animadvertitur quodnam ex duobus sit personæ dignioris, juxta dignitatem intrinsecam personarum quæ in Festis recolun-

tur (Q. 104, IV) ; et dicuntur Vesperæ integræ de Festo personæ dignioris, cum Commemoratione numquam omissa Festi personæ minus dignæ. Tunc, ait Rubrica (Tit. XI, n. 2), « servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras ; sicuti Festa Beatæ Mariæ, Festis Sanctorum : item Festa Angelorum, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsi Beatæ Mariæ Virginis, et Apostolorum, cæteris aliis. » Pro cæteris aliis Sanctis nulla amplius fit dignitatis distinctio.

Nota. S. Rituum Congregatio, per Decretum 30 Julii-11 Augusti 1901, *Romana*, resolvit quod Festum S. Barnabæ, 11 Junii, duplex majus, ejusque Officium, in occurrentia et concurrentia cum Festis et Officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, cæteris paribus est præferendum, ratione dignitatis Apostolicæ. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 465.)

Exempla : Die 14 Maji, supponitur occurrere Festum Ascensionis Domini, duplex 1 classis, primarium ; die 15 Maji, celebratur Festum Diœcesanum S. Dympnæ, Virginis et Martyris, ritu duplici 1 classis, in locis quorum est Patrona, et in Ecclesiis quarum est Titularis ; est etiam hoc Festum primarium ; præterquam quod jam fiat ratione solemnitatis Festi, etiam ratione dignitatis personæ Christi Domini, dicentur integræ Vesperæ concurrentis Festi Ascensionis Domini, et S. Dympnæ fiet tantum Commemoratio.

Si Festum S. Joseph, duplex 1 classis, a 19 Martii transferri contigerit ob occursum Dominicæ Passionis in Feriam II sequentem (cfr. Q. 172, ad 8), in locis quorum S. Benedictus, Abbas, 21 Martii, est Patronus, in Ecclesiis quarum est Titulus, ubi celebratur hujus Sancti Festum ritu duplici 1 classis, concurrunt duo Festa ejusdem qualitatis ; rescripsit S. Rituum Congregatio, quod in casu « Vesperæ erunt de S. Joseph cum Commemoratione S. Benedicti. » (Decreta 24 Maji 1901, *Dubiorum,* ad 6 ; et 14 Junii 1901, *Ordinis S. Benedicti,* ad 2 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 400 et 402.) Etenim Festum S. Joseph, etsi translatum, non amittit ex eo sua jura tum Festi ex solemnioribus, tum personæ dignioris.

Die 4 Augusti, celebratur Festum S. Dominici, Confessoris ; die 5, Festum Dedicationis S. Mariæ ad Nives ; die 6, Festum Transfigurationis D. N. J. C ; tria hæc Festa sunt duplicia majora, et primaria ; habita ratione dignitatis personæ, dicuntur Vesperæ die 4 integræ de sequenti Festo Dedicationis S. Mariæ ad Nives, cum Commemoratione præcedentis Festi S. Dominici ; die 5, integræ de sequenti Festo Transfigurationis Domini, cum Commemoratione præcedentis.

5° Quando duo Festa sunt in omnibus æqualia, Vesperæ dimidiantur juxta regulam secundam in præcedenti responso ad Q. 186 datam.

Exempla : « Quando Dedicatio propriæ Ecclesiæ occurrit vel concurrit cum Festo Titulari ipsius Ecclesiæ, et Festum Titulare est Transfiguratio Domini vel SS. Redemptor, in occursu vel concursu quodnam est præferendum ? » Ad hoc dubium S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Quum enuntiatus Titulus sit Festum Domini, in occursu Festum Titulare præferendum est Dedicationi : in concursu Vesperæ dividantur. » (Decret. 4 Martii 1901, *Utinen.*, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 332.) — In casu enim utrumque Festum est ejusdem ritus et classis ; utrumque est primarium, nam etiamsi Festum SS. Redemptoris per se sit secundarium, quia Titulus est rationem habet Festi primarii (cfr. Q. 108, Nota II) ; utrumque est Festum Domini ; ergo prior pars Vesperarum dicetur de Dedicatione, a Capitulo fiet de Titulari, et dicetur Commemoratio præcedentis, nempe de Dedicatione.

Anno 1902 transferri debuit Festum Sacræ Familiæ Jesu, Mariæ et Joseph, duplex majus, et alicubi translatum fuit ad Feriam V post Cineres ; in secundis suis Vesperis concurrit cum primis Vesperis Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., cujus Officium apponitur Feria VI post Cineres ; datur concurrentia, et utrumque Festum est ejusdem ritus et classis, ejusdemque qualitatis nempe secundarium. S. Rituum Congregatio, cui dubium fuerat propositum circa ordinem Vesperarum in casu, rescripsit : « Dividantur Vesperæ juxta Rubricas. » (Decret. 4 Martii 1901, *Atrebaten* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 131.) Hoc Decreto S. Rituum Congregatio saltem implicite declarat, Festum Sacræ Familiæ esse Festum Domini ; ergo Festa concurrentia æqualia jam sunt etiam ratione dignitatis ; restat ut Vesperæ dividantur.

Die 18 Julii, celebratur Festum S. Camilli de Lellis, Confessoris, duplex minus ; die 19 Julii, Festum S. Vincentii a Paulo, Confessoris, item duplex minus ; sunt Officia æqualia quoad omnia ; concurrit Officium S. Camilli secundis suis Vesperis cum primis Vesperis Officii S. Vincentii ; Vesperæ incipientur ab Officio S. Camilli concurrentis, a Capitulo usque ad finem dicentur de Officio S. Vincentii, et addetur Commemoratio ex secundis Vesperis Officii S. Camilli.

Die 27 Septembris, celebratur Festum SS. Cosmæ et Damiani, Martyrum, semiduplex primarium ; concurrit cum sequenti Festo S. Wenceslai, Martyris, item semiduplici primario ; Vesperæ incipiuntur ab Officio SS. Martyrum, et a Capitulo dicuntur de sequenti Officio S. Martyris, cum Commemoratione præcedentis.

Nota. Præfatæ regulæ ritus, qualitatis et dignitatis,

in Concurrentia Festorum servandæ, eædem sunt quæ traditæ fuerunt pro casu Occurrentiæ (cfr. Q. 160, 1°, 2°, 3°) ; ibidem vero insuper data fuit præferentia Festo fixo præ mobili, et Festo magis proprio præ minus proprio (ibid., 4°, 5°). Hæc Rubrica tamen vim habet tantum in Occurrentia, non vero in Concurrentia.

Unde, concurrentibus duobus Festis quorum unum est fixum et aliud mobile, aut quorum unum est proprium seu magis proprium et aliud generale seu minus proprium, non sunt ex his rationibus Vesperæ integræ tribuendæ Festo fixo aut magis proprio cum Commemoratione tantum Festi mobilis aut minus proprii ; sed Vesperæ dicentur juxta regulas præferentiæ ob ritum, vel qualitatem, vel dignitatem.

Confirmantur dicta sequenti Decreto S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « An Festum fixum præ mobili et magis proprium præ minus proprio, quæ duo Festa in Occurrentia, ceteris paribus, præcedentiam habent juxta Rubricas generales Breviarii, Tit. X, n. 6, eadem gaudeant præcedentia etiam in Concurrentia ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 6 Maji 1899, n. 4021.)

Q. 188. *Da speciatim regulas pro Concurrentia Officii Dominicæ.*

R. Prænotatur quod Officium Dominicæ cujuscumque, majoris vel minoris, unam si excipias Dominicam in Albis, est ritus semiduplicis (Q. 118).

1° Si cum Dominicæ Officio concurrit Officium ritus duplicis, aut si Dominica concurrit cum Officio ritus duplicis, Vesperæ dicuntur integræ de Officio potioris ritus duplicis, cum Commemoratione Officii semiduplicis Dominicæ ; nonnumquam etiam absque ejusmodi Commemoratione, nempe si præstantia Officii duplicis quocum Dominica concurrit id exigit ; de qua omissione dicetur Q. 192.

Exempla : Die 7 Augusti celebratur Festum S. Cajetani, Confessoris, duplex minus ; supponitur esse Sabbatum, et concurrit cum sequenti Officio semiduplici Dominicæ, ex. gr., IX post Pentecosten ; Vesperæ dicuntur integræ de Festo S. Cajetani, cum Commemoratione sequentis Dominicæ.

Anno 1901, Dominica I in Quadragesima, major 1 classis, sed ritus semiduplicis, occurrit 24 Februarii, et de ea dicitur hac die Officium; concurrit cum sequenti Festo duplici minori S. Walburgis, Virginis (Officium proprium Diœcesis Mechliniensis); Vesperæ dicuntur integræ de sequenti Festo duplici S. Walburgis, cum Commemoratione tantum Dominicæ, etsi hæc sit major 1 classis, et etiamsi ipsa in Occurrentia prævaleret cuicumque Festo, et de facto prævaluit Festo duplici 2 classis S. Mathiæ, Apostoli.

2° Si cum Dominica concurrit Officium quodcumque ritus semiduplicis (nempe Festum semiduplex, aut dies infra Octavam, aut Officium Votivum) quod Sabbato dicitur, Dominica dividit suas Vesperas (primas, cfr. Q. 183) cum concurrenti Officio semiduplici. Vesperæ incipiuntur ab Officio semiduplici concurrente, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione præcedentis.

Ita statuitur quia Dominica proprie Psalmos in primis Vesperis non habet; ergo convenit, et quasi necesse est prosequi Officium semiduplex de quo actum est, et adhuc agitur.

Exempla: Die 27 Julii occurrit Festum semiduplex S. Henrici, Imperatoris, Confessoris (assignatum huic diei in Diœcesi Mechliniensi); supponitur sequentem diem esse Dominicam, et de ea fieri (ex. gr., anno 1901, die 28 Julii, fit de Dominica IX post Pentecosten); concurrit itaque Festum semiduplex S. Henrici cum Dominica; Vesperæ incipiuntur ab Officio S. Henrici, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione præcedentis.

Anno 1904, 10 Decembris, Sabbato, fit de tertia die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.; hoc Officium semiduplex secundarium concurrit cum sequenti Dominica III Adventus, majori 2 classis; Vesperæ incipiuntur ab Officio de die infra Octavam, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione Octavæ.

Anno 1904, 5 Martii, Sabbato dici potest Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritu semiduplici; concurrit cum sequenti Dominica III in Quadragesima, majori 2 classis; Vesperæ incipiuntur ab Officio Votivo, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione Officii Votivi præcedentis.

3° Si ipsa Dominica in suis Vesperis secundis concurrit cum Officio semiduplici quod Feria II celebratur, nempe cum sequenti Festo semiduplici, aut cum

die infra Octavam, aut cum Officio Votivo, in tali casu Dominica suas Vesperas secundas non dividit cum sequenti Officio semiduplici, sed habet Vesperas integras, cum Commemoratione sequentis Officii semiduplicis. Ita statutum est forsan ut ipsa dies Domino dicata, dies Domini, gaudeat aliquo privilegio in suo Officio.

Exempla : Supponitur die 12 Aprilis dici Officium de Dominica II post Pascha ; die 13 Aprilis celebratur Festum semiduplex S. Hermenegildi, Martyris ; secundæ Vesperæ Dominicæ dicentur integræ, et sequentis Festi semiduplicis S. Hermenegildi tantum fiet Commemoratio.

Anno 1900, 9 Decembris occurrit Dominica II Adventus, ejusque fit hac die Officium ; concurrit cum sequenti die tertia infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. ; Vesperæ dicuntur integræ de Dominica, cum Commemoratione sequentis diei infra Octavam.

Anno 1904, 13 Martii, occurrit Dominica IV in Quadragesima, ejusque fit hac die Officium ; concurrit cum sequenti Officio votivo de SS. Angelis, quod dicitur 14 Martii, ritu semiduplici ; Vesperæ dicuntur integræ de Dominica, cum Commemoratione sequentis Officii Votivi.

Q. 189. *Da speciatim regulas pro Concurrentia dierum infra Octavas.*

R. Prænotatur 1° quod, per Decretum 21 Februarii 1896 (n. 3886, ad 1), S. Rituum Congregatio rescripsit dies infra Octavas tamquam secundarias esse habendas (Q. 147).

Prænotatur 2° quod in responso ad Q. 184 expositum fuit quo sensu dici possit Officium præcedentis Festi duplicis vel semiduplicis, aut Dominicæ concurrere cum sequenti die infra Octavam, cujus Officium incipit tantum ad Matutinum.

1° In Concurrentia diei infra Octavam cum Officio ritus duplicis, aut Officii ritus duplicis cum die infra Octavam, Officium duplex habet Vesperas integras, et diei infra Octavam tantum fit Commemoratio ; hæc quidem aliquando omittitur, ut dicetur Q. 192.

2° In Concurrentia cum Officio Dominicæ distinguendum est, scilicet : si ipsa dies infra Octavam concurrit cum sequenti Dominica, dimidiantur Vesperæ ; si Dominica concurrit cum sequenti die infra Octa-

vam, Dominica habet Vesperas integras, cum Commemoratione sequentis diei infra Octavam. (Cfr. Q. præcedens 188, ad 2° et 3°.)

3° In Concurrentia cum Festo semiduplici sive primario, sive secundario, Vesperæ dicuntur integræ de Festo semiduplici, cum Commemoratione solummodo diei infra Octavam, quæ secundaria tantum est.

Exempla : Die 10 Decembris, fit Officium de tertia die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.; 11 Decembris, celebratur Festum S. Damasi, Papæ et Confessoris, semiduplex ; Vesperæ dicuntur integræ de Festo S.Damasi, cum Commemoratione tantum præcedentis diei infra Octavam. — Pro hac Concurrentia corrigenda sunt omnia Breviaria ante annum 1897 impressa; nam antea Vesperæ in casu dividebantur, cum dies infra Octavam habebatur tamquam ejusdem ordinis cum Festo semiduplici quocumque.

Die 5 Septembris, celebratur Festum S. Laurentii Justiniani, Episcopi et Confessoris, semiduplex ; anno 1898, die sequenti in Diœcesi Mechliniensi fit de die infra Octavam SS. Angelorum Custodum ; Vesperæ dicuntur integræ de Festo S. Laurentii, cum Commemoratione sequentis diei infra Octavam.

Nota. Dies infra Octavam cum Festo simplici proprie non habet concursum ; quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici nisi Commemoratio, quæ et eadem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet. (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 6.)

Q. 190. *Da speciatim regulas pro Concurrentia diei Octavæ.*

R. Prænotatur 1° quod, per Decretum 21 Februarii 1896 (n. 3886, ad 2), S. Rituum Congregatio rescripsit diem Octavam esse primariam, vel secundariam, prout Festum ad quod ipsa pertinet primarium, vel secundarium est (Q. 147).

Prænotatur 2° quod de die Octava Octavarum communium aliter dicendum est in Concurrentia quam in Occurrentia. Etenim, in Occurrentia, etiamsi ritus duplicis minoris tantum sit hujusmodi dies Octava, non tamen cedit locum nisi Festo duplici 2 classis (Q. 159), et consideratur ad instar Duplicis majoris veluti privilegiati ; quando autem de Concurrentia agitur, dies Octava Octavarum omnium consideratur tamquam du-

plex minus, nullo modo privilegiatum, nisi pro quibusdam Festis, ut infra in responso dicetur.

Regulæ dantur sequentes :

1° Dies Octava cujuscumque Festi, in Concurrentia cum Festo duplici 1 vel 2 classis, præcedenti vel sequenti, habet tantum Commemorationem in Vesperis integris Festi duplicis 1 aut 2 classis. In quodam casu quidem, omittitur hæc diei Octavæ Commemoratio, ut dicetur Q. 192 (1°, a).

2° Dies Octava Festi Domini quod primarium est, et solemnius seu duplex 1 classis, in Concurrentia cum præcedenti aut sequenti Festo duplici minori, imo duplici majori quocumque, Vesperas utrasque habet integras, cum Commemoratione Duplicis majoris vel minoris. In casu Concurrentiæ ista dies Octava toto jure gaudet ritu duplici majori, et ideo ratione qualitatis et dignitatis prævalet Festo duplici majori concurrenti. Hæc præferentia diei Octavæ hujusmodi tributa fuit ob reverentiam Festis seu Mysteriis Domini debitam.

Exempla : Si dies Octava Ascensionis Domini occurrerit die 10 Junii, concurret in Vesperis cum sequenti Festo duplici majori S. Barnabæ Apostoli, quod celebratur die 11 Junii ; Vesperæ dicentur integræ de die Octava Ascensionis, cum Commemoratione tantum Festi sequentis S. Barnabæ.

Similiter dies Octava Epiphaniæ Domini, 13 Januarii, concurrens cum sequenti Festo duplici minori S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, habebit Vesperas integras, cum Commemoratione tantum sequentis.

Nota. I. Animadvertendum est, quod Vesperæ integræ in Concurrentia cum Festo duplici majori dantur tantum diebus Octavis Festorum Domini primariorum, et solemniorum seu 1 classis ; non autem diebus Octavis omnium Festorum solemniorum Ecclesiæ universalis quæ recensentur Q. 187, 2°.

Rubricæ enumerant dies Octavas hujusmodi sequentium Festorum (Tit. XI, n. 7 ; et in Tabella concurrentiæ) : Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, SS. Corporis Christi ; addito : « aliorumque », « si primaria fuerint et solemniora ». Horum aliorum Festorum sequentia possunt indicari :

S. Rituum Congregatio declaravit quod in iis Ecclesiis, in quibus Festum SS. Trinitatis celebratur ritu

duplici 1 classis cum Octava, concurrentibus Vesperis diei Octavæ ejusdem cum sequenti duplici majori, Vesperæ debent fieri integræ de die Octava cum Commemoratione sequentis Duplicis majoris. (Decret. 13 Septembris 1704, n. 2145, antiq. 3706.)

Rescripsit item S. Rituum Congregatio, quoad diem Octavam Dedicationis propriæ Ecclesiæ, quod in concursu cum Festis Transfigurationis Domini, vel Dedicationis Basilicarum SS. Salvatoris et SS. Apostolorum Petri et Pauli (quæ Festa sunt duplicia majora, primaria et Domini), « dies Octava Dedicationis Ecclesiæ propriæ non cedit juxta Rubricas nisi Duplici 2 classis » (Decret. 4 Martii 1901, *Utinen.*, ad 2), et quod « Vesperæ erunt de die Octava cum Commemoratione de sequenti » (Decret. 24 Martii 1901, *Dubiorum*, ad 7. -- Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 332, 400.)

Consequenter iisdem juribus gaudebunt, in Concurrentia cum Festo duplici majori, dies Octavæ Festorum Transfigurationis Domini, SS. Crucis, Sacratissimi Cordis Jesu, in iis Ecclesiis quarum hæc Mysteria sunt Tituli, quia sunt dies Octavæ Festorum duplicium 1 classis, quæ primaria sunt ratione Tituli, et quæ sunt Festa Domini. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 506.)

Nota. II. Si alicubi Festum Domini duplex 1 classis, sed secundarium, cum Octava celebraretur, quia tunc dies Octava etiam est secundaria, dicendum est in Concurrentia hujusmodi diei Octavæ cum Festo duplici majori, imo cum festo duplici minori primario, præferendas esse Vesperas Duplicis majoris et minoris primarii, et diei Octavæ secundariæ faciendam esse tantum Commemorationem.

Etenim ad dubium : « An privilegium, quod Rubricæ generales Breviarii tribuunt Octavis Festorum Domini...., ut nempe illæ cedant tantum in concursu Duplicibus secundæ classis,..... intelligendum sit de solis Octavis ad Festa primaria pertinentibus ? vel de Octavis quibuscumque ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, quoad primam partem ; Negative, quoad secundam. » (Decret. 22 Maji 1896, n. 3908, ad 2.)

Animadvertendum igitur est pro die Octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, quod certo juribus duplicis majoris gaudet in Ecclesiis propriis consecratis; sed S. Rituum Congregatio rescripsit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum esse Festum secundarium pro illis Ecclesiis quæ consecratæ non sunt (Decret. 24 Maji 1901, *Dubiorum,* ad 3; cfr. Q. 108); ibi dies Octava erit etiam qualitatis secundariæ tantum; sequitur quod in concursu cum Festo duplici majori hæc dies Octava secundaria non gaudet privilegio in istis Ecclesiis et jus non habet ad Vesperas integras, quæ tribuendæ sunt Festo duplici majori, facta Commemoratione tantum diei Octavæ Dedicationis; imo eadem solutio applicanda erit in concursu cum Festo duplici minori primario.

3° Dies Octava alicujus Sancti, etiam B. Mariæ V., in Concurrentia cum aliquo Festo duplici majori, etiam secundario, habet tantum Commemorationem in Vesperis integris Duplicis majoris.

Exemplum: Die 14 Septembris celebratur Festum Exaltationis S. Crucis, duplex majus, secundarium; concurrit cum sequenti die Octava Nativitatis B. Mariæ V. (15 Septembris); Vesperæ dicuntur integræ de Festo Exaltationis S. Crucis, cum Commemoratione tantum sequentis diei Octavæ Nativitatis B. Mariæ V.

4° Dies Octava Festi alicujus Sancti qui prævalet dignitate personali (Q. 104, IV), nempe B. Mariæ Virginis, necnon SS. Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsi B. Mariæ V., et SS. Apostolorum, si Festum Octavæ primarium est, in Concurrentia cum Festo duplici minori quocumque præcedenti aut sequenti, utrasque Vesperas habet integras, cum Commemoratione Duplicis minoris. (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 7; et Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896, n. 3908, ad 3.)

Exempla: Dies Octava Assumptionis B. Mariæ V., die 22 Augusti, concurrens cum sequenti Festo duplici minori S. Philippi Benitii, Confessoris, habebit integras Vesperas, cum Commemoratione tantum sequentis.

Anno 1904, die 11 Septembris, celebratur in nostra Diœcesi dies Octava SS. Angelorum Custodum; concurrit cum sequenti Festo Diœcesano S. Guidonis, Confessoris, quod ritu duplici celebratur die 12 Septembris; Vesperæ dicuntur integræ de die Octava SS. Angelorum cum Commemoratione sequentis Festi S. Guidonis.

Die 5 Julii, celebratur Festum duplex minus S. Antonii Ma-

riæ Zaccaria, Confessoris ; concurrit cum die Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli ; Vesperæ debent dici integræ de sequenti die Octava SS. Apostolorum, cum Commemoratione tantum præcedentis Duplicis minoris. Item debent dici Vesperæ integræ de eadem die Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli in ipsa die Octava quæ concurrit cum sequenti Festo duplici minori SS. Cyrilli et Methodii, Pontificum et Confessorum, quod celebratur 7 Julii, horumque fiet tantum Commemoratio.

Nota. Privilegium quod Rubricæ generales Breviarii tribuunt Octavis Deiparæ, ut nempe illæ in concursu cedant solis Duplicibus majoribus, præferentiam vero habeant super Duplicibus minoribus, intelligendum est de solis Octavis ad Festa primaria pertinentibus, non vero de Octavis quibuscumque. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896, n. 3908, ad 2.) Quod in Decreto statuitur pro Octavis B. Mariæ V., applicari etiam debet Octavis diebus reliquorum Sanctorum qui in hac regula supra recensentur.

5° Dies Octava Festi alicujus Sancti (exceptis Festis illorum Sanctorum qui dignitate prævalent et supra sub 4° recensentur) :

a) si Festum Octavæ primarium est, in Concurrentia cum Festo duplici minori primario dividit Vesperas cum Festo duplici ; — in Concurrentia cum Festo duplici minori secundario habet Vesperas integras, cum Commemoratione Festi duplicis ;

b) si Festum Octavæ secundarium est, sive sit B. Mariæ V., sive sit Sanctorum dignitate prævalentium, sive sit Sanctorum quorumcumque, in Concurrentia cum Festo duplici minori primario habet tantum Commemorationem in Vesperis integris Festi duplicis ; — in Concurrentia cum Festo duplici minori secundario, dividit Vesperas cum Festo duplici.

Casus frequentior est Concurrentia diei Octavæ Festi alicujus Sancti primarii cum Festo duplici minori primario, in quo casu, ut dictum est, dimidiantur Vesperæ.

Exempla : Die 7 Novembris celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum S. Willibrordi, Episcopi et Confessoris, duplex, primarium ; concurrit in secundis Vesperis cum primis Vesperis diei Octavæ Festi Omnium Sanctorum, quod Festum ex solemnioribus Ecclesiæ universalis est (Q. 187, 2°) ; utrumque

Officium est æqualis ritus duplicis minoris et ejusdem qualitatis primariæ : Vesperæ dimidiantur, nempe incipiuntur ab Officio S. Willibrordi, et a Capitulo dicuntur de sequenti die Octava Omnium Sanctorum, addita Commemoratione præcedentis Festi S. Willibrordi. — Ita ordinandas esse in casu Vesperas rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 10).

Ubi S. Martinus, Episcopus et Confessor, est Patronus loci vel Titularis Ecclesiæ, dicitur 18 Novembris Officium de die Octava S. Martini, ritu duplici; die 19 Novembris celebratur Festum S. Elisabeth, Viduæ, ritus duplicis ; concurrit Officium duplex diei Octavæ S. Martini, secundis suis Vesperis, cum Vesperis primis Officii S. Elisabeth ; utrumque Officium est æqualis ritus, et ejusdem qualitatis primariæ; Vesperæ incipiuntur ab Officio de die Octava S. Martini, dicuntur a Capitulo de S. Elisabeth, et additur Commemoratio præcedentis diei Octavæ S. Martini.

6° Die Octava concurrente cum alia die Octava :

a) Si Festum unius Octavæ prævalet alteri classe, qualitate, aut dignitate, Vesperæ integræ dicuntur de die Octava Festi prævalentis, cum Commemoratione alterius.

Exempla : Concurrente die Octava SS. Corporis Christi cum sequenti die Octava S. Joannis Baptistæ, ratione dignitatis dicuntur Vesperæ integræ de die Octava SS. Corporis Christi et de sequenti fit tantum Commemoratio. (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 7.)

Anno 1901, die 17 Novembris, fit in Diœcesi Mechliniensi de die Octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, quod est Festum Domini ; ubi S. Martinus est loci Patronus, die sequenti, 18 Novembris, fit de die Octava Patroni ; concurrit dies Octava Dedicationis cum sequenti die Octava S. Martini ; item ratione dignioris Festi Domini dicuntur Vesperæ integræ de die Octava Dedicationis, et de sequenti fit tantum Commemoratio.

Die 2 Januarii celebratur dies Octava S. Stephani Protomartyris ; et die sequenti, 3 Januarii, dies Octava S. Joannis Apostoli et Evangelistæ ; concurrit dies Octava S. Stephani in secundis Vesperis cum primis Vesperis diei Octavæ S. Joannis ; S. Joannes Apostolus dignitate prævalet S. Stephano ; ergo juxta regulam datam Vesperæ diei 2 Januarii dicendæ forent integræ de sequenti die Octava S. Joannis cum Commemoratione præcedentis diei Octavæ S. Stephani. Sed Breviarii Rubricæ particulares ad hæc Officia præscribunt Vesperas esse dimidiandas, et a Capitulo tantum debere dici de S. Joannis die Octava. — S. Rituum Congregatio hac super re interrogata, respondendum censuit : « Servetur in casu Rubrica specialis Breviarii Romani. » (Decret. 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 1.) Non paucæ sunt Rubricæ speciales hoc tempore Nativitatis, inde a Festo S. Stephani, quæ exceptiones statuunt ad Rubricas generales tum Breviarii tum Missalis, et quas Ecclesia retinuit.

b) Si autem utrumque Festum Octavæ est in omnibus æquale, Vesperæ dimidiantur: « die Octava concurrente cum alia die Octava, ceteris paribus, a Capitulo fit de sequenti cum Commemoratione præcedentis. » (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 7.) — Hujusmodi Concurrentiæ exemplum in nostro Kalendario non datur.

Q. 191. *Da speciatim regulas pro Concurrentia Officiorum Votivorum.*

R. Quæstio ponitur pro Officiis Votivis per hebdomadam diebus liberis concessis, de quibus agitur in Tractatus Parte III, Sectione I, § 7, QQ. 149-154.

1° In Concurrentia Officii Votivi cum quocumque Festo ejusdem ritus, tum primario, tum etiam secundario, prævalent semper Vesperæ Festi, quæ integræ dicuntur, et fit tantum Commemoratio Officii Votivi. (Decreta S. Rituum Congregationis, 23 Augusti 1895, n. 3870; et 30 Novembris 1895, n. 3875, ad II, 2.)

Exempla : Quando Littera Dominicalis est C, 15 Octobris in qua celebratur Festum duplex S. Teresiæ, Virginis, est Feria VI; dies 16 Octobris, Sabbatum, est dies libera, et dicitur Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritu item duplici (cf. QQ. 150, 152); nulla habita ratione dignitatis personæ B. Mariæ V., dicuntur Feria VI Vesperæ integræ de Festo S. Teresiæ, et fit tantum Commemoratio Officii Votivi.

Eodem anno, 25 Augusti, Feria IV, celebratur Festum S. Ludovici, Regis et Confessoris, semiduplex; Feria V sequenti, 26 Augusti, die libera, dicitur Officium Votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici; dicuntur Feria IV Vesperæ integræ de Festo S. Ludovici, cum Commemoratione sequentis Officii Votivi de SS. Sacramento.

2° Officia Votiva inter se concurrentia, si sint ejusdem ritus, dividunt semper Vesperas, ita ut initium dicatur de concurrenti, et a Capitulo fiat de sequenti, cum Commemoratione præcedentis.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 14 Augusti 1894 (n. 3837), quo distinctio qualitatis Festorum etiam extensa confirmabatur ad Officia duplicia minora et semiduplicia, quidam censebant distinctionem dignitatis personarum etiam applicandam esse Officiis Votivis, ita ut si, ex. gr., Feria IV diceretur Officium Votivum de S. Joseph, et Feria V Officium Votivum

de SS. Sacramento (utrumque est semiduplex), Vesperæ essent integræ de SS. Sacramento, cum Commemoratione tantum præcedentis S. Joseph ; S. Rituum Congregatio, Decreto 22 Maji 1896 (n. 3908, ad 1), rescripsit Vesperas in casu semper debere dividi ; itaque in casu, Feria IV initium Vesperarum dicetur de S. Joseph, et a Capitulo de SS. Sacramento, cum Commemoratione præcedentis S. Joseph.

3° De Concurrentia Officii votivi cum Dominica jam fuit dictum Q. 188, 2° et 3°.

Nota. Placet hic loci Quæstionem ponere de Officio Votivo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. concurrente cum Dominica de Passione. Etenim Officia Votiva prohibentur recitari tempore Passionis (Decret. S. Rituum Congregationis 5 Julii 1883, n. 3581, antiq. 5879 ; cfr. Q. 151) ; sed tempus Passionis incipit a Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis ; unde dicerres de Officio Votivo fieri posse tantum usque ad Nonam inclusive, et Vesperas debere esse integras de Dominica absque Commemoratione quidem præcedentis Officii Votivi.

Sed dicendum est Vesperas, de quibus in casu, debere esse de Officio Votivo Immaculatæ Conceptionis usque ad Capitulum, et a Capitulo de Dominica Passionis cum Commemoratione præcedentis Officii Votivi. Ita resolutum fuit a S. Rituum Congregatione pro casu simili circa Vesperas Sabbati ante Dominicam primam Adventus, proposito eo tempore quo Officia Votiva prohibita erant in Adventu. (Decret. 12 Septembris 1857, n. 3059, antiq. 5251, ad 13.) Sententiam probatam proponunt Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 396.

Q. 192. *Juxta primam regulam traditam Q. 186, cum Vesperæ integræ dicuntur de majore, fit ordinarie Commemoratio minoris ; nonnumquam tamen, id exigente præstantia majoris, Commemoratio minoris omittitur ; quandonam hoc accidit ?*

R. Hæc minoris Officii Commemoratio omittitur aliquando in casu Concurrentiæ minoris Officii cum Festo duplici primæ vel secundæ classis, idque ex motivo

excellentiæ hujusmodi Festorum, quæ, sicut in Occurrentia rejiciunt Commemorationem aliquorum occurrentium Officiorum (Q. 164), ita et in Concurrentia quoque privilegio gaudent, ut solummodo de eis fiat, sine adjunctione quorumdam concurrentium ; et cum Concurrentia in solis Vesperis locum habeat, et in Festis primæ Vesperæ sint secundis nobiliores (Q. 63), in Concurrentia Vesperæ primæ majori gaudent exclusionis privilegio, quam secundæ, ut ex sequentibus regulis patebit.

1° a) Festum duplex 1 classis, in primis suis Vesperis, rejicit Commemorationem cujuscumque præcedentis seu concurrentis Officii ; excepto si præcedens sit Festum duplex 2 classis, aut dies Octava alicujus Festi Domini, aut Dominica major.

Et ita speciatim pro nonnullis diebus Octavis Festorum Domini S. Rituum Congregatio conformiter huic Regulæ statuit :

Ad dubium : « In primis Vesperis Festi duplicis 1 classis Commemoratio diei Octavæ Dedicationis propriæ Ecclesiæ, cujus Officium mane persolutum fuit, faciendane est vel omittenda ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam. » (Decret. 24 Maji 1901, *Dubiorum*, ad 9.)

Ad dubium : « Quando concurrit dies Octava SS. Trinitatis cum sequenti Festo duplici 1 classis, debetne fieri Commemoratio Octavæ prædictæ ? » Responsum S. Congregationis describitur in Collectione sequens : « Negative ; et servetur Rubrica de Concurrentia. » (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, antiq. 5929, ad 7.) Nihilominus Ephemerides Liturgicæ innuunt responsioni « Negative » sufficiendum esse verbum « Affirmative », et Rubricam quæ in Decreto servanda dicitur, illam esse quæ ex Decreto 2 Decembris 1897 reformata prostat post Tabellam Concurrentiæ. (Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 338 ; et XVII, 1903, pag. 510.)

Exempla : Die 30 Junii, dicitur Officium Commemorationis S. Pauli, duplex majus ; die 1 Julii celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, ritu duplici

1 classis ; Vesperæ dicuntur integræ de S. Rumoldo, sine Commemoratione S. Pauli.

Die 14 Maji, supponitur celebrari dies Octava Ascensionis Domini ; die 15 Maji celebratur Festum S. Dympnæ, Virginis et Martyris, duplex 1 classis in locis quorum est Patrona, aut in Ecclesiis quarum est Titularis ; Vesperæ ibi dicentur de sequenti Festo S. Dympnæ, cum Commemoratione diei Octavæ Ascensionis Domini.

Die 29 Junii, celebratur Festum duplex 1 classis SS. Apostolorum Petri et Pauli ; supponitur esse Feriam II, et die præcedenti, 28 Junii, factum fuisse Officium de Dominica VI post Pentecosten ; Vesperæ erunt de Festo SS. Petri et Pauli, absque Commemoratione præcedentis Dominicæ communis.

Die 8 Decembris, celebratur Festum duplex 1.classis Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. ; supponitur esse Feriam II, et die præcedenti, 7 Decembris, factum fuisse Officium de Dominica II Adventus ; Vesperæ erunt de Festo Immaculatæ Conceptionis, sed cum Commemoratione præcedentis Dominicæ majoris.

b) **Festum duplex 1 classis, in secundis suis Vesperis,** rejicit Commemorationem tantum sequentis Festi simplicis, aut sequentis diei infra Octavam communem.

Exempla : Die 7 Novembris, celebratur Festum Diœcesanum S. Willibrordi, Episcopi et Confessoris, duplex minus ; in locis quorum est Patronus, et in Ecclesiis quarum est Titularis, ejus Festum est duplex 1 classis ; die sequenti, 8 Novembris, fit Officium de die Octava Omnium Sanctorum, cum Commemoratione occurrentis Festi simplicis SS. Quatuor Coronatorum, Martyrum. In secundis Vesperis S. Willibrordi, Patroni aut Titularis, fiet quidem Commemoratio sequentis diei Octavæ, sed non Festi simplicis.

Supponitur Dominicam III post Pascha occurrere aliquo anno 26 Aprilis ; in ea celebratur Festum Patrocinii S. Joseph, duplex 1 classis in Diœcesi Mechliniensi ; et die sequenti, 27 Aprilis, fieri Officium de die infra Octavam S. Georgii, Martyris, in locis quorum est Patronus, et in Ecclesiis quarum est Titularis ; in secundis Vesperis Festi Patrocinii S. Joseph, nulla fiet Commemoratio de die infra Octavam S. Georgii, etiamsi die sequenti de ea fiat Officium.

2° a) **Festum duplex 2 classis, in primis suis Vesperis,** rejecit Commemorationem tantum præcedentis Festi semiduplicis, Dominicæ communis, et diei infra Octavam communem ; omnem aliam concurrentis Officii Commemorationem admittit.

Exempla : Die 28 Septembris, celebratur Festum semidu-

plex S. Wenceslai, Ducis et Martyris; die 29 Septembris, celebratur Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli, duplex 2 classis; Vesperæ dicentur de sequenti, sine Commemoratione præcedentis.

Anno 1904, Festum S. Jacobi Apostoli, duplex 2 classis, quod celebratur 25 Julii, occurrit in Feria II; pridie dictum fuit Officium de Dominica IX post Pentecosten, quæ est Dominica communis; die Dominica dicentur Vesperæ primæ de Festo S. Jacobi, et nulla fiet Dominicæ præcedentis Commemoratio.

Anno 1902, Festum S. Mathiæ Apostoli, duplex 2 classis, quod celebratur 24 Februarii, occurrit in Feria II; pridie dictum fuit Officium de Dominica II in Quadragesima, quæ est Dominica major 2 classis; die Dominica dictæ fuerunt Vesperæ primæ de Festo S. Mathiæ; sed præcedentis Dominicæ majoris fuit facta Commemoratio.

b) **Festum duplex 2 classis, in secundis suis Vesperis,** admittit jam omnem cujuscumque Officii sequentis Commemorationem, præter unam, scilicet sequentis diei infra Octavam communem; attamen, si die sequenti de die infra Octavam communem fiat Officium, et non tantum Commemoratio, etiam in secundis Vesperis Festi duplicis 2 classis ejus instituetur Commemoratio. (Cfr. Q. 164, ad 3^{um}.)

Exemplum: Anno 1903, die 2 Julii, Feria V, celebratur Festum Visitationis B. Mariæ V., duplex 2 classis; omissa fuit in hoc Festo, ratione ritus duplicis 2 classis, Commemoratio utriusque diei infra Octavam tum SS. Apostolorum Petri et Pauli, tum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, quæ in Diœcesi Mechliniensi occurrunt (cfr. Q. 164, ad 3^{um}); sequenti Feria VI, die 3 Julii, pro Diœcesi Mechliniensi præscribitur Officium de 5 die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Commemoratio de die infra Octavam S. Rumoldi; Vesperæ die 2 Julii dicuntur secundæ Festi Visitationis B. Mariæ V.; nihil fiet in eis de Octava S. Rumoldi, sed dicetur Commemoratio de die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, quia die sequenti de ea fit Officium.

Ex his diversis exemplis patet, quod notatum fuit Quæstione 164 in Nota, quomodo Officia quædam quæ in Occurrentia jus habent ad Commemorationem, possint illud jus amittere in suis Vesperis propter Concurrentiam; singulare quidem videtur, exempli gratia, Dominicam communem, quæ in Occurrentia semper, etiamsi occurrat Festum duplex 1 classis, jus retinet ad Commemorationem in utrisque Vesperis, in Matutino

et in Laudibus, jus ad Commemorationem pro suis secundis Vesperis amittere, si concurrerit cum Festo duplici 1 vel 2 classis; item Festa duplicia minora et semiduplicia, ad instar Simplicis redacta, quæ in Occurrentia plerumque jus habent ad Commemorationem (Q. 163), in Concurrentia jus amittere, duplicia quidem si sequitur Festum Duplex 1 classis, semiduplicia autem, si sequitur Festum duplex 2 classis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Aprilis 1875, n. 3352, antiq. 5607, ad 8.)

His itaque exceptis, cæterorum omnium Officiorum concurrentium tam active quam passive, numquam omittitur Commemoratio.

Nota. Infra Octavam Nativitatis Domini plura celebrantur Festa duplicia 2 classis, in quibus regulæ Occurrentiæ et Concurrentiæ, quoad Commemorationem dierum infra Octavam non observatæ reperiuntur; animadvertendum est, per totam hanc Nativitatis Domini Octavam singularia quædam præscribi quoad Officiorum ordinem, quæ exceptiones constituunt non in exemplum producendas.

Q. 193. *Cum juxta Rubricas de eodem Sancto, vel Mysterio bis fieri Commemoratio prohibeatur, quomodo ordinandæ erunt Vesperæ, si duo Officia de eodem Sancto, vel Mysterio concurrant?*

R. Prænotatur quod ubi duo Officia de eodem Sancto concurrunt, adest identitas subjecti, quæ sufficiens est ut de eodem bis non fiat. Et ita ubi concurrunt duo Festa quæcumque de B. Maria V., de utroque in Vesperis fieri nequit. Ita etiam concurrente Officio Sacræ Familiæ Jesu, Mariæ et Joseph, in quo recolitur subjectum complexum, nempe præter Dominum B. Maria V. et S. Joseph, cum alio Officio B. Mariæ V. vel S. Joseph, de utroque in Vesperis fieri non potest, ne bis fiat Commemoratio ejusdem B. Mariæ V. vel S. Joseph.

Quando autem duo Officia Domini concurrunt, potest fieri quod eadem Officia ad idem Mysterium referantur; adest tunc identitas subjecti et objecti, quæ requiritur ut de eodem bis fieri non possit; qualis identitas habetur in Officiis de SS. Sacramento concurren-

tibus cum Officiis de Passione Domini, de S. Cruce, de Sacro Corde Jesu, de Pretiosissimo Sanguine Domini, SS. Redemptoris. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Julii 1896, n. 3924, ad 4.) — Ast fieri etiam potest quod Officia Domini concurrentia pertineant ad diversa Mysteria, quæ non sunt eadem juxta eumdem respectum et rationem eamdem, puta Ascensionis, Transfigurationis, SS. Corporis Christi, etc.; in tali casu non adest utraque identitas requisita subjecti et objecti, et de utroque quidem fieri debet. Quod confirmatur Decreto S. Rituum Congregationis, 4 Martii 1901, *Atrebaten.*, quo rescripsit in concursu Festi Sanctæ Familiæ Nazarenæ cum primis Vesperis Sacræ Coronæ Spineæ Domini nostri, dividendas esse Vesperas juxta Rubricas; adest enim identitas subjecti in utroque Festo Domini, sed non adest identitas objecti, et ideo de utroque est faciendum. Quibus prænotatis, respondetur :

Quando concurrunt duo Festa vel Officia ejusdem Sancti, — vel duo Festa vel Officia Domini quæ versantur in eodem Mysterio, seu in quibus adest identitas subjecti et objecti —, tunc :

1° Si Festa vel Officia sunt inæqualia ratione ritus, vel qualitatis, vel dignitatis, Vesperæ fiunt integræ de Festo vel Officio quod est potioris ritus, aut primarium, aut dignius ratione personæ, et alterius nulla fit Commemoratio.

Exempla : Anno 1899, die 22 Januarii, Dominica III post Epiphaniam, Festum duplex majus Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, concurrit in Diœcesi Mechliniensi cum Festo Desponsationis B. Mariæ V. Ratione dignioris personæ Domini Vesperæ dictæ fuerunt integræ de Festo Sacræ Familiæ; sed cum in hoc Mysterio honorentur etiam B. Maria V. et S. Joseph, ne bis fiat de eisdem subjectis declaravit S. Rituum Congregatio Commemorationem sequentis Festi Desponsationis esse omittendam. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4042, ad 3.)

Anno 1900, Sabbato, 15 Septembris, celebratur dies Octava Nativitatis B. Mariæ V.; concurrit dies Octava cum primis Vesperis Festi Septem Dolorum B. Mariæ V., duplicis majoris, celebrati in Dominica III Septembris; prævalet Festum Septem Dolorum, et de eo dicuntur Vesperæ integræ (Q. 190, 3°), de die Octava Nativitatis vero nulla amplius fit Commemoratio.

Anno 1897, die 11 Septembris, fit Officium de 4 die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V.; dies sequens, 12 Septem-

bris, est Dominica, in qua celebratur Festum mobile SS. Nominis B. Mariæ V., duplex majus ; Vesperæ erunt integræ de sequenti, sine Commemoratione præcedentis diei infra Octavam.

Anno 1904, 3 Martii, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, semiduplex ; 4 Martii, Feria VI post Dominicam II in Quadragesima, celebratur Festum Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C., duplex majus ; Vesperæ dicuntur integræ de sequenti duplici majori, et de præcedenti Officio votivo nulla fit in Vesperis Commemoratio. (Decreta S. Rituum Congregationis, 18 Julii 1884, n. 3612, ad 2, antiq. 5914, ad 3 ; et 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 2.)

2° Si Festa vel Officia sunt in omnibus æqualia, Vesperæ fiunt integræ de Festo vel Officio præcedenti, et nulla fit Commemoratio sequentis.

Exempla : Supponitur concurrere duo Officia de Passione Domini in Quadragesima, ex. gr., Officium SS. Sindonis D. N. J. C. translatum fuit de Feria VI post Dominicam II in Quadragesima ad Feriam V sequentem, et in Vesperis concurrit cum primis Vesperis Officii SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., celebrandi Feria VI post Dominicam III in Quadragesima. Hæc duo Officia sunt æqualia in ritu, classe, qualitate et dignitate. Tunc Vesperæ dicuntur integræ de præcedenti Officio SS. Sindonis, et de sequenti Officio SS. Quinque Vulnerum nihil fit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Aprilis 1840, n. 2802, ad 5, antiq. 4878, ad 7.)

Anno 1902, 17 Aprilis, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, semiduplex ; die sequenti, 18 Aprilis, Feria VI, dicitur Officium votivum de Passione D. N. J. C., item semiduplex ; est hæc Concurrentia Officiorum æqualium ; Vesperæ Feria V dicuntur integræ de præcedenti Officio SS. Sacramenti, et in Vesperis ejus nihil fit de sequenti Officio Passionis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, Dubium IV.)

Nota. Singularis est quæ fuit statuta dispositio in Concurrentia diei Octavæ SS. Corporis Christi, quæ ritus duplicis minoris tantum est, cum sequenti Festo SS. Cordis Jesu, quod ritu duplici 1 classis gaudet : etenim per Decretum Urbis et Orbis, 28 Junii 1889 (n. 3712), præscribitur ut « Vesperæ integræ fiant de eadem Octava, sine ulla Commemoratione, attenta indole peculiari utriusque Festi. » In utroque enim Festo præcipue amor Jesu recolitur, qui utriusque est objectum. Et Vesperæ de die Octava debent dici integræ absque Commemoratione sequentis Festi Sacratissimi Cordis Jesu, etiam in iis Ecclesiis quarum SS. Cor Jesu

est Titulus, et proinde ejus Festum est primarium per accidens. (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 11.) Servata Concurrentiæ lege, diceres potius debere fieri de sequenti; attamen sapientius visum fuit, classis consideratione postposita, illi Officio dare prælationem, quod magis est substantiale; siquidem in SS. Eucharistia SS. Christi Cor continetur; et insuper de hoc nonnisi symbolum publico cultui exponitur, dum de illo habemus et feliciter ipsissimam realem præsentiam. Vesperæ insuper de præcedenti respondent quasi Vesperis de sequenti, unde tamquam ritus duplicis 1 classis considerantur, adeo ut Festi duplicis ad instar Simplicis redacti Commemorationem excludant. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 445.) Ideo, ex. gr., anno 1902, 5 Junii, facta in primis Vesperis diei Octavæ SS. Corporis Christi, et in Laudibus Commemoratione occurrentis Festi S. Bonifacii, Episcopi et Martyris, duplicis ad instar Simplicis redacti, hujus Commemoratio omissa fuit in secundis Vesperis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Maji 1890, n. 3731, ad 2.)

Q. 194. *Quis ordo servandus est inter Commemorationes, quando plures ratione Concurrentiæ in Vesperis faciendæ sunt?*

R. Prænotatur 1°: Sicuti plura eadem die occurrere possunt Officia, et de uno tantum eadem die dici potest Officium, facta reliquorum repositione, aut Commemoratione, si tamen hæc non impediatur; ita a fortiori plura in Vesperis concurrere possunt Officia, ubi simul conveniunt Officia quæ duabus se sequentibus diebus in propria sede remanserunt; attamen Vesperæ integræ de uno tantum dici possunt, aut ad summum Vesperæ dimidiatæ de duobus tantum ex variis concurrentibus Officiis; et cum in Concurrentia locum non habeat repositio, reliquorum Officiorum concurrentium fient, nisi impediantur, Commemorationes, quarum, ut patet, ordo per regulas determinandus est.

Prænotatur 2° : Quæstio hæc multis controversiis locum dedit, maxime postquam Duplicia minora et Semiduplicia impedita ad instar Simplicium redigenda Rubricæ immutatæ indixerant (Q. 163 in Nota); op-

portunam solutionem dedit S. Rituum Congregatio, per Decretum generale Commemorationum in Vesperis, diei 5 Februarii 1895 (n. 3843), quo declaravit et statuit sequens responsum :

Respondetur : Post Orationem diei, scilicet Officii cujus dictæ fuerunt Vesperæ aut integræ, aut a Capitulo, ante ceteras Commemoratio semper agenda est de alio cujuscumque ritus Festo, seu Officio quod concurrit, si locum habeat : itaque semper proponuntur illæ Commemorationes quæ ad Officium pertinent ; deinde reliquæ fient Commemorationes juxta ordinem sequentem :

1° de Dominica privilegiata ;
2° de die Octava ;
3° de Duplici majori ;
4° de Duplici minori ad instar Simplicium redactis ;
5° de Dominica communi ;
6° de die infra Octavam SS. Corporis Christi ;
7° de Semiduplici ;
8° de die infra Octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis ;
9° de Feria majori, vel Vigilia ;
10° de Simplici.

Hic ordo præscribitur a Rubricis generalibus Breviarii reformatis vi Decreti 11 Decembris 1897 (Tit. IX, n. 11), et in Tabella Concurrentiæ quæ in initio Breviarii describitur.

Exempla : 1. Die 3 Novembris, in Diœcesi Mechliniensi celebratur Festum duplex minus S. Huberti, Episcopi et Confessoris ; est etiam dies tertia infra Octavam Omnium Sanctorum ; anno 1901, erat dies Dominica, XXIII post Pentecosten ; in hac Dominica celebrandum veniebat Festum mobile Patrocinii B. Mariæ V., duplex majus. Ex legibus traditis pro Officiorum Occurrentia, in Capite I hujus Sectionis, novimus celebrandum esse hac die 3 Novembris Festum Patrocinii B. Mariæ V., et de reliquis fieri tantum Commemorationem. — Sequenti die, 4 Novembris, celebratur Festum duplex minus S. Caroli, Episcopi et Confessoris, in qua occurrit etiam Festum simplex SS. Vitalis et Agricolæ, Martyrum. — Sex numero igitur Officia sunt, de quibus in Vesperis diei 3 Novembris agendum est.

Juxta regulas traditas pro Concurrentia Officiorum (QQ. 186 et sqq.), dicendæ sunt Vesperæ integræ de Festo duplici majori Patrocinii B. Mariæ V. ; quinque autem fient post Orationem diei, seu Festi Patrocinii B. Mariæ V., Commemoratio-

nes : prima erit de Festo quod concurrit, S. Caroli ; et ex applicatione ordinis supra traditi dicentur reliquæ Commemorationes : 2° S. Huberti (Duplicis minoris ad instar Simplicis redacti, n° 4 ordinis) ; 3° Dominicæ (quæ communis est, n° 5 ordinis) ; 4° Octavæ Omnium Sanctorum (diei infra Octavam communem, n° 8 ordinis) ; 5° SS. Vitalis et Agricolæ (Festi simplicis, n° 11 ordinis).

2. Die 6 Octobris, occurrit Festum duplex minus S. Brunonis, Confessoris ; anno 1901, est dies Dominica, XIX post Pentecosten ; in ea, quæ prima mensis Octobris est, celebratur Solemnitas SS. Rosarii B. Mariæ V., Festum mobile, duplex 2 classis, facta Commemoratione S. Brunonis et Dominicæ. — Die sequenti, 7 Octobris, celebratur Festum simplex S. Marci, Papæ et Confessoris, cum Commemoratione alterius Festi simplicis SS. Sergii et Sociorum, Martyrum. — Ordinandæ sunt Vesperæ.

Vesperæ dicuntur integræ secundæ de SS. Rosario ; deinde, etiamsi primo aspectu singulare et inordinatum videatur, agenda est ante ceteras Commemoratio Festi quod concurrit, nempe Festi simplicis S. Marci ; sequentur dein Commemorationes S. Brunonis, Dominicæ communis, et SS. Sergii et Sociorum.

Si quis die 7 Octobris, Feria II, recitaret Officium votivum de SS. Angelis, loco Officii Festi simplicis S. Marci, in Vesperis SS. Rosarii, fieret primum Commemoratio concurrentis Officii de SS. Angelis, et S. Marci Commemoratio fieret tantum, quia in casu non amplius concurrit, post Commemorationes S. Brunonis et Dominicæ, ante Commemorationem SS. Sergii et Sociorum.

Nota. Quædam sunt Commemorationes, quæ in Vesperis faciendæ sunt ratione concomitantiæ, et quæ extra ordinem omnino sunt ; scilicet Commemoratio S. Pauli, Apostoli, facienda in Festis S. Petri, Apostoli ; et Commemoratio S. Petri, facienda in Festis S. Pauli (de quibus jam dictum fuit ad Q. 165, Nota I) ; item Commemoratio S. Joseph, ubi concessa est, in Festo Desponsationis B. Mariæ V., 23 Januarii (ibid. Q. 165, Nota II). Hujusmodi Commemorationes dicuntur semper immediate post Orationes S. Petri, aut S. Pauli, aut Desponsationis B. Mariæ V., nulla alia interposita, idque ob rationem unicam concomitantiæ. Ita notatur in Rubricis generalibus, vi Decreti 11 Decembris 1897 reformatis (Tit. IX, n. 11).

Casus Concurrentiæ proponere necesse non habetur, post varia ad singulas regulas et exceptiones tradita exempla, quæ sufficient ut valeant rationes investigari

eorum quæ in Directorio præscribuntur, et debitæ solutiones dari in casu celebrationis Patroni loci vel Tituli Ecclesiæ.

TABELLA CONCURRENTIARUM

Quemadmodum pro Occurrentia Officiorum, ita etiam pro eorumdem Concurrentia describitur in Breviario Romano post Rubricas generales Tabella, in qua statim videri potest, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei, quæ Tabella hic describitur.

QUANDO CONCURRIT

Dominica primæ et secundæ classis,	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dominica per annum,	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primæ classis,	2	2	4	2	4	4	4	6	4	6	4
Duplex secundæ classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus seu Titulus Ecclesiæ,	2	2	4	2	4	4	4	6	4	6	4
Duplex per annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	4	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octava,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	0	0	3	4	3	3	3	1	1	1	5
1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	cum Dominica quacumque.
2. Totum de præcedenti, nihil de sequenti.	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Die Octava.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici per annum minore.	Duplici per annum majore.	Patrono, seu Titulo Ecclesiæ.	Duplici secundæ classis.	Duplici primæ classis.	
3. Totum de sequenti, Commemoratio de præcedenti.											
4. Totum de præcedenti, Commemoratio de sequenti.											
5. Capitulum de sequenti, Commemoratio de præcedenti.											
6. Totum de digniori, Commemoratio de minus digno; in paritate dignitatis, a Capitulo de sequenti.											
Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria, et Vigilia non concurrunt.											

Methodus utendi hac Tabella eadem omnino est, quæ pro Tabella Occurrentiarum fuit descripta post Q. 166.

SECTIO III

De Horarum partibus

Post traditas regulas ad integrum Officium spectantes, in hac ultima Sectione exponuntur quædam observanda pro quibusdam minoribus Officii partibus. De his partibus jam dictum fuit in Sectione I Capitis II Partis I, sed quæ ibi proposita fuerunt generaliora sunt ; nunc autem proponentur quædam quæ ex regulis in duabus præcedentibus Sectionibus traditis facilius intelligentur, quam si in Parte I Tractatus fuissent exposita.

§ 1. De Hymnis

Q. 195. *Quid intelligitur per Doxologiam Hymnorum, et quomodo distinguitur ?*

R. I. Doxologia vocatur conclusio, seu ultima stropha Hymnorum, in qua plerumque vel invocatur SS. Trinitas, vel prædicatur SS. Trinitatis gloria, sicut in fine Psalmorum hæc exprimitur per ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.*

II. Distinguitur Doxologia communis et propria.

A) Doxologia communis ea est in qua præter SS. Trinitatis invocationem vel gloriam nihil aliud exprimitur; qualem exhibent Hymni ad Horas in Psalterio, ex. gr., ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ad Completorium : *Præsta Pater piissime, Patrique compar Unice, Cum Spiritu Paraclito, Regnans per omne sæculum. Amen.*

Variæ tamen sunt formulæ istius communis Doxologiæ : ex. gr., ad Vesperas et Laudes in Officiis de Adventu : *Virtus, honor, laus, gloria etc.* ; — ad Vesperas in Festo Omnium Sanctorum : *Deo Patri sit gloria, Natoque Patris unico, etc.* ; — ad Vesperas de Communi Apostolorum : *Patri, simulque Filio, Tibique, sancte Spiritus, etc.* ; — et aliæ his similes, quæ non proponunt nisi solam et nudam laudem SS. Trinitatis.

B) Propria dicitur Doxologia, in qua vel non prædicatur Trinitatis gloria, vel præter gloriam vel invocationem Trinitatis aliquid aliud exprimitur, nempe allusio fit ad id quod in serie Hymni tractatum fuit ; et hæc sic alligata est suo Hymno, ut ab eo numquam

separetur. Propriæ, ex. gr., sunt Doxologiæ : Hymni Matutini plurimorum Martyrum : *Te nunc Redemptor quæsumus, Ut Martyrum consortio, Jungas precantes servulos, In sempiterna sæcula* ; — Hymni ad Vesperas in Festo Inventionis S. Crucis, 3 Maji, *Te, fons salutis Trinitas, Collaudet omnis spiritus ; Quibus Crucis victoriam Largiris, adde præmium* ; — Hymni ad Laudes in Festo S. Mariæ Magdalenæ, 22 Julii : *Uni Deo sit gloria Pro multiformi gratia, Peccantium qui crimina Remittit, et dat præmia* ; — Hymni ad Vesperas in Quadragesima : *Præsta beata Trinitas, Concede simplex Unitas ; Ut fructuosa sint tuis Jejuniorum munera* ; — item Hymni ad Laudes in Quadragesima : *Te prona mundi machina Clemens adoret Trinitas, Et nos novi per gratiam Novum canamus canticum* ; — Hymnorum quæ referuntur ad diversa Mysteria Nativitatis, Epiphaniæ, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, etc. Domini, in quibus exprimitur specialis memoria de objecto Festi quod recolitur ; — Hymnorum in Festis B. Mariæ V. : *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna sæcula*, quæ Doxologia celebrat B. Mariæ V. maternitatem ; — et aliorum similium.

Nota. I. Conclusio seu Doxologia Hymni *Veni Creator Spiritus* semper dicenda est sequenti modo : *Deo Patri sit gloria, Et Filio qui a mortuis Surrexit ac Paraclito, In sæculorum sæcula* ; et hæc Doxologia ita propria censenda est præfati Hymni, ut semper eadem sit retinenda, ac numquam, quovis anni Tempore, vel quocumque occurrente Festo, in aliam sit mutanda. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4036.) Hæc Doxologia dici debet non tantum in Officiis, sed quandocumque hic Hymnus cantatur vel dicitur.

Nota. II. Animadverti hic jam potest quod præfatæ Doxologiæ sunt omnes ejusdem metri, scilicet jambici dimetri. Quæ in sequentibus Quæstionibus 196 et 197 exponendæ sunt Rubricæ de Hymnorum Doxologia, referuntur exclusive ad Hymnos ejusdem metri ; ita ut quæ ibi dicentur applicari non valeant Doxologiis Hymnorum, ex. gr., *Ave maris stella, Pange lingua, Te Joseph, Iste Confessor*, et quotquot alius metri sunt quam prædicti jambici dimetri ; istorum Hymnorum Doxo-

logiæ etiam sunt vel communes, vel propriæ ; sed quæ communes sunt numquam mutari debent.

Q. 196. *Indica præcipuas Doxologias proprias quæ usu veniunt per Horas omnes in diversis Officiis.*

R. Præcipuæ Doxologiæ Hymnorum propriæ, quæ in diversis Officiis per annum ad omnes Officii Horas dici debent, modo Hymnorum metrus sit jambicus dimetri, sequentes sunt :

1° Quæ frequentior occurrit Doxologia propria est : *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.* Hæc autem dicitur :

a) In Nativitate Domini, et sequentibus diebus, usque ad Epiphaniam exclusive ;

b) In Festo SS. Corporis Christi, et per Octavam ; necnon in Officio votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento. (Excipitur Hymnus *Verbum supernum prodiens*, ad Laudes.)

c) In Festo SS. Nominis Jesu (non tamen ad Hymnos proprios in Vesperis, Matutino et Laudibus).

d) In Festis B. Mariæ Virginis, et per Octavas ejus Festorum ; necnon in Officio votivo de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. ; et generatim quandocumque fit Officium B. Mariæ V.

Excipitur Festum Septem Dolorum B. Mariæ V., quod celebratur Dominica III Septembris (non autem Festum Septem Dolorum quod celebratur Feria VI post Dominicam Passionis), necnon Festum Exspectationis Partus B. Mariæ V. (vide infra ad 7^{um} et 10^{um}).

e) In Festo particulari, quod in nostra Diœcesi celebratur, Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam.

Quandonam, nempe in quibus Officiis, hæc Doxologia sit dicenda in omnibus Horis, ex conventione indicatur in Directorio Diœcesis Mechliniensis asterisco *, ut explicatur in principio Directorii.

2° In Epiphania Domini, et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur : *Jesu, tibi sit gloria, Qui apparuisti Gentibus, etc.*

3° Tempore Paschali, scilicet a Dominica in Albis

usque ad Ascensionem, dicitur : *Deo Patri sit gloria, Et Filio, qui a mortuis Surrexit, ac Paraclito, In sempiterna sæcula.*

4° In Ascensione Domini, et usque ad Pentecosten (præterquam in Hymno *Salutis humanæ Sator*), dicitur : *Jesu, tibi sit gloria, Qui victor in cœlum redis, Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna sæcula.*

5° In Pentecosten, et usque ad Sabbatum sequens, dicitur : *Deo Patri sit gloria, Et Filio, qui a mortuis Surrexit, ac Paraclito, In sæculorum sæcula.*

6° In Festo Transfigurationis Domini, 6 Augusti, terminantur Hymni : *Jesu, tibi sit gloria, Qui te revelas parvulis, Cum Patre etc.*

7° In Festo Septem Dolorum B. Mariæ V, quod celebratur Dominica III Septembris, Hymni concluduntur : *Jesu, tibi sit gloria, Qui passus es pro servulis, Cum Patre etc.*

Sunt et quædam Officia particularia in quibus Hymnorum per Horas conclusio mutatur ; in nostra Diœcesi sunt :

8° Commemoratio Passionis D. N. J. C., Feria III post Dominicam in Sexagesima, in qua dicitur : *Sit laus Patri, ac Paraclito, Natoque Patris unico, Nostræ dedit qui prodigus, Pretium salutis sanguinem.*

9° Officium SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam I in Quadragesima, in quo Hymni terminantur : *Clavis forato et lancea, Jesu tibi sit gloria, Cum Patre, et almo Spiritu, Nunc, et per omne sæculum.*

10° In Festo Exspectationis Partus B. Mariæ V., 18 Decembris, in fine omnium Hymnorum dicitur : *Virtus, honor, laus, gloria, Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paraclito, In sæculorum sæcula.* (Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Novembris 1738, n. 2340, ad 5, antiq. 4080, ad 6.) — Hæc Doxologia communis est Hymnorum ad Vesperas et Laudes in Officiis de Adventu Domini, et magis conveniens et congrua visa fuit, etiamsi propria non sit, quam ordinaria Doxologia Festorum B. Mariæ V. (cfr. supra ad 1^um^), in qua glorificatur Jesus de Virgine natus, dum in hoc Festo celebratur Rex in mundum venturus et de Virgine mox

nasciturus ; et ut hoc B. Mariæ V. Festum non supersit unicum absque Doxologia propria pro omnibus Officii Hymnis, præsens assumpta fuit et præscripta.

11° Tandem in Officio votivo de Passione D. N. J. C. Hymni per Horas concluduntur ut supra n. 8° indicatur pro ejusdem Passionis Commemoratione.

Nota. I. Ex enumeratione præcedenti patet quod ex his Doxologiis propriis quædam propriæ sunt Tempori determinato anni ecclesiastici, ex. gr., quæ primo loco describitur propria est toto Tempori currenti a Festo Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam (cfr. 1°, a) ; quæ tertio loco indicatur propria est toto Tempori Paschali ; et animadvertendum est quod per totum hujusmodi Tempus omnes Hymni ejusdem metri, non tantum ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes, sed etiam ad Horas minores et ad Completorium, hac Doxologia propria gaudent, equidem si per hoc Tempus alia Festa Sanctorum celebrentur quæ ad celebrata per Tempus Mysteria non referuntur ; unde si per Tempus Paschale celebrantur Festa alicujus Martyris, vel Confessoris, vel Virginis, etc., in eorum Officiis ad omnes Horas dici debet Doxologia propria qua glorificatur Christus qui a mortuis surrexit ; excepto quando in Officiis hujusmodi occurrentibus assignata haberetur Doxologia Festo vel Officio propria, ut in sequenti Quæstione exponetur.

Aliæ ex his Doxologiis propriis dici debent in quibusdam Festis et etiam per eorumdem Festorum Octavas ; et hæc regula generalis est, quod Doxologia propria Hymnorum alicujus Festi, si Festum cum Octava celebratur, dici debet per totam Octavam Festi, quia, ut declaravit S. Rituum Congregatio, Octava nihil aliud est, nisi extensio ipsius Festi (Decret. 2 Septembris 1741, n. 2365, antiq. 4119, ad 2) ; et iterum hic animadvertendum est quod per totam Octavam dicitur Doxologia propria ad omnes Officiorum Hymnos ejusdem metri, etiamsi Officium diceretur, non de Octava, sed de aliquo Sancto, modo hoc Sancti Officium non habeat suam Doxologiam propriam.

Tandem aliæ ex his Doxologiis propriis assignantur pro solo Festo quod cum Octava non celebratur, aut

non censetur cum Octava celebrari, ex. gr., in Festo Transfigurationis Domini ; in tali casu Doxologia propria Festo dicitur ad omnes Hymnos ejusdem metri in omnibus Horis, incipiendo a primis Vesperis Festi usque ad Completorium inclusive post secundas Vesperas, nisi ex Concurrentia cum alio Festo aut Officio aliter sit faciendum, ut dicetur in Quæstione sequenti.

Nota. II. Sunt et alii Hymni qui habent suas Doxologias proprias (cfr. Q. 195, II, B) ; sed istorum Hymnorum Doxologiæ propriæ dicendæ sunt solummodo in his Hymnis, et non dici debent per alias Horas istorum Officiorum ; et ita, ex. gr., in Festo S. Teresiæ, Doxologia propria Hymni ad Matutinum dicitur tantum ad Matutinum, et non ad alias Horas ; item in Quadragesima Doxologiæ propriæ ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes Officii de Tempore, dicuntur tantum ad has Horas, et non in Horis minoribus et Completorio.

Super quo S. Rituum Congregatio rescribendum censuit quod Doxologia propria Hymnorum admittitur ad Horas minores et ad Completorium, tantum in Festis Domini et B. Mariæ V. (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 51, antiq. 4669, ad 57.) Et revera omnia Festa aut Officia quæ propriam Doxologiam requirunt per omnes Horas, et quæ supra in responso recensentur, sunt Festa aut Officia sive Domini, sive B. Mariæ V.

Nota. III. In Festo sacratissimi Cordis Jesu Doxologia Hymnorum dicitur : *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, etc.* (supra ad 1^um^), in illo hujus Festi Officio particulari quod describitur in Appendice Breviarii, et cui respondet Missa *Egredimini* ; in alio vero ejusdem Festi Officio pro Ecclesia universali, quod describitur in Breviario, et cui respondet Missa *Miserebitur* (quod Officium et quæ Missa dici debent in Diœcesi Mechliniensi), Doxologiæ Hymnorum minime variandæ sunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1857, n. 3060, antiq. 5252, ad 2.)

Q. 197. *Quænam sunt præcipuæ regulæ servandæ pro*

mutatione Doxologiæ in omnibus Officii Hymnis, quando dicuntur Officia in Quæstione præcedenti enumerata ?

R. 1° In illo Festo vel Officio cujus Hymnorum Doxologia propria præscribitur ad omnes totius Officii Horas, hæc Doxologia propria dicitur et mutatur Doxologia communis ordinaria in omnibus Hymnis diversarum Horarum Officii, a primis Vesperis et sequenti Completorio, et per totam diem sequentem ad omnes Horas usque ad Completorium inclusive; modo Hymni aliqui in hoc Officio non habeant conclusionem propriam, et modo versus sint ejusdem metri, scilicet jambici dimetri.

Hymni conclusionem propriam habentes jam indicati quidam fuerunt in duabus Quæstionibus præcedentibus.

Exempla : In Festo Transfigurationis Domini, 6 Augusti, dicitur Doxologia propria (cfr. Q. 196, ad 6^{um}) a primis Vesperis Festi, non tantum in Hymno Vesperarum proprio, sed et ad Hymnum Completorii, cujus conclusio communis ordinaria relinquitur et mutatur in propriam hujus Festi ; ad Matutinum et ad Laudes dicitur Doxologia propria in Hymnis propriis, dein ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam mutatur conclusio communis in propriam Festi ; ad Vesperas dicitur eadem Doxologia in Hymno proprio Vesperarum, et tandem in Hymno Completorii iterum dicitur loco Doxologiæ communis ordinariæ.

In Festo Purificationis B. Mariæ V., 2 Februarii, Hymni concluduntur Doxologia quæ propria est Festis B. Mariæ V. (cfr. Q. 196, ad 1^{um}, d) ; et hæc conclusio dici debet ad omnes Horas, inde a primis Vesperis usque ad Completorium ipsius Festi inclusive ; attamen non dicetur hæc conclusio ad Hymnum Vesperarum *Ave, maris stella*, quia non est ejusdem metri.

In Festo SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam, Hymni omnes concludi debent Doxologia propria : *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, etc.* (cfr. Q. 196, ad 1^{um}, c), sed Hymni ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes, etiamsi sint ejusdem metri, non mutantur, quia ipsi habent suam Doxologiam propriam.

2° Mutatio Doxologiæ etiam fieri debet in omnibus Festis Sanctorum quæ dicuntur per Tempus anni ecclesiastici quod mutationem exigit, ex. gr., Tempus a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, Tempus Paschale usque ad Ascensionem ; item si Festum Doxologiæ mutationem exigens celebratur cum Octava, mutatio etiam fit in omnibus quæ infra Octavam cele-

brantur Festis, etiam duplicibus 1 et 2 classis ; et hoc quidem licet Octavæ vel Temporis nulla fieret in Festo hujusmodi Commemoratio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Novembris 1775, n. 2439, antiq. 4259, ad 2.)

Exemplum : Per totam Octavam Assumptionis B. Mariæ V. omnes Hymni etiam in Festis concluduntur : *Jesu.... Qui natus es, etc.* ; Dominica infra hanc Octavam celebratur Festum S. Joachim, Patris ejusdem B. Mariæ V., duplex 2 classis, in quo de Octava nequidem fit Commemoratio (Q. 164, 3°) ; attamen in Hymnis omnium Horarum Festi S. Joachim remanet obligatio mutandi conclusionem præscriptam pro Octava Assumptionis.

Nota. S. Rituum Congregatio rescripsit quod infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., conclusio Hymnorum in Officio Dominicæ II vel III Adventus est : *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es etc.*, etiam pro Hymnis ad Vesperas et ad Laudes (Decret. 3 Julii 1896, n. 3924, ad 11). Etenim Doxologia *Virtus, honor, laus, gloria, etc.*, non est propria (cfr. Q. 195, II, A), et proinde ipsa et aliæ omnes totius Officii Dominicæ Adventus mutari debent ratione Octavæ.

3° Si infra Octavam vel Tempus anni ecclesiastici mutationem Doxologiæ in omnibus Hymnis Officiorum exigentia occurrit Festum aut Officium quod propriam exigit conclusionem, dicitur in omnibus Horis Doxologia propria hujus Festi vel Officii, relicta Doxologia Octavæ vel Temporis.

Exemplum : Si infra Tempus Paschale, a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, occurrit Festum aliquod B. Mariæ V., aut dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, aut de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., relicta Doxologia propria hujus Temporis (Q. 196, 3°), dicitur ad Horas omnes Festi vel Officii Doxologia : *Jesu.... Qui natus es.* (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Septembris 1890, n. 3735, ad 2.) Item in Officio votivo de Passione Domini N. J. C., Feria VI, per idem Tempus Paschale dicitur Doxologia propria Officii Passionis : *Sit laus Patri, etc.*

Item si infra Octavam vel Tempus anni ecclesiastici in aliquo Festo vel Officio dici debet Hymnus qui suam propriam habet Doxologiam, relicta Doxologia propria Octavæ vel Temporis pro hoc Hymno, dicitur ejus propria Doxologia.

Exempla : In Festo S. Venantii, Martyris (18 Maji), Hymni

proprii ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes habent suam Doxologiam propriam. Festum hoc occurrere potest vel Tempore Paschali (anno 1903), vel infra Octavam Ascensionis (anno 1901) ; in utroque casu hæc Doxologia propria servatur in dictis Hymnis, dum in aliis Hymnis ejusdem Festi dicitur Doxologia propria Tempori Paschali, vel Octavæ Ascensionis Domini.

In Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii, Hymnus in Laudibus habet Doxologiam propriam ; S. Rituum Congregatio rescripsit quod conclusio hæc immutari nequit, etiamsi Festum hoc occurrerit infra Octavam Visitationis B. Mariæ V., ubi hæc Octava est concessa aut celebrari debet. (Decret. 14 Januarii 1889, n. 3702.)

4° In Concurrentia duorum Officiorum, quorum alterutrum exigit Doxologiæ mutationem, distinguendum est :

A) Quando Officium mutationem exigens concurrit active (Q. 180), nempe quando Officium, Doxologiam propriam in Hymnis sui Officii habens, concurrit in suis secundis Vesperis cum primis Vesperis Officii sequentis diei, in quo Hymni communem habent Doxologiam :

a) Si Officium propriam Doxologiam in suis Hymnis habens habet Vesperas integras, dicitur hæc in Vesperis et in Completorio ; item si habet Vesperas dimidias, a Capitulo de sequenti cum Commemoratione præcedentis ; imo si Vesperæ dicuntur integræ de sequenti, modo tunc de præcedenti pro suis secundis Vesperis fiat Commemoratio, dicitur ejus Doxologia propria tum in Vesperis, tum in Completorio. (Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1884, n. 3607, antiq. 5909, ad 2 ; 6 Septembris 1890, n. 3735, ad 2.)

Exemplum : Anno 1903, 20 Septembris, Dominica IV Septembris, celebratum fuit Festum, a Dominica præcedenti translatum, Septem Dolorum B. Mariæ V., in quo Festo omnes Hymni Horarum habent Doxologiam propriam : *Jesu, tibi sit gloria, Qui passus es pro servulis* (Q. 196, ad 7^{um}) ; concurrit in suis secundis Vesperis cum Festo diei sequentis S. Matthæi, Apostoli, duplici 2 classis, de quo dicuntur Vesperæ integræ, cum Commemoratione tantum præcedentis Festi Septem Dolorum ; quia fit præcedentis Commemoratio, Doxologia propria Hymnorum Festi Septem Dolorum dici debet in Hymno Apostolorum ad Vesperas et in Hymno sequentis Completorii.

b) Si de eo Officio quod propriam Doxologiam habet, ratione ritus Officii sequentis cujus dicuntur Vesperæ integræ, nequidem fit Commemoratio, tunc non amplius dicitur propria Doxologia, neque in Vesperis neque in Completorio.

Exemplum : Anno 1904, 27 Octobris, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici; exigit mutationem Doxologiæ (cfr. Q. 196, 1°, b) ; sequenti die, 28 Octobris, celebratur Festum duplex 2 classis SS. Apostolorum Simonis et Judæ ; Vesperæ Feria V dicuntur integræ de sequenti, et quia ratione ritus hujus Festi nulla fit Commemoratio præcedentis semiduplicis Officii (Q. 192, 2°, a), non amplius mutatur Doxologia in Vesperis et in Completorio.

Nota. Supponitur in hoc casu *b*) Commemorationem præcedentis omitti ratione ritus Officii sequentis ; animadvertendum est quod, si hæc Commemoratio omittitur, non ratione ritus, sed ratione identitatis, quia nempe utrumque Officium concurrens est de eodem Sancto, vel de eodem Mysterio (Q. 193), in tali casu remanet obligatio mutationis Doxologiæ. (S. Rituum Congregatio, Decret. 5 Februarii 1895, n. 3844, ad VII.)

Exemplum : Anno 1903, 26 Martii, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplici ; exigit mutationem Doxologiæ ; sequenti die, 27 Martii, Feria VI post Dominicam IV in Quadragesima, celebratur in nostra Diœcesi Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., ritus duplicis majoris, nullam exigens mutationem Doxologiæ ; juxta regulas Concurrentiæ, Vesperæ dicuntur integræ de sequenti, et deberet fieri, ratione ritus, Commemoratio præcedentis Officii votivi ; quia tamen ratione tantum identitatis omittitur præcedentis Officii Commemoratio, ne bis fiat de eodem Mysterio, retinet hoc jus ut mutetur adhuc Doxologia : non fit quidem in casu mutatio in Hymno Vesperarum, quia non est ejusdem metri, sed fit in Hymno Completorii, et concluditur hujus Horæ Hymnus : *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es, etc.*

Conclusio *Jesu.... Qui natus es, etc.* dicitur etiam in Hymnis Vesperarum de Sacra Spinea Corona, vel de Sacratissima Sindone D. N. J. C., quando concurrit Officium votivum de SS. Sacramento cum his Officiis. (Decret. n. 3844 supra citatum.)

b) Quando Officium mutationem exigens concurrit passive (Q. 180), nempe quando Officium, in quo Hymni communem habent Doxologiam, concurrit in suis se-

cundis Vesperis cum primis Vesperis Officii sequentis diei quod Doxologiam propriam in omnibus suis Hymnis exigit :

a) Si de eo Officio quod Doxologiam propriam habet nulla fit Commemoratio in Vesperis integris præcedentis, seu concurrentis, nulla fit mutatio Doxologiæ, neque in Vesperis, neque in Completorio. Casus iste non se offert.

b) Si de eo Officio quod Doxologiam propriam habet dicuntur Vesperæ primæ integræ, aut a Capitulo, Doxologia propria dicitur in Vesperis et in Completorio.

c) Si de eo Officio quod Doxologiam propriam habet fit tantum Commemoratio in secundis Vesperis præcedentis, seu concurrentis, Doxologia propria jam dicitur in Vesperarum Hymno, etiamsi Commemoratio sequentis nondum tunc facta fuerit, et in Hymno Completorii.

Nota. Quod Doxologia propria jam sit dicenda in Completorio, patet quia tunc de sequenti in Vesperis Commemoratio dicta fuit ; sed an ipsa jam dici debeat in Hymno Vesperarum quæ integræ de præcedenti dicuntur, eo Officii momento quo nondum aliquid de sequenti fuerit dicendum, inter auctores hucusque disputatum fuit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 302, ubi probatur Doxologiam propriam in casu non debere dici in Hymno Vesperarum ; et XI, 1897, pag. 167 et 342, ubi opposita sententia tenetur.) Sequens S. Rituum Congregationis rescriptum declaravit Doxologiam propriam in casu esse dicendam : Ad dubium : « Hymnus de secundis Vesperis in Festo SS. Simonis et Judæ Apostolorum, debetne concludi cum Doxologia *Jesu, tibi sit gloria*, si in eisdem Vesperis facienda sit Commemoratio Officii votivi de SSmo Eucharistiæ Sacramento, vel de Immaculata Conceptione B. M. V. in crastina die celebrandi ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, juxta Rubricas generales Breviarii, Tit. XX, n. 4. » (Decret. 2 Julii 1901, *Lauretana*, ad 2 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 460.) Hoc Decreto itaque statuitur regula, quod Doxologia propria dicenda est in Vesperis, etsi sola habenda sit, post Hymnum dictum, Commemoratio Officii illam exigentis.

Exempla : Anno 1903, Feria VI post Cineres celebratur Festum particulare Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J, C., nullam exigens in Hymnis conclusionis mutationem ; Hymnus Vesperarum habet Doxologiam communem ; sequitur Sabbato Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., cujus in Vesperis Feriæ VI fit Commemoratio tantum : in Hymno Vesperarum Sacræ Spineæ Coronæ jam dici debet Doxologia *Jesu, tibi sit gloria, etc.*, præscripta pro Officio votivo de Immaculata Conceptione.

Anno 1903, 15 Octobris, Feria V, celebratur Festum duplex S. Teresiæ Virginis ; concurrit cum sequenti Officio votivo de Passione D. N. J. C., ritus semiduplicis ; hoc exigit mutationem Doxologiæ (Cfr. Q. 196, ad 11^um^) ; Feria V, dicuntur Vesperæ secundæ integræ de Festo S. Teresiæ, cum Commemoratione tantum sequentis Officii votivi ; fit mutatio Doxologiæ, et dicitur Doxologia : *Sit laus Patri etc.*, non tantum ad Hymnum Completorii, sed jam ad Hymnum Vesperarum S. Teresiæ. — Hymnus iste est quidem proprius, sed ejus conclusio est communis, et proinde ipsa subjacet regulis mutationis.

5° In Concurrentia duorum Officiorum, quorum utrumque exigit diversam propriam Doxologiæ mutationem, dicitur in Vesperis et Completorio Doxologia propria illius Officii quod habet Vesperas integras, aut saltem a Capitulo. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Augusti 1901, *Tropien.*, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 630.)

Exempla : Die 5 Augusti, celebratur Festum Dedicationis B. Mariæ V. ad Nives, duplex majus, in quo Hymni concluduntur : *Jesu, tibi.... Qui natus es, etc.* (Q. 196, ad 1^um^) ; die 6 Augusti, celebratur Festum Transfigurationis Domini, duplex majus, in quo Hymni concluduntur : *Jesu.... Qui te revelas, etc.* (Q. 196, ad 6^um^). In hac Concurrentia dicuntur Vesperæ integræ de sequenti Festo Transfigurationis, cum Commemoratione præcedentis; ideo jam in Vesperis diei 5 Augusti, et in Completorio dicitur Doxologia propria Festi Transfigurationis Domini.

Anno 1900, 25 Octobris, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento ; Hymni in eo concluduntur : *Jesu.... Qui natus es, etc.* Sequenti die, 26 Octobris, Feria VI, dicitur Officium votivum de Passione D. N. J. C., in quo Hymni concluduntur : *Sit laus Patri, etc.* (Q. 196, ad 11^um^) ; Vesperæ dicuntur integræ de SS. Sacramento, absque Commemoratione sequentis Officii de Passione Domini (cfr. Q. 193) ; Feria V igitur Hymnus Completorii adhuc habet Doxologiam : *Jesu.... Qui natus es.* In Vesperis datur Hymnus qui non est ejusdem metri.

Sequenti die, 27 Octobris, Sabbato, dicitur Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritus semiduplicis,

in quo Hymni concluduntur : *Jesu... Qui natus es, etc.* ; Vesperæ dividuntur (cfr. Q. 191), et dicuntur a Capitulo de Immaculata Conceptione ; Hymnus Completorii (ad Vesperas dicitur Hymnus *Ave, maris stella*, alius metri), jam dicitur cum Doxologia B. Mariæ V., relicta Doxologia propria Officii votivi de Passione. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Novembris 1898, n. 4003, Q. III.)

Q. 198. *Quid notandum est de prima Stropha Hymni « Iste Confessor Domini », qui sæpius recitatur in Officiis SS. Confessorum Pontificum et non Pontificum ?*

R. In prima Stropha hujus Hymni tertius et quartus versus sonant : *Hac die lætus meruit beatas Scandere sedes*. Ita dicuntur isti duo versus, quando Festum alicujus Confessoris celebratur in ipsa die sui obitus seu in die sua natalitia (cfr. Q. 111).

Quando vero Festum celebratur in alia die, sive per mutationem, sive per assignationem, sive per translationem (cfr. Sectio II, Caput I, QQ. 167-179), tunc isti versus mutantur, et dicitur : *Hac die lætus meruit supremos Laudis honores*.

Ubi hujusmodi mutatio facienda occurrit, indicatur in Breviario litteris M. T. V., id est : mutatur tertius versus ; in nostro Directorio Diœcesano indicatur apposito signo Crucis ✠.

Nota. Die 17 Septembris celebratur in Ecclesia universali (in nostra Diœcesi vero 26 Septembris) Festum Impressionis Sacrorum Stigmatum in corpore S. Francisci, Confessoris ; in prima Stropha Hymni *Iste Confessor Domini* dicitur : *Hac die lætus meruit beata Vulnera Christi*. In casu translationis vel etiam assignationis Officii hujus Festi ad aliam diem nihil est mutandum, et dicitur : *beata Vulnera Christi*, ut in propria die Festi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Augusti 1871, n. 3254, antiq. 5490, ad 5.)

Q. 199. *Quæ regulæ tradi possunt pro mutatione istorum versuum in prima Stropha hujus Hymni ?*

R. 1° Si Festum alicujus Sancti celebratur in die sua natalitia, et consequenter absque mutatione versuum, celebrato hujusmodi Festo cum Octava, idem tenor retinetur absque mutatione per totam Octavam ; Octava

enim est Festi continuatio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1741, n. 2365, antiq. 4119, ad 3.)

Exemplum : Dies natalis S. Nicolai, Episcopi et Confessoris, est 6 Decembris, qua die celebratur ipsius Festum ; ubi Sanctus iste est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, celebratur ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava ; in die Octava, 13 Decembris, dicitur Hymnus sine mutatione versuum.

Ubi S. Bavo, Confessor, 1 Octobris, est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, et diebus 3, 5 et 7 fit de die infra Octavam, et die 8 Octobris de die Octava, dicitur sine mutatione versuum.

2° Si Officium alicujus Sancti impeditum in Sancti die natalitia ab hac die transfertur, aut assignatur ad proxime sequentem diem post Festum, distinguendum est :

a) Quando in casu Vesperæ in ipsa die natali dicuntur aut integræ, aut saltem a Capitulo de sequenti Festo in proximam a natali diem reposito, tunc mutatio non est facienda, quia in his primis Vesperis, et consequenter in ipsa die natalitia dicitur Hymnus, et verificatur tenor versuum ; imo, quia in casu Hymnus inceptus fuit dici absque mutatione, etiam postridie in Matutino, et in secundis Vesperis, si integræ dicendæ sunt, dicetur absque mutatione ; quia Officium continuandum est eo modo quo fuit inceptum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Junii 1899, n. 4033.)

Exempla : Dies natalis S. Bavonis, Confessoris, cujus Festum duplex celebratur in Diœcesi Mechliniensi, est 1 Octobris ; sed hac die jam celebratur Festum item duplex S. Remigii, Episcopi et Confessoris, et Festum S. Bavonis assignatur in perpetuum ad proximam sequentem diem, 2 Octobris : die 1 Octobris Vesperæ dicuntur de S. Remigio, a Capitulo vero de S. Bavone ; dicitur ergo Hymnus in die natali S. Bavonis, et nulla fit in Hymno mutatio, nequidem die 2 Octobris.

Dies natalis S. Gregorii, Papæ, Confessoris et Doctoris, est 12 Martii, qua celebratur in Ecclesia ejus Festum ; anno 1899, hac die occurrit Dominica IV in Quadragesima ; transferendum ergo est per accidens Officium S. Gregorii, et transfertur in primam diem liberam, Feriam II proxime sequentem, 13 Martii ; die Dominica Vesperæ integræ dicuntur de S. Gregorio, et quia Hymnus dicitur in ipsa die natali, non fit mutatio versuum hac die, neque die sequenti, in quam translatum fuit Officium.

b) Quando in casu secundæ Vesperæ dicuntur inte-

græ de concurrente Officio, cum Commemoratione tantum Officii a die natali ad proximam sequentem diem repositi, quia tunc Hymnus in ipsa die natalitia in Vesperis non fuit dictus, postridie in Matutino, et in secundis Vesperis, si integræ dicendæ sunt, facienda erit mutatio.

Hoc probatur ex Rubricis specialibus Breviarii, ex. gr., ex Rubrica descripta in Festo S. Ludovici Regis, Confessoris, 25 Augusti : dies natalis hujus Sancti est 25 Augusti ; sed Romæ et in quibusdam locis, ubi Festum S. Bartholomæi, Apostoli, celebratur 25 Augusti, et non sicut in Ecclesia universali, 24 Augusti, Festum S. Ludovici celebratur 26 Augusti, in die quæ proxime sequitur diem natalitiam ; quia vero in secundis Vesperis S. Bartholomæi tantum Commemoratio fit sequentis Festi S. Ludovici, et consequenter Hymnus non dicitur in casu in ipsa die natalitia, 25 Augusti, notat Rubrica specialis quod die 26 Augusti in Hymno ad Matutinum Officii S. Ludovici mutatur tertius versus. — Dies natalitia S. Hyacinthi, Confessoris, est 15 Augusti, ut legitur in Lectione VI ejus Festi ; ejus Festum celebratur in Ecclesia universali die proxime sequenti, 16 Augusti ; ast quia in Vesperis secundis Festi Assumptionis B. Mariæ V. Commemoratio tantum fieri potest sequentis, et Hymnus hac die dici non potest, ideo notat Rubrica specialis ad ejus Festum quod in Hymno mutatur tertius versus.

Exempla : Resumitur exemplum supra ad *a*) de S. Bavone propositum. In locis ubi S. Remigius est Patronus, aut Titularis, celebratur ejus Festum ritu duplici 1 classis, et consequenter dicuntur, die 1 Octobris, Vesperæ secundæ integræ de S. Remigio, cum Commemoratione tantum sequentis Officii S. Bavonis ; igitur Hymnus non potuit dici in die natali S. Bavonis ; in his locis, die 2 Octobris, in Matutino, et in secundis Vesperis Officii S. Bavonis dicitur Hymnus cum mutatione versuum.

Festum S. Francisci Assisiatis, Confessoris, duplex majus, celebratur in die natalitia, 4 Octobris ; anno 1903, erat dies Dominica, Dominica I Octobris, in qua celebratur Solemnitas SS. Rosarii B. Mariæ V., duplex 2 classis ; Officium S. Francisci translatum fuit in diem sequentem, 5 Octobris ; Vesperæ die Dominica dictæ fuerunt integræ de SS. Rosario, cum Commemoratione tantum sequentis Officii translati S. Francisci ; non potuit igitur hac die dici Hymnus ; igitur dicitur die sequenti cum mutatione versuum.

3° Si Officium alicujus Sancti, cujus Festum celebratur in die natali cum Octava, transferendum est, et transferri potest infra suam Octavam, etiam ultra primam diem quæ sequitur Festum, mutatio versuum non fit in Hymno in die translationis Officii, et in diebus quæ remanent Octavæ. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1741, n. 2365, antiq. 4119, ad 2.) Rationem addit citatum Decretum, « quia tota Octava nihil aliud est quam extensio ipsius Festi ; et ideo versus idem per reliquos Octavæ dies, qui forte supererunt, retinebitur. »

Exemplum : Dies natalis S. Antonii de Padua est 13 Junii, in qua celebratur ejus Festum ; supponitur quod sit Titularis alicujus Ecclesiæ ; ibi celebratur ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava. Anno 1895, occurrit die 13 Junii Festum SS. Corporis Christi ; Officium S. Antonii, Titularis, debet in hac Ecclesia transferri ; prima dies libera reperitur 15 Junii ; ergo Officium S. Antonii transfertur, equidem ultra primam diem post Festum, sed tamen infra suam Octavam ; itaque die 15 Junii in Hymno, inde a primis Vesperis, non fit mutatio versuum.

4° Si Officium alicujus Festi e die natalitia S. Confessoris reponendum est ultra primam diem, aut, si cum Octava celebratur, transferendum est ultra octiduum, semper fit mutatio versuum in Hymno. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1861, n. 3108, antiq. 5315, ad 1.)

Exempla : Resumitur exemplum S. Antonii supra ad 3^{um} propositum. Anno 1886, die 13 Junii occurrit Festum Pentecostes ; prima dies libera pro translatione Officii S. Antonii, Titularis, reperitur tantum ultra finem ejus Octavæ, nempe 22 Junii ; ergo in Hymno fit mutatio versuum.

Anno 1897, Officium S. Gregorii, de quo supra ad 2^{um} *a*), impeditum in die natali, 12 Martii, Officio SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., translatum fuit in diem 15 Martii, ergo ultra primam diem a natali ; debuit itaque fieri mutatio versuum in Hymno.

Q. 200. *Quid notat Rubrica de ordine Hymnorum qui in Festis quorumdam Sanctorum dicuntur, et sunt proprii et historici ?*

R. Reperiuntur quidam Hymni proprii in Festis quorumdam Sanctorum, qui historiam aliquo modo

Sancti qui colitur successive referunt, et dividuntur ita ut prima pars ponatur in Vesperis primis, secunda in Matutino, tertia in Laudibus ; quæ partes unum totum efficiunt, quorum proinde non convenit ut aliqua omittatur, aut inverso ordine dicatur.

Hujusmodi Hymni reperiuntur in Festis, ex. gr., S. Martinæ, Virginis et Martyris, 30 Januarii ; SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ V., 11 Februarii ; S. Hermenegildi, Martyris, 13 Aprilis ; S. Venantii, Martyris, 18 Maji ; Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 24 Junii ; S. Joannis Cantii, 20 Octobris ; et aliorum (cf. Q. 40).

De iis dicit Rubrica : « Quando in aliquo Festo adsint tres Hymni proprii Historici, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas. » Manet itaque in hujusmodi transpositione ordo historicus Hymnorum. — Addit Rubrica : « Si vero secundæ Vesperæ non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum conjungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione. » (Rubricæ generales, Tit. XX, n. 3.) — Pro hac conjunctione Hymnorum sequentem normam servari mandavit S. Rituum Congregatio : Ad dubium : « Quænam sequendæ normæ in conjungendis Hymnis Sanctorum propriis, si habeantur in Breviario, quando relativa Festa primis Vesperis carent ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Hymnus Vesperarum conjungendus est cum altero ad Matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi ; nisi aliter cautum sit in ipsa Rubrica speciali Breviarii Romani. » (Decret. 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 3.)

Exempla conjunctionis Hymnorum quæ habentur in Breviario Romano indicant etiam Doxologiam, seu conclusionem prioris Hymni conjuncti et alteri præpositi esse omittendam, eamque conclusionem dici tantum in fine Hymnorum conjunctorum.

Hujus dispositionis exemplum reperitur in Breviario, ex. gr., in Festo S. Martinæ, Virginis et Martyris, 30 Januarii, ubi in Matutino Hymnus Vesperarum absque Doxologia conjunctus, seu præpositus fuit Hymno

Matutini, eo quod, ob Concurrentiam Festorum, in Vesperis nec primis nec secundis, Hymnus Vesperarum dici nequeat. (Cfr. Rubrica specialis hujus Festi.)

Exempla : In Officio duplici SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ V., 11 Februarii, reperiuntur tres Hymni historici, primus ad Vesperas, secundus ad Matutinum, tertius ad Laudes. Quando hoc Festum celebratur die Sabbato in Quadragesima, et cum eo concurrit Officium de Passione D.N. J. C., ex. gr., Sacræ Spineæ Coronæ, duplex majus, dictum Feria VI præcedente, in Vesperis Feria VI fit tantum Commemoratio sequentis, et Hymnus proprius Vesperarum SS. Septem Fundatorum in Vesperis dici nequit ; dicitur tunc Hymnus Vesperarum ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, et Hymnus Laudum ad secundas Vesperas, quæ dicuntur integræ, quia concurrunt cum Officio semiduplici Dominicæ I in Quadragesima, cujus tantum fit Commemoratio. (Cfr. Directorium Diœcesis Mechliniensis anni 1902.) Si vero Vesperæ secundæ Festi SS. Septem Fundatorum non potuissent dici integræ, ob Concurrentiam cum sequenti Officio ritus duplicis, tunc Hymnus Vesperarum fuisset conjunctus ad Matutinum Hymno Matutini, et huic præpositus, dempta Doxologia quæ semel tantum diceretur in fine.

Anno 1904 celebratur 13 Aprilis Festum semiduplex S. Hermenegildi, Martyris, qui habet Hymnos proprios historicos unum pro Vesperis et Laudibus, alterum pro Matutino ; diebus 12 et 14 Aprilis celebrantur Festa duplicia ; ergo Hymnus proprius Vesperarum non potest dici in Vesperis ; tunc ponitur Hymnus Vesperarum ad Matutinum, et Hymnus Matutini dicitur in Laudibus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji, 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. XX ; et Rubrica specialis hujus Festi.)

Nota. I. Festa quæ celebrantur cum Octava, habent suos Hymnos proprios per totam Octavam, quando dicitur Officium de Octava (excipe Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, 29 Junii). Fieri potest ob Concurrentiam aliorum Festorum infra Octavam, aut in die Octava, quod Hymnus proprius historicus Vesperarum nequeat dici ; ex. gr., in Calendario Ecclesiæ universalis casus iste occurrit infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et in die Octava. Declaravit S. Rituum Congregatio quod semel conjunctis Hymnis historicis in Festo, non amplius conjungendus est Hymnus impeditus cæteris diebus Octavæ. Ad dubium : « Quarta die infra Octavam, et die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, debetne Vesperarum Hymnus,

qui jam in Festo dictus est, conjungi cum Hymno Matutini sub unica conclusione ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 2 Julii 1901, *Lauretana*, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 459.)

Nota. II. Datur unicum exemplum Officii in quo reperiuntur quatuor proprii Hymni, qui historici dici possunt, nempe in Solemnitate SS. Rosarii B. Mariæ V., Dominica I Octobris (cfr. Q. 40) ; quando Hymni Vesperarum non possunt dici, in casu conjungerentur primus secundo in Matutino, et quartus tertio in Laudibus.

Nota. III. An Hymni Officii Commemorationis Passionis D. N. J. C., de quo fit in aliquibus locis Feria III post Dominicam in Sexagesima, necnon Officii votivi de Passione D. N. J. C., quod dici potest Feriis VI liberis (hæc duo Officia sunt eadem præter Orationem), sunt historici ? Ephemerides Liturgicæ (XVII, 1903, pag. 546) censent ipsos esse historicos, « quia tales Hymni sunt revera historico ordine exarati, cum integram Dominicæ Passionis seriem a Domini captura usque ad signa in morte Domini secuta evolvunt ; ideoque juxta Rubricas generales Breviarii Romani (Tit. XX, n. 3), in casu impedimenti transferri possunt ac debent. » Animadvertendum est quod tres Hymni historici hujus Officii, primus *Mœrentes* ad Vesperas, secundus *Aspice* ad Matutinum, et tertius *Sævo* ad Laudes, habent metrum in omnibus diversum, et ideo non possunt conjungi.

Posito quod in Officio votivo de Passione Hymnus ad Vesperas, tum primas tum secundas, ob Concurrentiam numquam potest dici, si die antecedente aut die sequente fiat de Festo duplici vel semiduplici, vel de alio Officio votivo, nempe de SS. Sacramento aut de Immaculata Conceptione, sequitur quod Hymnus Vesperarum in casu semper foret dicendus ad Matutinum ; cumque hic Hymnus conjungi non possit Hymno Matutini qui diversi metri est, quid faciendum remanet de Hymnis Matutini et Laudum ? Respondent Ephemerides (loco citato) in casu, retento Hymno proprio ad Laudes, omittendum esse Hymnum *Aspice* Matuti-

ni, « utpote minoris momenti et ad integritatem historiæ minus necessarium » (agitur tamen ibi de Christo Cruci affixo et in Cruce moriente). Hucusque, pro Officio votivo de Passione, transpositio Hymnorum a Calendaristis generatim non fuit proposita. Res momenti sat magni est ut exspectare liceat declarationem S. Rituum Congregationis, an isti Hymni sint de iis Hymnis historicis de quibus agit Rubrica, et quid sit faciendum. Norma supra proposita non sine molestia et incommodo est.

Nota. IV. In Officio Festi Septem Dolorum B. Mariæ V., quod celebratur Feria VI post Dominicam Passionis, Sequentia Missæ *Stabat Mater*, in Officio tripartita pro Hymno, inchoatur ad Vesperas, continuatur ad Matutinum, terminatur ad Laudes ; etiamsi stricte historicus non sit Hymnus, talis tamen est cujus initium nequit omitti.

Si ob aliquam causam Vesperæ primæ sunt omittendæ, non applicanda est in casu Rubrica generalis supra in responso citata, juxta quam deberent Hymni transferri, ita ut ad Matutinum dicatur Hymnus Vesperarum, ad Laudes Hymnus Matutini, et ad secundas Vesperas Hymnus Laudum ; sed servanda est in casu Rubrica specialis Breviarii. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 17.) Juxta hanc Rubricam specialem, descriptam ad Officium Festi, Hymnus *Stabat Mater* Vesperarum jungitur, seu præponitur ad Matutinum Hymno Matutini *Sancta Mater* ; ad Laudes servatur Hymnus *Virgo virginum*, et si Vesperæ secundæ dicuntur integræ, resumitur Hymnus Vesperarum *Stabat Mater*. Animadvertendum est quod isti Hymni non habeant Doxologiam, seu conclusionem ; ideo in conjunctione Hymni Vesperarum cum Hymno Matutini, Vesperarum Hymnus dicitur totus sicut est, omisso tantum verbo *Amen*.

Nota. V. In Officio Sanctæ Familiæ, Jesu, Mariæ, Joseph, quod celebratur in aliquibus locis Dominica III post Epiphaniam, habentur tres Hymni proprii, nempe ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes ; in Hymno Matutini metrum est diversum. Si ob aliquam causam Vesperæ primæ sunt omittendæ, certo jam non

debet nec potest quidem Hymnus Vesperarum conjungi Hymno Matutini; sed et transpositio a Vesperis non facienda videtur: etenim censent Ephemerides Liturgicæ (XIV, 1900, pag. 434) Hymnos hujus Festi non esse historicos, nisi latiori quodam sensu, qui eorum conjunctionem non sinit.

§ 2. De Antiphonis et Versibus

Q. 201. *Accidit quandoque quod Antiphona alicujus Psalmi, vel Cantici sumitur ex eorum principio, vel incipit sicut Psalmus, vel Canticum; quid tunc observandum est?*

R. « Quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi, vel Cantici, et incipit sicut Psalmus, vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi, vel Cantici; sed continuatur quod sequitur in Psalmo, vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluja.* » (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 7.)

Igitur A) In Officio duplici, quando Antiphona eadem est quam primus Psalmi versus, et illi non additur in fine *Alleluja*, tunc incipitur Psalmus idem a secundo versu. (Rubrica specialis in Officio Dedicationis Ecclesiæ, ad 1 Antiphonam 3 Nocturni.)

Exempla: In Officio Festi SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam, prima Antiphona in primo Nocturno est: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra*; sequitur Psalmus VIII: *Domine Dominus noster, etc.*; non repetitur post Antiphonam hic primus Psalmi versus, sed Psalmus incipitur a secundo versu: *Quoniam elevata est etc.*

In Communi Dedicationis Ecclesiæ, primus Psalmus tertii Nocturni est XC: *Qui habitat in adjutorio etc.*; Antiphona vero hujus Psalmi omnino idem sonat quam primus Psalmi versus; in hoc casu, primus versus Psalmi non repetitur, sed principium hujus Psalmi est a secundo versu: *Dicet Domino etc.*

Si tamen hoc Officium diceretur Tempore Paschali, Antiphonæ huic addendum foret *Alleluja*; tunc in ritu duplici diceretur ante Psalmum integra Antiphona *Qui habitat* cum *Alleluja,* et, quia discontinuatur, iterum diceretur versus *Qui habitat etc.* pro principio Psalmi.

In Festo Ascensionis Domini, secunda Antiphona in secundo Nocturno sonat: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti moalleluja*; Psalmus XXIX incipitur: *Exaltabo te Domine, que,*

niam etc. ; per additum *Alleluja* enim habetur discontinuatio Antiphonam inter et principium Psalmi, etiamsi verba utriusque sint eadem.

B) In Officio semiduplici, in quo Antiphona ante Psalmum inchoatur tantum, quando Antiphona incipit a primo versu Psalmi, tunc Psalmus incipitur ab eo verbo in quo desinit Antiphona inchoata ; si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo. (Rubrica specialis, ad 3 Antiphonam 2 Nocturni Dominicæ in Psalterio.)

Exempla : Ad tertium Psalmum secundi Nocturni, in utroque Communi Confessoris Pontificis et Confessoris non Pontificis, dicuntur in Officio semiduplici Antiphonæ inchoatæ verba : *Domine Dominus noster* ; Psalmus VIII incipit iisdem verbis ; etiamsi Antiphona integra non eadem omnino sit quam primus Psalmi versus, quia tamen verba Antiphonæ in ritu semiduplici dicenda eadem sunt quam principium Psalmi, omittitur hoc Psalmi principium, et Psalmus incipit tantum a quarto verbo : *quam admirabile est etc.*

Infra Octavam Epiphaniæ, Officium est semiduplex ; ad primum Psalmum primi Nocturni dicuntur Antiphonæ verba : *Afferte Domino,* et principium Psalmi erit : *filii Dei : afferte Domino etc.*

Infra Octavam Ascensionis, ad secundam Antiphonam in secundo Nocturno dicuntur Antiphonæ verba : *Exaltabo te,* et quia non habetur sicut in ipso Festo et in die Octava discontinuatio per additum *Alleluja,* continuatur quod sequitur in primo versu Psalmi : *quoniam suscepisti me etc.*

In Officio de Dominica, pro tertia Antiphona secundi Nocturni dicuntur verba : *Diligam te* ; non repetuntur hæc in sequenti Psalmo, qui incipitur ab eo verbo in quo desinit Antiphona, scilicet : *Domine fortitudo mea, etc.*

Plura exempla dantur in Psalterio, in Officio Feriali.

Nota. Quoad supradicta exempla continuationis Psalmi cum Antiphona inchoata in ritu semiduplici omnes conveniunt ; non ita vero in duobus sequentibus casibus qui aliquando occurrunt.

In Communi Confessoris Pontificis et non Pontificis ante primum Psalmum primi Nocturni ponitur Antiphona : *Beatus vir qui in lege Domini meditatur etc.* ; Psalmi versus primus vero sonat : *Beatus vir, qui non abiit etc.* ; — in eodem Communi ante primum Psalmum tertii Nocturni ponitur Antiphona : *Domine, iste sanctus habitabit etc.* ; Psalmi versus primus vero sonat :

Domine quis habitabit etc. ; in Officio semiduplici istæ duæ Antiphonæ inchoantur : *Beatus vir, Domine* ; sed quia istæ Antiphonæ integræ non perfecte, seu integre desumuntur a respectivo Psalmorum initio, sentiunt quidam in his duobus casibus post verba Antiphonarum resumenda esse principia Psalmorum, ita ut dicendum sit : *Beatus vir. Beatus vir, qui non abiit etc. ; Domine. Domine quis habitabit etc.* (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII. 1898, pag. 176.) Alii vero latiori sensu Rubricam interpretantes, dicunt in his et similibus casibus non esse iterandum Psalmi initium, quin ulla fiat distinctio utrum vel non perfecte et integre Antiphona integra desumatur a Psalmi initio ; et unicuique libertatem relinquunt, usque dum competens auctoritas rem definiat. (Ibidem, pag. 236.)

Q. 202. *Accidit ut Antiphona, vel Versus Officii cujus fit Commemoratio, sint eadem cum illis quæ recitata fuerunt in Officio quod integrum dicitur, aut in præcedenti Commemoratione ; quid in tali casu faciendum est ?*

R. In memoriam revocatur quod Commemoratio regulariter fit, — in Laudibus per Antiphonam assignatam ad Canticum *Benedictus*, et per Versum qui reperitur post Hymnum ; — in Vesperis vero per Antiphonam assignatam ad Canticum *Magnificat*, et Versum qui reperitur post Hymnum, sive e primis, sive e secundis Vesperis, pro casuum diversitate. (Q. 162.)

Principium in Rubricis est quod in eodem Officio, vel potius in eadem Hora Officii bis eadem non dicantur.

Itaque mutari debent in Commemoratione quæcumque sunt eadem quam quæ in eadem Hora dicta jam fuerunt, et hæc tantum : unde si Antiphonæ sunt eædem, Versus autem diversi, sola mutabitur Antiphona ; si Antiphonæ sunt diversæ, Versus autem iidem, solus mutabitur Versus.

Nota. 1° In Communi Confessoris Pontificis, ad *Benedictus* in Laudibus Antiphona est : *Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus* ; in Communi Confessoris non Pontificis, item ad *Benedictus*, Antiphona est : *Euge serve bone, etc.*, ut in Communi Confessoris Pontificis,

cum aliqua variatione tantum in fine Antiphonæ ; dicitur enim : *Euge serve bone.... te constituam, intra in gaudium Domini tui* ; ratione hujus variationis censentur istæ Antiphonæ diversæ, ita ut una pro Officio, altera pro Commemoratione usuvenire possit.

2° In Communi Confessoris Pontificis, ad *Magnificat* in secundis Vesperis, Antiphona est : *Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum* ; in primis Vesperis ejusdem Communis Versus sonat etiam : *Amavit eum Dominus, et ornavit eum.* ℟. *Stolam gloriæ induit eum* ; hic Versus cum suo Responsorio non est nisi major pars Antiphonæ præcedentis in duas partes divisa.

Accidit aliquando, ex regulis infra exponendis, ut hæc Antiphona et hic Versus in eadem Hora pro Commemorationibus debeant sumi.

Auctores dicunt Antiphonam *Amavit eum*, et Versum *Amavit eum* adhiberi posse pro diversis Commemorationibus.

Olim disputabant auctores utrum et Antiphona et Versus dici possent pro eadem Commemoratione ; sed ex hodierna Commemorationum disciplina hujusmodi occursus possibilis non amplius est ; attamen juvat hic notare quod illi auctores qui negabant Antiphonam *Amavit eum*, et Versum *Amavit eum* simul pro eadem Commemoratione dici posse, id probabant ex Rubrica speciali Breviarii, in Vesperis Sabbati infra Octavam Epiphaniæ, ubi, si dicta fuerit Antiphona *Omnes de Saba etc.*, pro Vesperis diei quintæ infra Octavam, præscribitur dicendum esse Versum *Adorate Deum etc.*, loco Versus *Omnes de Saba*, qui aliis diebus dicitur.

Addi potest quod, in alio equidem casu, ubi non agitur de Commemoratione, S. Rituum Congregatio ita quoque faciendum disponit : etenim, si recitatur Officium votivum de SS. Angelis, Feria II, tempore Paschali, accidit ut Antiphona secundi Nocturni, quæ unica est pro hoc Nocturno, scilicet : *Ascendit fumus aromatum, etc.*, eadem sit quam Versus hujus Nocturni, qui item est : *Ascendit fumus etc.* Decreto 6 Februarii 1892 (n. 3764, ad 16), S. Rituum Congregatio rescripsit, loco primæ Antiphonæ in casu usurpandam esse alteram, nempe secundam hujus Nocturni : *Immittet Angelus etc.*

3° Pro SS. Doctoribus, dicitur in utrisque Vesperis ad *Magnificat* Antiphona *O Doctor optime, etc.* ; quando duo Officia SS. Doctorum concurrunt, tunc, ne bis di-

catur Antiphona *O Doctor*, pro eo cujus fit Commemoratio dicitur Antiphona ad *Magnificat* ex Vesperis de Communi vel Confessoris Pontificis, vel Papæ, vel Confessoris non Pontificis, pro qualitate S. Doctoris cujus dicitur Commemoratio.

Exempla: Anno 1899, diebus 10, 11 et 12 Aprilis, in Diœcesi Mechliniensi dicenda erant successive Officia duplicia minora trium SS. Doctorum, S. Joannis Damasceni Confessoris, S. Leonis Papæ et Confessoris, et S. Isidori Episcopi et Confessoris; tres in suis primis Vesperis habuerunt ad *Magnificat* Antiphonam *O Doctor*; sed pro Commemoratione in secundis Vesperis dicta fuit pro S. Joanne Damasceno Antiphona *Hic vir despiciens*, de Communi Confessoris non Pontificis, et pro S. Leone Antiphona *Dum esset*, propria pro Summis Pontificibus in Communi Confessoris Pontificis; S. Isidorus vero, qui concurrebat cum sequenti S. Hermenegildo Martyre, in utrisque Vesperis habuit Antiphonam *O Doctor*. — Similes Concurrentiæ reperiuntur in Directorio Mechliniensi anni 1902, diebus 9, 10 et 11 Aprilis; anni 1903, diebus 20 et 21 Aprilis; anni 1904, diebus 11 et 12 Aprilis.

Q. 203. *Indica quo modo et ordine mutari debent Antiphonæ et Versus, quando in aliquo Officio occurrunt unum vel plura Festa simplicia, quorum Commemorationes sunt sumendæ de eodem Communi quod dicitur pro Officio.*

R. 1° Quando in aliquo Festo duplici vel semiduplici occurrit Festum simplex Sancti qui ejusdem est conditionis quam ille cujus Officium dicitur, tunc, quia Antiphona et Versus Festi simplicis, de quo fit Commemoratio in primis Vesperis et Laudibus, sumenda sunt ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, Antiphona et Versus Festi simplicis variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.)

Exemplum: Die 9 Februarii, celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum duplex S. Gudulæ, Virginis; eadem die celebratur Festum simplex S. Apolloniæ, Virginis et Martyris, cujus fit tantum Commemoratio in Officio S. Gudulæ. Utraque Sancta habet Officium de Communi Virginum. In primis Vesperis S. Gudulæ dicitur Versus *Specie tua*, et ad *Magnificat* Antiphona *Veni, sponsa Christi*; eadem Antiphona, idemque Versus deberent dici pro Commemoratione S. Apolloniæ: ideo mutantur hæc, et dicitur Antiphona *Simile est regnum*, et Versus

Diffusa est, ex Laudibus de Communi Virginum. In Laudibus vero Officii S. Gudulæ cum jam dicta sint Versus *Diffusa est*, et Antiphona *Simile est regnum* ad *Benedictus*, pro Commemoratione S. Apolloniæ dicuntur Antiphona *Veni, sponsa Christi*, et Versus *Specie tua*, ex primis Vesperis de Communi Virginum.

2° Quando plures Commemorationes ex eodem Communi sumendæ sunt, sequens norma tenenda est, quam posuit S. Rituum Congregatio per Decretum 27 Junii 1899 (n. 4042, ad 5) : « Quando plures Commemorationes occurrunt faciendæ de eodem Communi (nisi aliter in Breviario notetur) *ad Vesperas*, dictis Antiphona et ℣. de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et ℣. ex 2 Nocturno, ultima vero per primam Antiphonam et ℣. ex 3 Nocturno. — *Ad Laudes* vero, dictis Antiphona et ℣. de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et ℣. de 1 Vesperis, altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et ℣. ex 2 Nocturno, tertia tandem per primam Antiphonam et ℣. 3 Nocturni. »

In nostro Kalendario Diœcesis Mechliniensis, si habetur aliquando occasio applicandi regulam priorem, nulla datur pro applicatione alterius hujus regulæ, in quantum quæstio agitur, uti posita fuit, de pluribus Festis simplicibus Sanctorum qui sunt ejusdem conditionis quam ille cujus Festum duplex vel semiduplex celebratur, et quorum Commemoratio est facienda in Occurrentia ; ad summum applicanda venit aliquando in Concurrentia.

Exemplum : 19 Julii celebratur Festum duplex minus S. Vincentii a Paulo, Confessoris ; et die sequenti, 20 Julii, Festum duplex minus S. Hieronymi Æmiliani, Confessoris ; supponitur hac die 20 Julii occurrere insuper Festum simplex Sancti N. ; Vesperæ diei 19 Julii dicuntur de S. Vincentio, a Capitulo de sequenti, cum Commemoratione præcedentis et Sancti N. — Pro S. Hieronymo dicuntur Versus *Amavit eum*, et Antiphona *Similabo eum*, ex primis Vesperis de Communi ; pro S. Vincentii Commemoratione dicuntur Antiphona *Hic vir despiciens*, et ℣. *Justum deduxit*, ex secundis Vesperis de Communi ; pro Sancto N. dicitur Antiphona *Euge serve bone*, ex Laudibus de Communi, Versus vero ex iisdem Laudibus non potest sumi, quia idem est qui notatur pro secundis Vesperis, scilicet *Justum deduxit* ; ideo dicitur Versus *Os justi*, qui in Communi describitur ad secundum Nocturnum ; si quæras quare recurratur

ad secundum Nocturnum, respondetur Versum primi Nocturni eumdem esse qui dictus fuit ad primas Vesperas, nempe *Amavit eum.* — Quodsi et altera simplicis Festi Sancti Confessoris 20 Julii occurrentis, Commemoratio foret dicenda, sumerentur Antiphona prima tertii Nocturni, scilicet *Domine iste sanctus*, et Versus ex eodem Nocturno tertio, scilicet *Lex Dei ejus*; et si iterum quæras quare recurratur ad tertium Nocturnum, respondetur quod ibi tantum reperitur Versus de Communi nondum dictus, et quia Versus sumitur ex hoc tertio Nocturno, ita sumitur Antiphona prima ex eodem Nocturno, unde Versus sumitur, ne Antiphona longius a Versu sit quærenda, si, ut ordo postulare videtur, sumeretur prima ex primo Nocturno. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 705, et XVII, 1903, pag. 550.)

Nota. Exempla hujusmodi casuum etiam habentur in Breviario in secundis Vesperis S. Hilarii, 14 Januarii; et in primis Vesperis S. Justini, 14 Aprilis, pro tempore Paschali; necnon in Laudibus S. Caroli, 4 Novembris. In his casibus tamen, propter specialia motiva (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 707), aliter jam in Breviario ordinantur Versus pro Commemorationibus. Sunt exceptiones propter quas, tam in Rubrica quam in Decreto, ad normæ sequendæ expositionem adduntur verba: nisi aliter signetur, vel notetur. Sufficiet hæc indicasse.

Q. 204. *Indica quo modo mutari debent Antiphonæ et Versus, quando in Officio alicujus Sancti facienda est Commemoratio de die infra Octavam alterius Sancti ejusdem conditionis, vel pro qua Commemoratione dantur iidem Versus.*

R. Prænotatur quod hæc Quæstio practica est in pluribus locis particularibus, pro celebratione nempe Patroni loci vel Tituli Ecclesiæ; aliqui ex Sanctis Patronis aut Sanctis Titularibus habent suum Officium proprium, Antiphonas ergo proprias, Versus quoque aliquando proprios, ex. gr., S. Martinus (cfr. Q. 25); hæc assumuntur per totam Octavam, et tunc difficultas nulla datur; sed plerique ex Sanctis non habent Officium proprium, et tunc per totam Octavam eorum Commemoratio sumenda est de Communi; unde identitas dari potest, occurrente Festo alicujus Sancti qui est ejusdem conditionis.

In memoriam revocatur quod dies infra Octavam unicas Vesperas tantum habet, in quibus omnia dicuntur ut in secundis Vesperis Festi (QQ. 102, et 183); attamen in casu identitatis erit recurrendum ad primas Festi Vesperas.

Respondetur ad Quæstionem : I. In Occurrentia, in primis Vesperis Officii occurrentis sumuntur pro Commemoratione Octavæ Antiphona et Versus ex secundis Vesperis.

In Laudibus sumuntur Antiphona et Versus ex primis Vesperis de Communi.

In secundis Vesperis sumuntur Antiphona ex Laudibus, et Versus ex primis Vesperis de Communi.

Nota. Quoad Antiphonam in casu dicendam pro Commemoratione Octavæ in Laudibus variæ datæ fuerunt solutiones, et quidem Decreta non consentiebant. Expunctis contrariis, in nova editione Collectionis Decretorum, anni 1898, retentum fuit sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Si pro facienda in Laudibus Commemoratione alicujus diei infra Octavam sumenda sit Antiphona ex eodem Communi unde sumpta est pro Officio, quæritur : Utrum in hoc casu servanda sit Rubrica Breviarii Romani Tit. IX, de Commemorationibus, num. 8, ut scilicet sumatur ex primis Vesperis ; an vero sumi debeat ex secundis Vesperis quia dies infra Octavam non habet primas Vesperas ? » S. Congregatio censuit respondendum : « Affirmative, quoad primam partem ; Negative, quoad secundam. » (Decret. 21 Junii 1710, n. 2205, ad 2, antiq. 3827, ad 3.) Quod Decretum confirmatum reperitur sequenti : Ad dubium : « An, occurrente Festo Confessoris non Pontificis infra Octavam alterius Festi pariter Confessoris non Pontificis, pro Commemoratione Octavæ in Laudibus, desumenda sit Antiphona ex secundis ; vel potius ex primis Vesperis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, quoad primam partem ; Affirmative, quoad secundam. » (Decret. 28 Martii 1775, n. 2503, ad 2, antiq. 4378, ad 11.) — Hæc duo Decreta consentiunt cum Decreto generali 27 Junii 1899 (n. 4042, ad 5) citato Q. 203, 2°.

II. In Concurrentia duorum Sanctorum qui sunt ejusdem qualitatis, cujus est Sanctus de quo dici debet Commemoratio pro die infra ejus Octavam, pro hujus Commemoratione sumuntur in his Vesperis Antiphona ex Laudibus, et Versus ex secundo Nocturno Matutini.

Eadem observanda sunt, quando Officium et Commemoratio sunt de Sanctis Confessoribus, quorum unus alterve esset Pontifex, tertius non Pontifex ; quia, ad Vesperas et ad Laudes, Versus in utroque horum Communi sunt iidem.

Servatur itaque in omnibus norma proposita a S. Rituum Congregatione per Decretum citatum sub 2° ad Q. præcedentem (Decret. 27 Junii 1899, n. 4042, ad 5.)

Exemplum : S. Amandus, Confessor et Pontifex, cujus Festum in Diœcesi Mechliniensi celebratur 6 Februarii, Patronus est plurium locorum, Titularis nonnullarum Ecclesiarum ; celebratur ibi ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava.

Die 11 Februarii, celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum duplex S. Vedasti, Episcopi et Confessoris, et die 12 Februarii Festum duplex S. Titi, Episcopi et Confessoris.

Die 10 Februarii, dicuntur a Capitulo primæ Vesperæ S. Vedasti, qui habet itaque Versum *Amavit eum etc.*, et ad *Magnificat* Antiphonam *Sacerdos et Pontifex, etc.*, ex primis Vesperis de Communi Confessoris Pontificis ; facta dein Commemoratione præcedentis, nempe S. Scholasticæ, Virginis, facienda est quoque Commemoratio diei infra Octavam S. Amandi, pro qua dicuntur Antiphona *Amavit eum etc.*, et Versus *Justum deduxit etc.* ex secundis Vesperis.

Die 11, in Laudibus Officii S. Vedasti dicuntur pro hoc Sancto Versus *Justum deduxit etc.*, et ad *Benedictus* Antiphona *Euge serve bone etc.*, ex Communi Confessoris Pontificis ad Laudes ; pro Commemoratione diei infra Octavam S. Amandi dicitur Antiphona *Sacerdos et Pontifex*, et Versus *Amavit eum*, ex primis Vesperis ejusdem Communis. (Animadvertere hic juvat, quod plerique auctores antehac proponebant, ex consideratione quod dies infra Octavam non habet Vesperas primas, dicendam esse ad Laudes Antiphonam *Amavit eum,* ex secundis Vesperis, et Versum *Elegit eum* ex secundo Nocturno de Communi ; — non enim poterat dici cum hac Antiphona *Amavit eum* Versus *Amavit eum* ex primis Vesperis, ut dictum fuit Q. 202, Nota 2° ; — consultius nunc judicavit et commodius S. Rituum Congregatio dicere Commemorationem diei infra Octavam, sicut supra proponitur, nempe ex primis Vesperis de Communi.)

In secundis suis Vesperis S. Vedastus concurrit cum sequenti Festo S. Titi ; uterque est Confessor et Pontifex, et habet Officium de Communi ; facienda est quoque in his Vesperis Commemoratio de die infra Octavam S. Amandi, Episcopi et Confessoris. In his Vesperis S. Titus habet Versum *Amavit eum*, et Antiphonam *Sacerdos et Pontifex*, ex primis Vesperis ; S. Vedastus habet Antiphonam *Amavit eum,* et Versum *Justum deduxit,* ex secundis Vesperis ; pro Commemoratione S. Amandi sumitur Antiphona *Euge serve bone*, ex Laudibus, et quia Versus Laudum jam dictus fuit pro secundis Vesperis S. Vedasti, est enim idem, quæritur alius Versus, ex secundo Nocturno Matutini, nempe *Elegit eum Dominus etc.*

Infra eamdem Octavam occurrunt duo Sancti Confessores non Pontifices, S. Romualdus, Abbas, 7 Februarii ; et S. Joannes de Matha, Confessor, 8 Februarii ; utriusque Festum est duplex, et in eorum Officio facienda est Commemoratio de die infra Octavam S. Amandi.

In Laudibus eorum Officii dicitur Versus *Justum deduxit,* et ad *Benedictus* Antiphona *Euge serve bone* ; pro Commemoratione S. Amandi sumitur Antiphona ex Laudibus de Communi

Confessoris Pontificis, scilicet *Euge serve bone* (de qua, quoad identitatem, dictum fuit Q. 202, Nota 1°), et Versus ex primis Vesperis *Amavit eum*.

In Vesperis secundis S. Romualdi, dicitur iterum pro Commemoratione S. Amandi Versus *Elegit eum Dominus*, ex secundo Nocturno Matutini, ut supra in Concurrentia SS. Vedasti et Titi ; quia Versus utriusque Communis sunt iidem.

Q. 205. *Indica quo modo mutari debent Antiphona et Versus pro Commemoratione S. Titularis inter Suffragia, quando hæc dicenda est in Officio semiduplici alicujus Sancti qui est ejusdem conditionis, et qui idem habet Officium de Communi.*

R. Inter Suffragia seu Commemorationes communes, quæ dicuntur in Officio semiduplici et simplici, extra Octavas et quædam anni tempora (cfr. Q. 46), dicitur Commemoratio Titularis Ecclesiæ, de qua speciatim dicitur in QQ. 229, 230, 231. Pro hac Commemoratione communi Titularis Ecclesiæ, nisi Titularis habeat Officium proprium, sumuntur e Communi, pro Laudibus Antiphona et Versus ex Laudibus, et pro Vesperis Antiphona et Versus ex secundis Vesperis.

Si dicendum est hujusmodi Suffragium in Officio alicujus Sancti qui est ejusdem conditionis, tunc in primis Vesperis Officii sumuntur pro Suffragio Antiphona et Versus ex secundis Vesperis de Communi.

In Laudibus sumuntur Antiphona et Versus ex primis Vesperis.

In secundis Vesperis Officii sumuntur Antiphona ex Laudibus, et Versus ex primis Vesperis.

Servatur itaque iterum, sicut pro casibus præcedentibus, norma proposita a S. Rituum Congregatione per Decretum citatum sub 2° ad Quæstionem 203 (Decret. 27 Junii 1899, n. 4042, ad 5.) Decretum hoc enim generale est eo sensu quod se extendit ad omnes casus in quibus Commemorationes plures ex eodem Communi occurrunt faciendæ, sive sint de Festis simplicibus, sive de diebus infra Octavam, sive de Suffragiis.

Exemplum : S. Lambertus, Martyr et Pontifex, cujus Festum celebratur in Diœcesi Mechliniensi 17 Septembris, est Titularis plurium Ecclesiarum; ejus Suffragium igitur dicendum est in quibusdam Officiis ritus semiduplicis et simplicis.

Die 28 Septembris, occurrit Festum semiduplex S. Wenceslai, Ducis et Martyris, cujus dicuntur primæ Vesperæ a Capitulo; in his dicuntur pro ipso Versus *Gloria et honore*, et Antiphona *Iste sanctus*, ex primis Vesperis de Communi unius Martyris; pro Suffragio S. Lamberti dicuntur Antiphona *Qui vult venire*, et Versus *Justus ut palma*, ex secundis Vesperis.

In Laudibus Officii S. Wenceslai dicuntur pro ipso Versus *Justus ut palma*, et ad *Benedictus* Antiphona *Qui odit animam*, ex Communi unius Martyris, ad Laudes; pro Suffragio S. Lamberti dicuntur Antiphona *Iste sanctus*, et Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperis.

Secundæ Vesperæ de S. Wenceslao non dicuntur ratione Festi duplicis 2 classis Dedicationis S. Michaelis Archangeli; seposito hoc Festo, et supposito alio Festo semiduplici, pro S. Wenceslao dicerentur in secundis suis Vesperis Antiphona *Qui vult venire*, et Versus *Justus ut palma*; et pro Suffragio S. Lamberti diceretur Antiphona *Qui odit animam*, ex Laudibus, et Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperis de Communi, quia Versus Laudum idem est ac in secundis Vesperis, et dictus jam fuit pro S. Wenceslao.

Nota. Suffragium S. Joseph, Sponsi B. M. V., habet ad Laudes Versum *Os justi*; in Ecclesiis quarum Titularis est Sanctus Confessor non Pontifex, ex. gr., S. Franciscus Assisiensis, posset fieri quod ex variis Commemorationibus Confessorum non Pontificum faciendis in Laudibus perveneretur ad Versum *Os justi*, sumendum ex 2 Nocturno; quia hic Versus tunc jam dictus fuit pro S. Joseph, non potest resumi pro Suffragio Titularis; in casu diceretur cum Antiphona *Hic vir despiciens*, ex Laudibus, Versus *Lex Dei ejus*, ex tertio Nocturno.

Q. 206. *Quo modo mutari debent Antiphona et Versus, quando ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, sumenda sunt pro Commemoratione Festi redacti ad instar Simplicis?*

R. Distinguendum est: I. Si Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem habet in utrisque Vesperis, primis et secundis, et in Laudibus, tunc pro ejus Commemoratione, nisi aliter in Breviario signetur:

In primis Vesperis, Antiphona et Versus sumuntur e secundis Vesperis.

In Laudibus, Antiphona et Versus sumuntur e primis Vesperis.

In secundis Vesperis, Antiphona sumitur e Laudibus, et Versus e primis Vesperis.

Nota. Animadvertere juvat quod regula proposita pro his Commemorationibus, inserta Rubricis generalibus Breviarii reformatis vi Decreti 11 Decembris 1897 (Tit. IX, n. 8), differt a regula proposita in præcedenti Quæstione 203, pro variatione in Vesperis Festi simplicis Antiphonæ et Versus, quæ ibi sumenda præscribuntur ex Laudibus; profecto ea de causa, quia Festum simplex unicas Vesperas tantum habet, nempe primas.

Exemplum : Festum semiduplex S. Anacleti, Papæ et Martyris, celebratur 13 Julii; in Diœcesi Mechliniensi celebratur Dominica II Julii Festum S. Liberti, Martyris, duplex 2 classis.

Anno 1902, et quoties Littera Dominicalis est E, hæc Dominica occurrit in diem 13 Julii; Officium dicitur de S. Liberto, et fit in utrisque Vesperis, et in Laudibus Commemoratio Festi S. Anacleti, ad instar Simplicis redacti. Uterque Sanctus habet Officium ex eodem Communi unius Martyris.

S. Libertus habet ex hoc Communi, in primis Vesperis Versum *Gloria et honore,* et Antiphonam *Iste sanctus* ; in Laudibus Versum *Justus ut palma*, et Antiphonam *Qui odit animam* ; in secundis Vesperis Versum *Justus ut palma,* et Antiphonam *Qui vult venire.*

Pro Commemoratione S. Anacleti eædem Antiphonæ, et iidem Versus ad respectivas Horas ex eodem Communi deberent dici; ideo mutantur, et in primis Vesperis dicuntur Antiphona *Qui vult venire*, et Versus *Justus ut palma*, ex secundis Vesperis ; in Laudibus Antiphona *Iste sanctus*, et Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperis ; in secundis Vesperis sumitur Antiphona *Qui odit animam*, ex Laudibus, et quia Versus Laudum et secundarum Vesperarum sunt iidem, sumitur Versus *Gloria et honore*, ex primis Vesperis.

Exceptio datur pro « casu, quo Commemoratio alicujus Sanctæ Virginis facienda sit in Festo alterius Virginis ; tunc enim in primis Vesperis pro Sancta Virgine, de qua agitur Commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus », quia Antiphona in Communi Virginum est eadem pro primis et secundis Vesperis, scilicet *Veni, sponsa Christi.* (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.)

Nulla in nostro Kalendario hujus exceptionis applicatio occurrere potest.

II. Quando Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem in secundis Vesperis non habet eo

quod die sequenti, vel per accidens, vel perpetuo celebretur Festum duplex 1 classis, quod Commemorationem præcedentis Duplicis aut Semiduplicis non admittit (Q. 192, 1° a), aut Festum duplex 2 classis, quod Commemorationem præcedentis Semiduplicis non admittit (Q. 192, 2° a), tunc pro Commemoratione Festi ad instar Simplicis redacti fit quemadmodum pro Festo simplici (Q. 203), nempe : in primis Vesperis sumuntur Antiphona et Versus ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis.

Idem dicendum est de Festo duplici vel semiduplici quod perpetuo redactum est ad ritum simplicem, et quod, sicut rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 7 Decembris 1900, cfr. Q. 176, Nota III), considerari debet non ut simplificatum, sed ut simplex ; unde non amplius ad tres, sed ad duas tantum Commemorationes jus habet, in primis Vesperis nempe et in Laudibus. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 65.) Uti dictum fuit in Nota III ad Quæstionem 176, in Kalendario Diœcesis Mechliniensis nulla redigenda perpetuo sunt ad ritum simplicem Festa duplicia aut semiduplicia.

Exemplum : Resumitur exemplum supra datum : si alicubi, die 14 Julii, Festum S. Bonaventuræ, Episcopi, Confessoris et Doctoris, celebraretur ritu duplici 1 vel 2 classis, in primis Vesperis hujus Festi non fieret Commemoratio S. Anacleti ; ideo ibi in Officio S. Liberti, in primis Vesperis pro Commemoratione S. Anacleti sumerentur, non Antiphona et Versus ex secundis Vesperis, ut supra indicatum fuit, sed Antiphona *Qui odit animam*, et Versus *Justus ut palma*, ex Laudibus ; in Laudibus-vero fieret Commemoratio ut supra.

Nota. In præcedentibus Quæstionibus agitur de identitate Antiphonarum et Versuum in Officio et Commemorationibus ; identitas quoque dari potest in Orationibus dicendis, de quo casu dicit Rubrica : « Si autem occurrat, ut eadem sit Oratio Festi de quo fit Officium, et ejus de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. » (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 8.)

Itaque, si ex motivo translationis duo Sancti Doctores concurrerent, qui ambo habent Orationem *Deus*,

qui populo tuo etc., pro eo cujus fit Commemoratio sumeretur Oratio de Communi Confessoris Pontificis, vel non Pontificis, secundum ejus qualitatem; sed hæc mutatio fieret tantum in illa Hora in qua concurrunt, nempe in Vesperis; in aliis Horis Sanctus Doctor servaret suam Orationem propriam Doctoris.

Item pro Sancta Virgine non Martyre, et pro Sancta nec Virgine nec Martyre, unica in earum Communi ponitur Oratio; in casu mutationis faciendæ potest sumi, pro ea cujus Commemoratio fit, Oratio de Virgine Martyre quæ incipit *Indulgentiam nobis*, omissa qualitate Martyris, vel Virginis.

Exemplum : In Breviario ponitur exemplum mutationis Orationis aliquando faciendæ pro S. Liborio, Episcopo et Confessore, cujus fit Commemoratio die 23 Julii; si, uti fit quoties Littera Dominicalis est B, hæc dies fuerit Sabbatum, in quo anticipatur Vigilia S. Jacobi, Apostoli, quando istius Festum celebratur Feria II, cum tunc in Laudibus Oratio Vigiliæ S. Jacobi *Da, quæsumus, etc.*, reperiatur esse eadem quam Oratio S. Liborii, pro Commemoratione S. Liborii, in Laudibus dicenda post Commemorationem Vigiliæ S. Jacobi, dicitur alia Oratio de Communi Confessoris Pontificis, scilicet : *Exaudi, quæsumus, etc.* Non tamen fit hæc mutatio in Vesperis diei præcedentis, quia tunc nondum fit de Vigilia, et ratio mutationis proinde non existit. Vide Directorium, seu Cartabellam anni 1904, ad diem 23 Julii.

Q. 207. *Quid notandum est de Antiphonis quæ dicuntur ad Psalmos Matutini tempore Paschali?*

R. « Tempore Paschali, in Officio tam novem, quam trium Lectionum, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quæ Officio convenit, ut suis locis ponitur. » (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 6.)

Tempus Paschale intelligitur in casu a Dominica in Albis usque ad Pentecosten.

Exempla : Ad Matutinum, ex. gr., Confessoris Pontificis, in primo Nocturno dicitur unica Antiphona *Beatus vir, * qui in lege Domini etc.*, ante primum Psalmum, ut consuete, et repetitur post tertium Psalmum; reliquæ vero Antiphonæ positæ ad secundum Psalmum (*Beatus iste sanctus*), et ad tertium Psalmum (*Tu es gloria mea*), omittuntur. Similiter in secundo Nocturno dicitur unica Antiphona *Invocantem * exaudivit Dominus etc.*, et in tertio Nocturno unica Antiphona *Domine, * iste*

sanctus etc., ante primum et post tertium Psalmum, aliis Antiphonis omissis.

Ad Matutinum Dominicæ, in primo Nocturno dicitur unica Antiphona *Alleluja, * lapis revolutus etc.*, pro duodecim Psalmis hujus Nocturni ; omittuntur Antiphonæ positæ pro Officio Dominicæ per annum ad quintum Psalmum, et ad nonum ; item in secundo Nocturno unica Antiphona pro tribus Psalmis dicitur *Alleluja, * quem quæris etc.*, et in tertio unica Antiphona *Alleluja : * noli flere etc.*

Exceptio datur pro Officio Ascensionis Domini ; in Festo enim, et quando per Octavam ejus fit de Octava, unusquisque Psalmus Matutini habet suam Antiphonam. Si autem infra hanc Octavam Officium dicitur de Sancto, regula supra pro Tempore Paschali data, de unica Antiphona cujusque Nocturni, observatur in Matutino hujus Sancti.

Nota. De Antiphona secundi Nocturni in Officio votivo de SS. Angelis, vide quæ notata fuerunt Q. 202, in 2ª Nota.

Q. 208. *Quid observandum est pro additione vel omissione vocis « Alleluja », in quibusdam anni temporibus ?*

R. I. Canticum *Alleluja* reperitur sparsum per totum annum in quibusdam partibus Officii, et ubicumque reperitur semper dicitur, etiam extra Tempus Paschale. — Ad dubium : « Num Antiphonæ, si habeant in fine *Alleluja*, semper cum eodem *Alleluja* recitari debent ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Affirmative ; excepto tempore a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum. » (Decret. 12 Julii 1892, n. 3780, ad 7.)

II. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluja*, tacetur : neque aliud ejus loco dicitur. (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 6.)

Hæc omissio annuntiatur Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ ; etenim ad Primam, in Martyrologio legitur : « Dominica Septuagesimæ, in qua deponitur Canticum Domini, *Alleluja.* » Et in fine Vesperarum hujus Sabbati, ad ℣. *Benedicamus Domino*, et ad ℟. *Deo gratias*, duplex additur *Alleluja* ; deinde in Completorio jam non amplius dicitur.

Vide apud Guéranger, in opere *L'année liturgique* (Tome IV, le Temps de la Septuagésime), pulcherrimas notas circa depositionem Cantici *Alleluja*, et antiquas Sequentias, et Antiphonas, necnon Hymnos, in quibus medio ævo solemniter hæc depositio annuntiabatur.

Dicit Rubrica quod, ubi omittitur *Alleluja*, nihil aliud ejus loco dicitur : hoc observandum est in Antiphonis, Versibus, etc. ; sed in principio Horarum, ubi per annum post ℣. *Deus in adjutorium etc.*, dicto ℣. *Gloria Patri, etc.*, dicitur *Alleluja*, hujus loco, a Septuagesima usque ad Feriam V in Cœna Domini exclusive, dicitur : *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.*

III. Tempore Paschali « in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluja*, quando in illis non habetur. » (Rubricæ generales, Tit. XXI, n. 6.) Ubi vero jam habetur, ex. gr., in Antiphona quarta *Sacerdotes Dei etc.*, ad Vesperas et Laudes de Communi Confessoris Pontificis, non aliud *Alleluja* additur.

Versibus qui dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum cujusque Nocturni, ad Laudes et Vesperas post Hymnum, et in Commemorationibus, et ad Horas in fine Responsorii brevis, eodem Tempore Paschali semper additur *Alleluja* ; non autem additur Versibus Precum quæ dicuntur in Officio semiduplici et simplici, ad Primam et ad Completorium, neque in Prima ad ℣. *Pretiosa in conspectu etc.* (Rubricæ generales, Tit. XXIV, n. 4.)

In exercitiis devotionis quæ extra Officium Canonicum fiunt, ex. gr., in qualibet Benedictione SS. Sacramenti, *Alleluja* etiam additur ad Versum *Panem de cœlo etc.*, qui cantatur ante Orationem SS. Sacramenti. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Martii 1898, n. 3983.) Additur etiam *Alleluja* ad Versus qui cantantur ante Orationes Sanctorum quorum Oratio dicitur.

Non vero additur *Alleluja* ad Versum *Ora pro nobis etc.*, post Litanias Lauretanas ; nec ad Versus *Benedicamus Patrem etc.*, post Hymnum *Te Deum* (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 18) ; neque ad Versiculos, qui cantantur in supplicationibus, ex. gr., post Litanias Omnium Sanctorum, aut pro quacumque tribulatione, et similibus ; hi Versiculi considerantur tamquam Versus Precum.

Similiter non additur *Alleluja* ad Versum *Emitte Spiritum tuum etc.*, qui dicitur post Hymnum *Veni Creator Spiritus*, tum quia Versus iste rationem habet precis, cui non convenit adjungere *Alleluja*, tum quia dicitur

Hymnus extra functionem liturgicam. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 439.)

Tandem ad Versum *Adjutorium nostrum etc.*, qui dicitur in Officio ad Primam, et in Benedictionibus generatim, non additur Tempore Paschali *Alleluja*.

Nota. In Festo SS. Corporis Christi, et quando per ejus Octavam dicitur Officium de Octava SS. Sacramenti, ad Versus Vesperarum, Nocturnorum et Laudum, et ad Antiphonas Vesperarum et Laudum, excepta Antiphona ad *Magnificat* in primis Vesperis, additur *Alleluja* ; item Responsoria brevia ad Tertiam, Sextam et Nonam dicuntur ritu Paschali. Hæc omnia dicenda sunt quemadmodum in Breviario proponuntur ; sed ad alia loca ejusdem Officii, ex. gr., ad Antiphonas Matutini, aut ad Responsoria Nocturnorum *Alleluja* non potest addi. Neque addi potest *Alleluja* in aliis Officiis Sanctorum quæ per Octavam dicuntur, neque Commemorationibus Sanctorum quæ in Vesperis et Laudibus per Octavam in Officio SS. Sacramenti de Sanctis dicuntur ; attamen quando infra Octavam dicitur Officium de Sanctis, *Alleluja* additur ad Antiphonas et Versus quæ pro Commemoratione Octavæ dicuntur ad Vesperas et Laudes.

In Officio Votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento quod per annum dicitur, omnia dicuntur ut in Festo SS. Corporis Christi, omisso *Alleluja* ubi reperitur ; sed Tempore Paschali hoc Officium dicitur totum ritu Paschali, quemadmodum reliqua Officia quæcumque quæ eodem Tempore dicuntur, addito etiam *Alleluja* ubi in Festo SS. Corporis Christi non additur.

§ 3. De Lectionibus in Matutino

Q. 209. *Quænam Lectiones de Scriptura dicuntur in primo Nocturno Matutini ?*

R. 1° Regulariter Lectiones dicuntur de Scriptura occurrente, id est, de ea parte Sacræ Scripturæ quæ indicatur in Proprio de Tempore, pro quavis totius anni die, in diversis anni ecclesiastici temporibus. (Cfr. Q. 32.)

2° In quibusdam Festis, Scriptura occurrens locum cedit aliis e Scriptura Lectionibus, quæ Festo vel My-

sterio quod celebratur magis accommodatæ seu appropriatæ sunt, et Lectiones propriæ vocantur ; reperiuntur vel in Officiis propriis, vel in Communi Sanctorum.

Lectiones hujusmodi propriæ dicuntur :

a) In omnibus Festis duplicibus 1 vel 2 classis.

b) In Festis duplicibus majoribus, pro quibus Lectiones propriæ a S. Rituum Congregatione approbatæ sunt.

Nota. Usque ad annum 1896 regula generalis fuit, quod in omni Festo duplici majori Lectiones primi Nocturni dicebantur, non de Scriptura occurrente, sed propriæ, vel de Communi ; sed « cum S. Rituum Congregatio expetita fuerit a plurium Diœcesium Episcopis num attenta multiplicatione Officiorum quæ sub ritu duplici majori conceduntur, expediat adhuc in dictis Officiis legere Lectiones I Nocturni de Communi Sanctorum, nisi propriæ habeantur, pro Scriptura occurrente ; » S. Congregatio respondendum censuit : « Præsentibus rerum adjunctis inspectis, Lectiones I Nocturni proprias vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro Duplicibus I vel II classis ; illis tamen Lectionibus acceptis, quæ approbatæ jam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus majoribus seu etiam minoribus ; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adjunctis Sacra Rituum Congregatio approbare deinceps censuerit. Atque ita declaravit servarique mandavit. » (Decret. 30 Junii 1896, n. 3923.)

Decretum hoc vi retroactiva non pollet. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 607.) Sequitur quod omnia Festa duplicia majora, quæ in Kalendario Diœcesis Mechliniensis pro momento (anno 1903) adscribuntur, habent et retinent suas Lectiones I Nocturni proprias vel de Communi Sanctorum, prout ante præscriptæ vel concessæ, seu approbatæ fuerunt. Pro Festis in posterum sub ritu duplici majori præscribendis aut concedendis, S. Rituum Congregatio in eorum novis Officiis assignabit Lectiones I Nocturni proprias prout censuerit ; quod si nullas assignaverit, Lectiones dicendæ sunt de Scriptura occurrente.

Inde ab anno 1896 Diœcesi Mechliniensi concessa fuerunt sequentia Festa particularia ritus duplicis majoris : Sanctæ Fa-

miliæ, Jesu, Mariæ, Joseph, pro Dominica III post Epiphaniam (Indultum 22 Martii 1897); — Maternitatis et Puritatis B. Mariæ V., pro Dominicis II et III Octobris (Indultum 7 Novembris 1902); Officia horum Festorum habent suas Lectiones I Nocturni proprias, jam ante a S. Rituum Congregatione approbatas, quæ proinde retineri possunt.

c) In omnibus Festis, etiam ritus duplicis minoris et semiduplicis, in quorum Officio habentur in primo Nocturno Responsoria propria, non sumpta e Communi Sanctorum, semper Lectiones primi Nocturni sumi debent de Communi, et non de Scriptura occurrente. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Augusti 1836, n. 2748, ad 9, antiq. 4787, ad 10.)

Exempla : Responsoria propria in primo Nocturno, et proinde Lectiones proprias, vel saltem de Communi habent Officia Festorum S. Agnetis, Virginis et Martyris (21 Januarii), Inventionis S. Stephani, Protomartyris (3 Augusti), S. Martini, Episcopi et Confessoris (11 Novembris), S. Cæciliæ, Virginis et Martyris (22 Novembris), S. Clementis, Papæ et Martyris (23 Novembris), etc.

d) In Festis quorumdam Sanctorum Ecclesiæ Doctorum (Q. 110).

Nota. Difficile videtur determinare regulam juxta quam Ecclesia præscribit Lectiones primi Nocturni dicendas in Festis SS. Doctorum. In Communi Confessoris Pontificis describuntur Lectiones pro Festis Sanctorum Doctorum, nempe in primo Nocturno Lectiones *Sapientiam,* de Libro Ecclesiastici ; sed non omnes SS. Doctores eas habent.

SS. Doctores Athanasius, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus (omnes isti sunt Orientales) habent Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente ; Joannes Damascenus vero habet Lectiones *Sapientiam.*

Inter Latinos SS. Bernardus, Hilarius, Petrus Damianus habent de Scriptura occurrente ; reliqui vero habent proprias, nempe S. Leo de Epistola S. Petri ; SS. Alphonsus, Anselmus, Augustinus, Beda Venerabilis, Bonaventura, Franciscus Salelius, Gregorius, Hieronymus, Isidorus et Thomas de Aquino habent *Sapientiam* ; SS. Ambrosius et Petrus Chrysologus vero *Fidelis sermo,* de Communi Confessoris Pontificis.

Et si in Quadragesima aut in Feria Rogationum celebratur Festum SS. Athanasii, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Nazianzeni et Joannis Chrysostomi, isti habent Lectiones *Sapientiam,* SS. Cyrillus Hierosolymitanus et Petrus Damianus vero Lectiones *Fidelis sermo.*

Ratio distinctionum non patet.

c) In Festis quorumdam Sanctorum Confessorum, etsi eorum Officium sit ritus duplicis minoris ; quales sunt S. Franciscus pro Festo Impressionis SS. Stigmatum in ejus corpore (17 Septembris), et S. Josephus a Cupertino (18 Septembris), quibus dantur Lectiones primi Nocturni propriæ quæ accommodantur eorum virtutibus et rebus gestis. Sunt exceptiones.

3° In Quadragesima, in Quatuor Temporibus, in Feria secunda Rogationum, et in Vigilia Ascensionis, non assignantur in Officio de Tempore Lectiones de Scriptura ; quando celebratur in his Feriis aliquod Festum quod Lectiones proprias non habet, recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum.

Nota. Plerumque in Communi Sanctorum plures describuntur Lectionum e Scriptura series ; ad dignoscendum quænam sint sumendæ, ex. gr., pro Festo Patroni vel Tituli, qui proprias in suo Officio non habent, animadvertitur quodnam Evangelium, vel quænam Oratio dicitur in Missa et Officio Sancti, et juxta quod aut Evangelium, aut Oratio sumuntur e primo vel secundo loco ex assignatis, sumuntur etiam Lectiones primi Nocturni primo vel secundo loco assignatæ. Si autem neque Evangelium, neque Oratio sumantur de Communi, tunc regulariter dicuntur Lectiones in Communi primo loco assignatæ.

Pro Sancto Confessore non Pontifice, si non patet ex Rubrica speciali quæ Lectiones sint sumendæ, aliqui auctores docent Lectiones *Justus, si morte etc.*, primo loco assignatas, dici pro Sancto qui ante quadragesimum ætatis annum obiit ; et Lectiones *Beatus vir etc.*, secundo loco assignatas, pro Sancto qui post hanc ætatem e vita mortali decessit ; idque probant ex aliquo Decreto S. Rituum Congregationis, quo S. Congregatio rescripsit Lectiones in casu esse legendas « vel primi, vel secundi loci, habita ratione ad ætatem » Sanctorum Confessorum pro quibus dubium fuerat propositum. (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 8.) Attamen hæc regula non uti generalis applicari debet ; nam, ex. gr., S. Franciscus Assisiensis habet Lectiones *Justus, si morte*, quæ quidem sapienter isti Sancto ab

Ecclesia applicantur, ob speciales rationes, puta admirabilis simplicitatis, singularis innocentiæ, quibus vir ætate provectus, tamquam parvulus jure merito considerari potest. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 726.)

Q. 210. *Quid notandum est de Initiis Librorum Sacræ Scripturæ ?*

R. Quandonam per annum ecclesiasticum legantur diversi Sacræ Scripturæ Libri, et eorum proinde legenda occurrunt Initia, expositum fuit Q. 32.

Plura de Initiis possunt legi in Rubricis generalibus (Tit. XXVI, nn. 6, 7, 8) ; sequentia tantum hic de eis notantur :

1° « Initia Librorum Sacræ Scripturæ (qui fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiamsi fiat Officium de Sancto, nisi in Festo aliæ propriæ Lectiones de Scriptura, vel de Communi assignentur : tunc enim Initium Lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam ; et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur : ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur, quæ sua quaque die occurrunt, vel cum eisdem jungantur. Quod semper servatur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur. »

Ideo sæpius indicatur in Directorio, in aliqua Feria hebdomadæ, sequens nota : « Lectiones 1 Nocturni Dominicæ præcedentis » ; ex. gr., post Dominicas II et III post Epiphaniam ; post Dominicam I mensium Septembris, Octobris, Novembris ; et aliis locis ; quia in his Dominicis assignatum Initium alicujus Libri de Scriptura occurrente impeditum fuit Lectionibus propriis alicujus Festi in his Dominicis celebrati.

Nota. Animadvertendum venit sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Num, occurrente in Dominicis Sexagesimæ, Quinquagesimæ, secunda, tertia et quarta Quadragesimæ duplici 1 classis, Lectiones I Nocturni earundem Dominicarum resumendæ sint infra illam Hebdomadam, quando fiat de Festo carente Lectionibus I Nocturni propriis, vel quæ

desumerentur e Scriptura occurrente si Festum illud extra Quadragesimam incidisset ? » S. Congregatio respondit : « Affirmative. Atque ita rescripsit et servari mandavit. » (Decret. 9 Junii 1899, n. 4028.)

Lectiones istarum Dominicarum non sunt quidem Initia Librorum Sacræ Scripturæ ; omnes enim desumuntur e Libro Genesis cujus Initium dicitur in Dominica in Septuagesima, exceptis Lectionibus Dominicæ IV in Quadragesima, quæ sunt de Libro Exodi, sed non hujus Libri Initium. Ratio cur Lectiones istarum Dominicarum etiam resumendæ sint infra suam hebdomadam est, quia ipsæ proponunt res gestas celebriorum Veteris Testamenti Patriarcharum : etenim in Dominica Sexagesimæ legitur historia Noë, in Dominica Quinquagesimæ historia Abraham, in Dominica II Quadragesimæ historia Jacob, in Dominica III historia Joseph, in Dominica IV historia Moysis. Insuper per totas hebdomadas istarum Dominicarum Responsoria post Lectiones in Officio feriali respondent diversis historiis in Lectionibus singularum Dominicarum propositis : ut proinde congrue legantur Responsoria in Officiis ferialibus, convenit ut historiæ ipsæ sint notæ.

In Decreto nihil dicitur de Dominica in Septuagesima, quia hæc habet Initium Libri Genesis, quod juxta Rubricam supra citatam resumi debet infra hebdomadam si in ipsa Dominica non legi potuerit ; neque de Dominica I in Quadragesima, tum quia in ipsa legitur de Epistola II S. Pauli ad Corinthios, in qua Apostolus adhortatur ad emendationem per tempus acceptabile quod incipit, tum quia hæc est Dominica primæ classis, quæ nulli Festo etiam duplici 1 classis locum cedit.

2° Numquam Initia extra propriam eorum Hebdomadam leguntur.

In Dominica I mensis Augusti « Incipiunt Parabolæ Salomonis » ; sed ecce, sex primis diebus hujus mensis celebrantur Festa quæ omnia habent suas Lectiones I Nocturni proprias ; quando Littera Dominicalis est C, Sabbatum hujus hebdomadæ, in quo celebratur Festum S. Cajetani, Confessoris, est prima dies libera in qua transferri potest Initium Parabolarum. Quod si alicubi hoc Festum celebratur ritu duplici 1 classis, ex. gr., ubi S. Cajetanus est Titularis Ecclesiæ, Lectiones primi Nocturni sunt etiam propriæ seu de Communi (Q. 209, 2°, a) ; nulla restat dies libera pro Initio Parabolarum Salomonis. Non

potest Initium hoc transferri in secundam Dominicam Augusti: hæc etiam habet suum Initium, nempe « Liber Ecclesiasticus ». Tunc reponitur Initium Parabolarum infra suam hebdomadam in diem qua celebratur Festum ritus inferioris, ut mox explicabitur sub 4°; in casu nempe Festum Inventionis S. Stephani (3 Augusti), ritus semiduplicis, cedit suas Lectiones I Nocturni proprias Initio Parabolarum, quod proinde in sua propria hebdomada legitur.

Idem fieri debet, ubi Festum S. Ignatii, Confessoris (31 Julii), celebratur ritu duplici 1 classis, quando Littera Dominicalis est B. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 28 Junii 1886, n. 3665, antiq. 5973, ad 1.)

Attamen, si cujusdam Libri Sacræ Scripturæ lectio extenditur per duas aut plures hebdomadas, quando ejus Initium non potest legi in prima hebdomada, resumi potest in hebdomada sequenti; etenim hebdomadæ omnes per quas cujusdam Libri Lectiones sunt distributæ, censentur et sunt propria hebdomada illius Libri, infra quam ejus Initium reponi potest.

Si, ex. gr., Initium Libri Actuum Apostolorum, de quo legitur per duas hebdomadas, primam et secundam post Paschatis Octavam, non posset dici in prima hebdomada, nullum prioris hebdomadæ Festum debet cedere suas Lectiones primi Nocturni proprias seu de Communi, sed Initium transfertur ad hebdomadam sequentem, per quam extenditur lectio Libri Actuum Apostolorum.

Nota. I. Epistolæ S. Pauli leguntur usque ad Septuagesimam; quod si citius supervenerit Septuagesima quam ut per sex hebdomadas post Epiphaniam omnes S. Pauli Epistolæ legi possint, omittuntur sequentes Epistolæ, quamvis de eis nihil fuerit lectum. Idem fit de Lectionibus ex Libris Regum, adveniente Dominica prima mensis Augusti. (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 8.)

Nota. II. Liber Esther incipit Dominica V Septembris, et de eo legitur per hanc hebdomadam. Si September Dominicas quatuor tantum habet, tunc Feria quinta quartæ hebdomadæ, relictis Lectionibus de Libro Judith, legitur Initium Libri Esther, cum suis Responsoriis, seu cum sua historia in Officio feriali, et continuatur per Ferias duas sequentes. Quod si hoc triduo occurrant Festa quæ habeant Lectiones proprias seu de

Communi, Initium Libri non anticipatur, sed ponitur in illo ex tribus Festo quod est minoris ritus et dignitatis, relictis Lectionibus hujus Festi propriis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Martii 1871, n. 3237, antiq. 5472, ad 3.)

3° Duo, imo tria Initia possunt in una die legi ; et si tria Initia dicuntur, satis est unicam Lectionem primam legere pro unoquoque Initio ; qui voluerit tres uniuscujusque Initii Lectiones in unam conjungere, potest sed non debet. — Si legenda sunt duo Initia, tunc una Lectio erit de præcedenti aut sequenti Initio, et duæ dicentur de currenti die, quæ jus quoddam habere censetur ut quam minus fieri potest ejus Lectiones truncentur. — Non licet in unica die ponere plus quam tria Initia (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1698, n. 2002, ad 7 et 8, antiq. 3477, ad 11 et 12); ergo numquam duo Initia dicuntur sub una conclusione : *Tu autem, Domine, miserere nobis.*

4° Mense Novembri, Hebdomada IV, et Hebdomada V leguntur Initia duodecim Prophetarum minorum, quæ præsertim in Hebdomada V sæpius impediuntur per Lectiones proprias Festorum quæ tunc celebrantur.

Pro hujusmodi casu datur regula sequens : si sint in una Hebdomada plura Festa quæ Lectiones proprias habent, Initium quod in sua propria die impeditur, reponitur in sequenti Feria alio simili Initio non impedita ; alioquin in præcedenti similiter non impedita die, ita ut aliquo modo, quoad commodius fieri poterit, Initium ponatur, etiamsi duo vel tria Initia eadem die poni oporteat.

Exempla quotannis dantur in Directorio seu Cartabella, præsertim in Hebdomada V Novembris : videatur ibi applicatio dictorum.

Sed accidit quod hæc a Rubricis (Tit. XXVI, n. 7) proposita solutio insufficiens sit, ut patet ex sequenti dubio proposito S. Rituum Congregationi, cui ipsa congruentem solutionem dedit :

« Cum in pluribus locis, Hebdomada V Novembris, ob multitudinem Officiorum habentium Lectiones primi Nocturni proprias, vel de Communi, sæpe non re-

manent dies pro recitandis omnibus Initiis Prophetarum minorum, quamvis tria Initia uno die recitentur ; quæritur : An in casu omittenda sint Initia, quæ locum habere non possunt ; vel dicenda sint in Officio Duplici majori, vel minori, habente Lectiones primi Nocturni proprias, vel de Communi ? » Et S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, quoad primam partem ; Affirmative, quoad secundam. » (Decret. 27 Martii 1779, n. 2514, ad 3, antiq. 4393, ad 13.) Et alio Decreto eadem S. Congregatio statuit, quod Initium impeditum, cui alioquin in ea Septimana nullus esset locus, « reponendum est infra Hebdomadam in Officio ritus inferioris, minoris dignitatis, ac solemnitatis ; etiamsi tale Festum habeat Lectiones proprias, aut sint de Scriptura. » (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. XXV, dub. 2, q. 4.)

Hæc Decreta sæpius applicanda sunt in locis quorum S. Catharina, Virgo et Martyr, cujus Festum celebratur 25 Novembris, est Patrona. Exemplum vide in Conferentiis Ecclesiasticis Archidiœceseos Mechliniensis, anni 1887 (Q. VII ex Liturgia).

5° Quando Officium alicujus Dominicæ post Epiphaniam anticipatur in aliqua Feria, eo modo quo dictum fuit Q. 124, tunc in ista Feria omittuntur Lectiones ipsius Feriæ, etiamsi sint de Initio, ut dicantur Lectiones tres de Homilia Dominicæ anticipatæ ; et in sequentibus Feriis legitur de Epistolis S. Pauli assignatis Dominicæ anticipatæ et Feriis Hebdomadæ anticipatæ, omissis aliis Lectionibus quæ sunt assignatæ Feriis præcedentis Hebdomadæ. (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 8.)

In istis sequentibus Feriis ponuntur tot Initia Epistolarum S. Pauli quot assignantur huic Hebdomadæ anticipatæ et quot de eis poni possunt, dictis etiam pluribus Initiis in una die si necesse fuerit. — Imo reponuntur in casu Initia in Officio aliquo minoris dignitatis ac solemnitatis quod habet Lectiones I Nocturni proprias seu de Communi, hasque cedit ut possint earum loco dici Initia ; non consentiunt tamen de hoc auctores, et aliqui dicunt Lectiones proprias seu de Communi posse retineri. — Quod si deficiat locus, ea

Initia reponendi in sequentibus Feriis, Initium Dominicæ ponitur in aliqua die antecedenti, et reliqua omittuntur ; aliqui auctores tamen hanc anticipationem non admittunt.

Exemplum : Anno 1904, adveniente Dominica in Septuagesima in 31 Januarii, post Hebdomadam III post Epiphaniam, anticipari debet Dominica IV post Epiphaniam. Dies libera infra Hebdomadam III post Epiphaniam est Feria 5, dies 28 Januarii, — omisso Festo S. Juliani, Episcopi et Confessoris, semiduplici ad libitum (cfr. Q. 115), et excluso Officio Votivo ad libitum (cfr. Q. 151, Nota III). — Feria 5 igitur fit de Dominica IV post Epiphaniam (cfr. Q. 126). Hebdomada IV post Epiphaniam habet quatuor Initia Epistolarum S. Pauli : Dominica, Epistolæ ad Philippenses ; Feria 3, Epistolæ ad Colossenses ; Feria 5, Epistolæ I ad Thessalonicenses ; Sabbato, Epistolæ II ad Thessalonicenses. Feria 6, 29 Januarii, celebratur Festum S. Francisci Salesii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, qui habet Lectiones I Nocturni proprias seu de Communi, scilicet *Sapientiam* ; Sabbato, 30 Januarii, celebratur Festum semiduplex S. Martinæ, Virginis. Etiamsi in Sabbato reponerentur tria Initia, remanet unum, pro quo ut sit locus, S. Franciscus Salesius cedit Lectiones *Sapientiam*. Ephemerides Liturgicæ, in suo Specimine Calendarii pro anno 1904, assignant Feriæ 6, Festo S. Francisci Salesii, Lectiones Dominicæ IV, Initii Epistolæ ad Philippenses, et tria reliqua Initia reponunt in Sabbato (XVII, 1903, pag. 245) ; applicatur ergo ad præsentem casum Decretum supra ad 4^{um} citatum, et datum pro Dominica V Novembris. — Non omnes censent ita faciendum : aliqui conservant S. Francisco Salesio suas Lectiones *Sapientiam*, et Sabbato præscribunt dicendas Lectiones tres Dominicæ IV post Epiphaniam, Initium et duas reliquas Lectiones Epistolæ ad Philippenses ; et nihil aliud. (Cfr. Ordo perpetuus et generalis Divini Officii, Editio Romana anni 1891, pag. 282.) — Desideratur authentica declaratio.

Sed si Dominicæ anticipatæ post Epiphaniam fit tantum Commemoratio in Festo quod Sabbato celebratur (cfr. Q. 125), tunc in primo Nocturno leguntur Lectiones Dominicæ anticipatæ ; dummodo in hoc Sabbato non sit assignatum Initium alterius Epistolæ S. Pauli, quo casu, omisso Initio Dominicæ anticipatæ, legitur Initium hujus Sabbati.

Super quo ad dubium : « An, dum per solam Commemorationem anticipatur Officium alicujus Dominicæ post Epiphaniam in Sabbato ante Septuagesimam, qua occurrat Festum novem Lectionum, non habens Le-

ctiones primi Nocturni proprias vel de Communi assignatas, legi debeant illæ de Sabbato occurrente ; vel potius, istis omissis vel præcedenter lectis, si sint de Initio alicujus Epistolæ, legendum sit Epistolæ Divi Pauli Initium assignatum illi Dominicæ, cujus Officium per Commemorationem anticipatur ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Legendas esse Lectiones de Dominica anticipata, dummodo in eodem Sabbato non occurrat Initium alterius Epistolæ S. Pauli. » (Decret. 28 Martii 1775, n. 2503, ad 1, antiq. 4378, ad 10.)

Exemplum : Anno 1897, Officium Dominicæ VI post Epiphaniam debuit anticipari, et facta fuit tantum ejus Commemoratio in Sabbato Hebdomadæ V post Epiphaniam. Hoc Sabbato, in Officio Festi occurrentis, dictæ fuerunt in primo Nocturno, non Lectiones Dominicæ VI, Initium nempe Epistolæ ad Hebræos, sed Lectiones hujus Sabbati Hebdomadæ V post Epiphaniam, in quo legitur Initium Epistolæ ad Philemonem. — Idem factum fuit anno 1903, pro Initio Epistolæ II ad Thessalonicenses, legendo in Sabbato Hebdomadæ IV post Epiphaniam, in quo anticipata fuit per Commemorationem tantum Dominica V post Epiphaniam.

Omittitur etiam hoc Initium Dominicæ anticipatæ, si Festum Sabbato celebratum habet Lectiones, non de Scriptura occurrente, sed proprias.

Exemplum : Anno 1902, Officium Dominicæ III post Epiphaniam debuit anticipari, et ejus Commemoratio tantum facta fuit in Sabbato Hebdomadæ II post Epiphaniam, 23 Januarii, in quo Sabbato celebrabatur Festum Conversionis S. Pauli Apostoli ; hoc Festum habet Lectiones I Nocturni proprias ; istæ dictæ fuerunt, et nihil de Scriptura occurrente, etiamsi alias dici debuisset Initium de Dominica III post Epiphaniam.

Q. 211. *Quid notandum speciatim est de Lectionibus e Scriptura occurrente Dominicæ V Octobris ?*

R. Hac Dominica V Octobris, et sequentibus Feriis legitur e Libro secundo Machabæorum historia martyrii Eleazari, et septem Fratrum Machabæorum una cum matre sua interfectorum ; ob celebritatem eorum martyrii non omittuntur istæ Lectiones, etsi mensis October forsan quatuor tantum habeat Hebdomadas.

Etenim Rubrica specialis posita in Feria V Hebdomadæ IV Octobris dicit, quod si Hebdomada IV fue-

rit ultima Octobris, tunc in hac Feria V, et duabus sequentibus Feriis leguntur Lectiones Dominicæ V, et Feriæ II et III ejusdem Hebdomadæ.

Servandus est in his Lectionibus ordo historiæ ; ideo si Feria V fuerit impedita, tunc in Feria VI leguntur Lectiones Dominicæ, et Sabbato Lectiones Feriæ II ; si Feriæ V et VI fuerint impeditæ, tunc Sabbato leguntur Lectiones Dominicæ. (Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1884, n. 3611, antiq. 5913, ad 1 ; et 17 Januarii 1887, n. 3667, antiq. 5975, ad 1.)

Si omnes dies fuerint impeditæ, eo anno omittuntur illæ Lectiones. Decrevit enim S. Rituum Congregatio quod istæ Lectiones nequeunt legi in Festis duplicibus Lectiones primi Nocturni proprias habentibus, vel de Communi assignatas ; et quod leguntur in Hebdomada IV tantum si dies tres indicatæ sunt liberæ. (Decret. 9 Junii 1884, n. 3611, antiq. 5913, ad 1.)

Quando in Hebdomada V istæ Lectiones in suis propriis diebus legi non possunt, ponuntur in sequentibus Feriis ejusdem Hebdomadæ, ita ut ordo historiæ et martyrii omnino servetur.

Ex ordine in hac historia servando aliquando evenit, quod duplex ordo Lectionum primi Nocturni in Directorio, seu Cartabella sit proponendus, prout diebus liberis hujus Hebdomadæ dicta fuerint vel non Officia Votiva. (Cfr. Directorium in fine mensis Octobris.)

Q. 212. *Quæ Lectiones recitantur in secundo Nocturno* ?

R. I. Si fit Officium de Sancto, tres Lectiones, quæ in Breviario notantur ordine IV, V et VI, leguntur de vita Sancti ; quales sunt fere omnes Lectiones in Festis Sanctorum (cfr. dicta Q. 33) ; vel, si non describitur vita, leguntur de aliquo Sermone, aut Tractatu, qui Sancto convenit ; ex. gr., in Festis S. Annæ, Matris B. Mariæ V., 26 Julii ; et S. Joachim, Patris B. Mariæ V., Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V. ; vel, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum ; ex. gr., in Festo S. Georgii, Martyris, 23 Aprilis ; et in Proprio Diœcesis Mechliniensis, in Festo SS. Martyrum Japonensium, 19 Augusti.

Ex Communi Sanctorum etiam completur numerus

harum trium Lectionum, quando fit de aliquo Sancto, qui habet tantum unam, vel duas Lectiones proprias ; ex. gr., in Festis Sanctorum Pontificum et Martyrum Soteris et Caji, 22 Aprilis ; ac Cleti et Marcellini, 26 Aprilis.

II. Si fit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, ex. gr., de plerisque Festis Mysteriorum D. N. J. C., et B. Mariæ Virginis, de Officiis Votivis, etc., leguntur tres Lectiones de Sermone, aut Tractatu, qui in illis ponitur, et leguntur cum titulo et nomine auctoris.

III. Infra Octavam Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, aut alterius Festi quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habeantur propriæ et approbatæ Lectiones pro secundo Nocturno, infra Octavam, deficiente Octavario Romano, repetantur Lectiones positæ in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava ; alioquin repetuntur Lectiones diei Festi.

Ita S. Rituum Congregatio rescripsit quod infra Octavas utriusque Cathedræ S. Petri, Romæ scilicet (18 Januarii) et Antiochiæ (22 Februarii), item infra Octavam Sacratissimi Rosarii B. M. V. (Dominica I Octobris), pro Lectionibus II Nocturni repeti debent Lectiones diei Festi. (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, antiq. 5929, ad 3 et 5.)

In die Octava vero alicujus Sancti Lectiones II Nocturni, quæ non reperiuntur in Breviario, debent, deficiente Octavario, sumi de Festo et non de Communi. (Decret. 13 Decembris 1895, n. 3876, ad 9.)

(Cfr. Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 2 ; cfr. etiam pro Octavis, quæ dicta sunt Q. 145, de ordine harum Lectionum, et de usu Octavarii Romani.)

Q. 213. *Quæ Lectiones dicuntur in tertio Nocturno ?*

R. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones, quæ in Breviario notantur ordine VII, VIII et IX, de Homilia in Evangelium, positæ in Proprio, aut ex Communi assignatæ ; et primæ harum trium, seu septimæ Officii, semper præponitur principium Evangelii, de quo est Homilia ; et Homiliæ præponitur titulus

auctoris, cujus est Homilia. (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 10.)

Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum Matutina Tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.

Non raro ultima ex his Lectionibus tertii Nocturni, seu nona Lectio Officii novem Lectionum, locum cedit Lectioni quæ dicitur de alio Officio cujus fit Commemoratio, nempe de Homilia, vel de Sancto ; de qua Lectione dicitur in Quæstione sequenti.

In hoc casu nona Lectio Officii novem Lectionum potest vel omitti, vel conjungi octavæ hujus Officii Lectioni; — convenientius jungitur huic octavæ Lectioni, nempe si laus propria alicujus Sancti in nona Lectione continetur, vel alio modo de ipso nominatim agitur; — debent aliquando conjungi istæ duæ Lectiones, nempe si sint historicæ (Decret. S. Rituum Congregationis, 8 Augusti 1835, n. 2735, antiq. 4767, ad 2) ; aut si in Rubrica speciali Breviarii ita notatur; ex. gr., in Festo S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Doctoris, 14 Januarii.

Nota. Nonnumquam in Lectione septima vel octava appositum reperitur signum ¶, in iis nempe Festis vel Officiis quæ habent Lectiones de Homilia proprias, et in quibus nona Lectio dicenda occurrit de alio Sancto, aut de alia Homilia ; fieri enim potest quod Festum vel Officium hujusmodi sit transferendum in aliam diem, in qua non occurrit Lectio nona propria dicenda ; in quo casu, ne desit Lectio nona, una ex duabus, septima nempe vel octava, dividitur, ut ex duabus Lectionibus fiant tres, et signum ¶ indicat quomodo et ubi Lectio debeat dividi. Nemo tamen autumet liberum esse ab eo signo omittere partem Lectionis vel Lectionem.

Exempla: In Festo Inventionis S. Crucis, 3 Maji, nona Lectio dicitur de SS. Martyribus Alexandro ejusque sociis ; pro casu translationis Festi Inventionis S. Crucis signum ¶ indicat ubi Lectio octava dividi debet ut de duabus tres fieri valeant, si in die translationis non occurrat Lectio nona.

Item in Festo S. Bedæ Venerabilis, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, 27 Maji, in quo nona Lectio occurrit dicenda de S. Joanne, Papa et Martyre, signum ¶ in Lectione septima positum indicat quomodo septima lectio dividi debet, ut ex ipsa dicantur septima et octava ; et tunc Lectio octava dicitur pro

nona. Ita fieri debuit anno 1904, ubi Festum S. Bedæ translatum fuit de die 27 Maji in diem 17 Junii, in qua nulla Lectio pro nona occurrit dicenda, sive de Sancto, sive de Homilia.

Aliquando etiam describitur in uno vel altero Officio nona Lectio specialis, quæ est continuatio Homiliæ, et quæ præscribitur dicenda si Officium Festi transferri contigerit in diem in qua Lectio nona propria non occurrit : non dividitur tunc, ut supra, Lectio septima aut octava, sed integræ dicuntur ut in die Festi, addita Lectione quæ pro casu translationis ut nona describitur.

Exemplum : Festum S. Joachim, Patris B. Mariæ V., celebratur in Dominica infra Octavam Assumptionis ejusdem B. Mariæ V., in qua Lectio nona dicitur de Homilia Dominicæ ; in Officio S. Joachim describitur nona Lectio, quæ est continuatio præcedentium septimæ et octavæ, pro casu quo Festum S. Joachim transferri contigerit infra hebdomadam, nulla occurrente Lectione nona propria.

Nota. Nonnulli auctores æstimant, hanc Lectionem nonam etiam in Festo, die Dominica seu propria celebrato, esse conjungendam, aut saltem convenientius esse ut dicatur seu jungatur octavæ ; æstimare licet ex Rubrica speciali hujus Lectionis non esse hanc Ecclesiæ mentem ; etenim in casu potius fuisset describere totam Homiliam in duabus Lectionibus, apposito signo ¶ pro casu divisionis. In praxi non annotatur hæc conjunctio, nequidem ut convenientior, ut videre quotannis est in ipso Ordine Romano.

Q. 214. *In quo casu legenda est nona Lectio de Homilia, vel de Sancto ?*

R. I. De Homilia legitur nona Lectio, præposito semper principio Evangelii de quo est Homilia :

1° Quando in aliquo Festo quocumque, etiam duplici 1 classis, de quo fit Officium, occurrit Dominica ; — vel aliqua Feria quæ habet Homiliam ; qualem habent Feriæ omnes Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Feria 2 Rogationum ; et tunc pro nona Lectione legitur prima tantum Lectio de hac Homilia, vel, si placet, tres Lectiones simul in unam conjunctæ dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 9.)

Exempla habentur in Directorio, in omnibus Dominicis et Feriis hujusmodi, in quibus celebrantur Festa, vel dicuntur Officia novem Lectionum.

2° Quando in Vigilia occurrit Festum novem Lectionum, vel Octava, tunc in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ ; exceptis tamen sequentibus Officiis :

a) si in Vigilia occurrit Festum duplex 1 classis, veluti si in Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ venerit Festum SS. Corporis Christi, nihil tunc prorsus, nec Commemoratio fit de Vigilia ; præterquam in Vigilia Epiphaniæ.

b) Quando aliqua Vigilia venerit in aliqua ex Feriis majoribus, scilicet in Adventu, in Quadragesima, in Quatuor Temporibus, nulla in his Feriis de Vigilia fit Commemoratio in Officio. (Rubricæ generales, Tit. VI, nn. 1 et 2.)

Nota. Fieri potest quod Evangelium Festi idem sit ac Evangelium Dominicæ, Feriæ aut Vigiliæ, in tali casu non legitur nona Lectio, et in Missa dicitur in fine Evangelium S. Joannis *In principio*.

Exemplum : In Festo, et per Octavam, et in die Octava Immaculatæ Conceptionis legitur Evangelium *Missus est etc.,* non quidem totum sicut in aliis Festis aut Officiis B. Mariæ V., ex. gr., in Festo Annuntiationis, sed pro exigua parte tantum, continet enim solam Angeli salutationem ; idem Evangelium *Missus est* legitur totum in Feria IV Quatuor Temporum Adventus; hæc Feria vero venit aliquando (nempe quando Littera Dominicalis est C, ex. gr., anno 1897) in die Octava Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. ; ad dubium hac super re propositum S. Rituum Congregatio respondit in casu omitti Evangelium Feriæ, et consequenter non legitur nona Lectio de hac Feria. (Decret. 16 Septembris 1865, n. 3136, antiq. 5350.)

Festum Exspectationis Partus B. Mariæ V., quod in nostra Diœcesi celebratur 18 Decembris, habet Evangelium *Missus est*; fieri potest etiam quod Feria IV Quatuor Temporum veniat in hoc Festo (nempe quando Littera Dominicalis est F, ex. gr., anno 1901) ; in casu vero non applicatur solutio Decreti supra citati, sed Rubrica specialis hujus Festi præscribit ut loco Homiliæ in Evangelium Festi legantur tres Lectiones Homiliæ Feriæ IV Quatuor Temporum, cum Responsoriis Festi. Hæc Rubrica est omnino particularis, et exceptio ad regulam.

II. De Sancto legitur nona Lectio, si in Officio novem Lectionum fit ejus Commemoratio, modo Sanctus habeat propriam Lectionem historicam, vel de Sermone isti Sancto proprio.

Notat Rubrica generalis (Tit. IX, n. 10), quod hujusmodi nona Lectio non dicitur de Octava, quando in die infra Octavam, vel in die Octava fit de alio Officio, in quo tamen fit Octavæ Commemoratio, quia Evangelium Octavæ jam fuit lectum in ipso Festo, et repetitur quoties fit Officium de Octava.

Si Sanctus habuerit duas Lectiones hujusmodi proprias, debet ex duabus fieri una pro nona Lectione.

Item de Festo duplici aut semiduplici, si fiat tamquam Simplex, legitur nona Lectio composita per modum unius ex omnibus Sancti Lectionibus historicis secundi Nocturni. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 10.)

Si plures fiant Commemorationes de Sanctis in Officio novem Lectionum, et, ex. gr., duo diversi Sancti habeant suam Lectionem, vel suas Lectiones, ut supra, legitur tantum nona Lectio Sancti dignioris vel ritu, vel qualitate, et omittitur altera. (Ibidem. Tit. XXVI, n. 3.)

Dicitur quod hæc nona Lectio legitur de Sancto, si habeat Lectiones proprias historicas, seu de ejus vita, aut de Sermone in quo fit ejus propria laus ; nam si in ejus Officio Lectiones sumuntur de Communi, omittuntur pro nona Lectione. Similiter si una Lectio tantum de tribus est historica, aut duæ tantum sunt historicæ, sumptis reliquis de Communi aut de Sermone, pro nona Lectione dicitur tantum Lectio historica, aut dicuntur duæ Lectiones historicæ conjunctæ, omissis aliis.

Exempla : Die 14 Februarii, celebratur Festum simplex S. Valentini, Presbyteri et Martyris ; habet Lectionem unam, sed sumitur de Communi : occurrente jam hac die in Kalendario Diœcesis Mechliniensis Festo duplici S. Cyrilli, Episcopi Alexandrini, fit quidem Commemoratio S. Valentini in primis Vesperis et in Laudibus, sed omittitur de eo nona Lectio.

Similiter S. Georgius, Martyr, cujus Festum celebratur 23 Aprilis, ritu semiduplici, habet in secundo Nocturno tres Lectiones desumptas e Communi unius Martyris ; si ratione Occurrentiæ cum Officio potiori de eo fit tamquam Simplex, dicitur quidem ejus Commemoratio in Vesperis et in Laudibus, si Officium eam admittit, sed in casu non leguntur ejus Lectiones pro nona Lectione.

Ob eamdem rationem, si Festum SS. Soteris et Caji, Pontificum et Martyrum, 22 Aprilis, fit tamquam Simplex, leguntur

pro nona Lectione in Officio occurrente Lectiones IV et V eorum historiæ, in unam compositæ, sed Lectio VI e Communi desumpta, his non conjungitur, et omittitur.

Die 1 Augusti, in Festo S. Petri ad Vincula, dicitur nona Lectio SS. Machabæorum, Martyrum, et die 23 Novembris, in Festo S. Clementis, Papæ et Martyris, dicitur nona Lectio S. Felicitatis, Martyris; istæ Lectiones quidem non sunt historicæ, sed sunt de Sermone istis Sanctis proprio, in quo propria laus de his Sanctis edicitur, et hujusmodi Lectiones æquiparantur Lectionibus historicis.

Nota. I. In quibusdam Officiis Sanctorum qui simul celebrantur, describuntur quidem tres Lectiones in secundo Nocturno de eorum vita, sed una Lectio describit vitam aut res gestas unius Sancti, alteræ vero alterius Sancti ; ex. gr., in Festo SS. Fabiani et Sebastiani, Martyrum (20 Januarii), Lectio IV est exclusive de S. Fabiano, Lectiones V et VI sunt exclusive de S. Sebastiano ; item in Festo SS. Cornelii et Cypriani, Pontificum et Martyrum (16 Septembris), Lectiones IV et V sunt de S. Cornelio Papa, facta in Lectione IV aliquali mentione S. Cypriani, Lectio VI vero est de solo S. Cypriano, præposito quidem Lectioni Titulo de Libro S. Hieronymi unde desumitur ; sunt tamen tres historicæ ; et si nona Lectio foret dicenda de his Sanctis, ex tribus per modum unius, interposito etiam Titulo Libri S. Hieronymi pro S. Cypriano, dici debent juxta Rubricam citatam.

In Festo Inventionis S. Stephani, Protomartyris (3 Augusti), Lectiones IV et V narrant et absolvunt historiam Inventionis, sexta vero ad complementum addita, refert eventum prodigiorum in Translatione Reliquiarum S. Stephani a S. Augustino narratum in libro de Civitate Dei ; censent Ephemerides Liturgicæ duas Lectiones IV et V tantum esse revera historicas quas respicit Rubricæ præceptum, sextam vero omitti posse in casu conjunctionis. (XV, 1901, pag. 17.)

Nota. II. In Dominica in Albis si occurrat Festum simplex, aut Festum duplex vel semiduplex ad ritum simplicem redactum, de eo dicenda est nona Lectio. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. XXVI, dub. 3, antiq. 7.)

Item, quando in Vigilia Pentecostes occurrit Officium

Sancti ad instar Simplicis redigendum, legi debet ejus nona Lectio, si sit historica, ad Matutinum, uti ante reformationem Rubricarum faciendum erat. (Decret. 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 8.)

Q. 215. *In quibus casibus omittitur historica Lectio de Sancto ?*

R. 1° Quando de Sancto fit Commemoratio in illis Dominicis, in quarum Officio post nonam Lectionem non dicitur Hymnus *Te Deum*, sed nonum Responsorium ; quales sunt Dominicæ Adventus, et Dominicæ a Septuagesima usque ad Dominicam in Palmis inclusive (cfr. Q. 41, III, et infra Q. 217) ; omittitur nona Lectio de Sancto, quia nonum hoc Responsorium convenit Lectioni IX, quæ dicitur de Homilia, et incongrue conjungeretur Lectioni de Sancto.

Exemplum : Anno 1904, 11 Decembris, Festum semiduplex S. Damasi, Papæ et Confessoris, occurrit in Dominicam III Adventus, et de eo fit tamquam Simplex ; dicitur ejus Commemoratio in Vesperis et in Laudibus, sed omittitur nona Lectio de ejus vita.

2° In quocumque Officio trium Lectionum, ex. gr., in aliqua ex Feriis majoribus, item infra Octavas Paschatis et Pentecostes, omittitur Lectio de Sancto.

Exemplum : Festum duplex S. Walburgis, Virginis, quod in Diœcesi Mechliniensi celebratur 25 Februarii, anno 1903 occurrit in Feriam IV Cinerum ; redactum ad instar Simplicis, habuit Commemorationem in Vesperis et in Laudibus, sed omissa fuit Lectio de ejus vita.

3° Quando in aliquo Festo novem Lectionum nona Lectio dicenda est de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ, hæc Homilia semper præfertur Lectioni de Sancto.

Exemplum : Die 6 Augusti, celebratur Festum duplex majus Transfigurationis Domini, in quo regulariter dicitur nona Lectio, et fit Commemoratio Festi simplicis SS. Martyrum Xysti et Sociorum ; anno 1905, dies 6 Augusti est Dominica ; legitur nona Lectio Homiliæ Dominicæ, et de SS. Martyribus fit tantum Commemoratio in Vesperis primis et in Laudibus.

4° Infra Octavam SS. Corporis Christi, quando fit Officium de die infra Octavam, vel de Dominica infra eamdem, vel de die Octava, omittitur nona Lectio de Sancto, etiam de Festo semiduplici aut duplici ad simplicem ritum redacto ; non vero si infra Octavam celebratur aliquod Festum in quo occurrit Festum simplex. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 10 ; Rubricæ speciales Festi SS. Corporis Christi ; Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Aprilis 1705, n. 2152, antiq. 3718, ad 7.)

Exempla : Anno 1898, 10 Junii, Feria VI infra Octavam SS. Corporis Christi, omittitur in Officio de die infra Octavam nona Lectio S. Margaritæ, Viduæ, cujus Festum semiduplex redactum fuit ad instar Simplicis ; item 16 Junii, in die Octava, omittitur nona Lectio de occurrente Festo duplici S. Lutgardis, Virginis.

Anno 1903, 12 Junii, Feria VI infra Octavam SS. Corporis Christi, celebratur Festum S. Joannis a S. Facundo, Confessoris, duplex, in cujus Officio legitur nona Lectio SS. Basilidis et Sociorum, Martyrum, quia Officium non est de die infra Octavam.

5° In Festo duplici 1 classis, in quo omnis occurrentis Festi prohibetur Commemoratio, omittitur consequenter etiam nona Lectio. In Festo duplici 2 classis, admittitur nona Lectio tam Festi simplicis, quam Festi ad instar Simplicis redacti.

Q. 216. *Quid notandum est de Lectionibus in Officio trium Lectionum ?*

R. I. Tres Lectiones tantum, seu unum Nocturnum habent Festa simplicia Sanctorum ; item Feriæ ; necnon Vigiliæ, exceptis Vigiliis Epiphaniæ et Pentecostes.

Ob rationem naturalem, nempe propter functiones quæ per totam ferme noctem Sabbati præcedentis olim peragebantur, necnon mysticam, Festa Paschatis et Pentecostes habent tantum unum Nocturnum. (Cfr. A Carpo, *Bibliotheca liturgica*, Pars III, n. 160.) Infra Octavas horum Festorum continuatur Matutinum sicut in ipso Festo dictum fuit.

II. In Officio de Feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura occurrente, nisi tres sint de Homilia, quia tunc, omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. — In Officio de Vigilia tres Lectiones leguntur

de Homilià in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur.

III. Si fit de Sancto qui habet duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una ; secunda et tertia de Sancto. Si Sanctus unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto.

IV. Si in Officio trium Lectionum facienda est Commemoratio Festi simplicis, vel Festi ad instar Simplicis redacti, semper omittitur ejus Lectio in Matutino, ut dictum jam fuit in Quæstione præcedenti.

§ 4. De Responsoriis

Q. 217. *Quid notandum est de Responsoriis post Lectiones ad Matutinum ?*

R. I. In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo SS. Innocentium, 28 Decembris, quando non venerit in Dominica) ; et in Dominicis per annum ab Octava Paschæ inclusive usque ad Adventum exclusive, et a Dominica infra Octavam Nativitatis Domini inclusive usque ad Septuagesimam exclusive, ergo in Dominicis omnibus præterquam in Adventu, et a Septuagesima usque ad Dominicam in Palmis inclusive, dicuntur octo Responsoria, id est, unum post quamlibet ex octo primis Lectionibus, et post nonam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*.

In Festis trium Lectionum ritus simplicis, et in Feriis Temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis et Ascensionem (excepta Feria II Rogationum), item in Festis Paschatis et Pentecostes, et infra Octavas eorum usque ad Sabbatum inclusive, dicuntur duo Responsoria, et post tertiam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*.

II. In Festo SS. Innocentium, quando venit infra Hebdomadam ; item in Dominicis Adventus, et a Dominica Septuagesimæ usque ad Dominicam in Palmis inclusive ; in Triduo sacro majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum, dicuntur novem Responsoria.

In Feria secunda Rogationum, et in Feriis omnibus extra Tempus Paschale, dicuntur tria Responsoria.

In his omnibus Officiis enim non dicitur Hymnus *Te Deum*.

III. In Officiis de Tempore, nempe de Dominicis et de Feriis, sumuntur Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis in quibus alia non assignantur ; vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quæ autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominicæ sumuntur, eo ordine qui describitur in Rubricis generalibus (Tit. XXVII, nn. 4, 5). — Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter Festum duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, et omittuntur alia quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero non possint poni antequam alia sequentia Responsoria sint primo ponenda, eo anno omittantur.

Exempla : Quotannis in Directorio Diœcesis Mechliniensis annotatur in decursu mensis Octobris, quando dicendum venit primum Officium de Feria, quod Responsoria in hac Feria, quæcumque sit, ponuntur ea quæ in primo Nocturno Dominicæ præcedentis descripta habentur, et in hac Dominica dici non potuerunt.

IV. In Festis et Officiis novem Lectionum, in quibus Lectiones primi Nocturni dicuntur de Scriptura occurrente, semper Responsoria post has Scripturæ Lectiones sumenda sunt quæ assignantur in Officio proprio, vel in Communi horum Festorum vel Officiorum pro primo Nocturno, et non Responsoria posita in Proprio de Tempore post Lectiones de Scriptura.

V. Conferantur dicta Q. 36, de Versu *Gloria Patri, etc.*, in ultimo Responsorio cujusque Nocturni, necnon de *Alleluja* quod additur Tempore Paschali.

Nota. I. In Communi unius Martyris describitur octavum Responsorium Matutini speciale : *Domine prævenisti eum etc.*, quod dicitur in Festis sex Sanctorum Martyrum Pontificum Eusebii (16 Decembris), Marcelli (18

Januarii), Joannis (27 Maji), Silverii (20 Junii), Martini (12 Novembris), et Pontiani (19 Novembris.) (Rubrica specialis Breviarii post octavum Responsorium in Communi unius Martyris.) — Ad dubium : « Utrum in Officio simplici Martyris, qui sanguinem non fudit, semper pro secundo Responsorio dicendum sit : *Domine prævenisti etc.*, quæcumque occurrat Feria, vel tantum dum occurrit Feria IV ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Responsorium : *Domine prævenisti etc.*, dicendum esse in quocumque Officio Martyrum, qui perierunt non effuso sanguine. » (Decret. 10 Januarii 1693, n. 1890, ad 2, antiq. 3301, ad 5.) — Ex hoc Decreto noscitur ratio hujus Responsorii.

II. In Communi plurimorum Martyrum describitur octavum Responsorium Matutini speciale : *Hæc est vera fraternitas, etc.*, quod dicitur post octavam Lectionem in Officio novem Lectionum, vel post secundam Lectionem in Officio trium Lectionum, in Festo plurimorum Martyrum fratrum. (Rubrica specialis Breviarii post octavum Responsorium in Communi plurimorum Martyrum.) — Hæc Rubrica stricte sumenda est de fratribus sanguinis vinculo conjunctis, et ex eodem genitore progenitis ; et quidem de eis solis Officium fieri potest : quodsi cum fratribus carnalibus celebrentur alii non fratres, in eodem Festo, Responsorium non dicitur. Ideo non dicitur in Festorum Sanctorum Eustachii, conjugis et filiorum (20 Septembris), quia licet filii inter se fratres sint secundum carnem, conjunguntur tamen in eodem Officio cum patre et matre ; nec dicitur in Festo Sanctorum Septem Fratrum Martyrum, filiorum Sanctæ Felicitatis (10 Julii), quia in eodem Officio conjunguntur cum Sanctis Rufina et Secunda, Virginibus et Martyribus. Sed dicitur hoc Responsorium in Festo SS. Joannis et Pauli, Martyrum (26 Junii), qui fratres secundum carnem sunt ; item in Festo SS. Martyrum Cosmæ et Damiani (27 Septembris), etc.

Nihilominus hæc Rubrica suas patitur limitationes, si quis religiosus Ordo gaudeat peculiari privilegio legendi hoc Responsorium, quando fit Officium plurimorum Martyrum ejusdem instituti, quali fruuntur Fratres Minores Sancti Francisci. (Cfr. Adnotationes super

Decreto S. Rituum Congregationis 22-25 Augusti 1818, n. 2587, antiq. 4549, ad 1; Vol. IV Collectionis, pag. 177.)

Legitur etiam hoc Responsorium in Festo SS. Martyrum Gorcomiensium (9 Julii, in Proprio Diœcesis Mechliniensis); ita fuit concessum, etiamsi inter novemdecim hos Sanctos Martyres plures diversorum religiosorum Ordinum et sæcularis quidem Sacerdos numerentur, et novem tantum ex Ordine Fratrum Minorum.

III. In Officio SS. Ecclesiæ Doctorum, sive sint Pontifices sive non Pontifices, dicitur octavum Responsorium speciale *In medio ecclesiæ etc.*, ut notatur in Communi Doctorum (post Commune Confessoris Pontificis).

Q. 218. *Quænam mutationes aliquando fieri debent in Responsorio brevi ad Primam? Quid de eis notandum est?*

R. I. In Responsorio brevi ad Primam, Versus : *Qui sedes ad dexteram Patris*, non raro in alium mutari debet; hæc mutatio fit :

a) vel ratione Temporis anni ecclesiastici; ex. gr., per totum Adventum dicitur : *Qui venturus es in mundum* ; Tempore Paschali, usque ad Ascensionem dicitur : *Qui surrexisti a mortuis* ; ab Ascensione usque ad Pentecosten dicitur : *Qui scandis super sidera* ;

b) vel ratione Octavæ alicujus Festi; ex. gr., infra Octavam Epiphaniæ dicitur : *Qui apparuisti hodie* ; infra Octavas SS. Corporis Christi, et Festorum B. Mariæ V. dicitur : *Qui natus es de Maria Virgine* ;

c) vel ratione Festi, aut Officii votivi; ex. gr., in Festis SS. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis Domini, B. Mariæ V., etc.; in Officiis votivis de SS. Sacramento, de Passione Domini, de Immaculata Conceptione B. Mariæ V.; prout in locis propriis indicatur, et in Directorio annuntiatur.

II. 1° Quando mutatio præscribitur facienda ratione Temporis aut Octavæ, fit non solum in Officiis de Tempore aut de Octava, sed etiam in omnibus Festis, etiam duplicibus 1 classis, infra hoc Tempus vel hanc Octavam occurrentibus, nisi hæc Festa proprium habeant Versum, ut mox dicetur; etiamsi infra Octavam in Officio Sancti nulla fieret Octavæ Commemoratio.

Exemplum : Dominica infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V., celebratur Festum duplex 2 classis S. Joachim, Patris ejusdem B. Mariæ V. ; etiamsi in hoc Festo nulla fiat Octavæ Assumptionis Commemoratio, tamen dicitur ratione Octavæ Versus *Qui natus es de Maria Virgine.*

2° Quando in aliqua die plures Versus proprii occurrunt, primus ratione Temporis, alius ratione Octavæ, alius ratione Festi, tunc Versus proprius Festi præfertur Versibus Octavæ et Temporis, et Versus proprius Octavæ præfertur Versui proprio Temporis.

Exempla : Die 24 Maji, celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum duplex majus B. Mariæ V. sub titulo Auxilii Christianorum ; præscribitur Versus *Qui natus es de Maria Virgine* ; anno 1903, occurrit hoc Festum infra Octavam Ascensionis Domini, pro qua præscribitur Versus *Qui scandis super sidera* ; relicto Versu proprio Ascensionis, dicitur Versus proprius Festi B. Mariæ V.

Tempore Adventus, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., dicitur Versus *Qui natus es etc.,* huic Octavæ proprius, et præfertur Versui proprio Temporis Adventus, etiam cum infra hanc Octavam Officium fit de Dominica Adventus, ut declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 3 Julii 1896 (n. 3924, ad 11).

APPENDIX

DE PATRONO LOCI ET DE TITULARI ECCLESIÆ

Q. 219. *Quæ et quomodo celebranda sunt Festa localia solemniora ?*

R. Enumerata fuerunt in responso ad Q. 105 diversa Festa duplicia 1 classis, et insimul indicata quænam ex ipsis æstimentur et sint Festa quasi primi ordinis, solemnissima nempe illa Ecclesiæ universalis, quæ tanta cum religione ac solemnitate ex Ecclesiæ instituto ubique celebrari debent, ut quibusvis aliis Festis etiam primæ classis semper sint præferenda.

Festa duplicia 1 classis secundi ordinis æstimantur Festa propria, seu localia, nempe Patroni loci, Dedicationis et Tituli Ecclesiæ ; quæ solemniora quidem sunt, sed in diversis locis tantum, et non in Ecclesia universali, solemniter suis respectivis diebus celebrantur.

Pro debita celebratione istorum Festorum S. Rituum Congregatio sequens edidit Decretum generale (9 Julii 1895, n. 3863) :

« Cum, haud obstantibus Decretis pluribus dudum a S. Rituum Congregatione emanatis, nondum satis constet apud interpretes quid juris habeatur circa celebrationem trium Festorum, quæ in locis solemniora sunt juxta Rubricas ; eadem S. Rituum Congregatio, præterita cuncta Decreta hac super materia hucusque vulgata renovans et declarans, decernit :

I. Festum præcipui Patroni loci vel Diœcesis, si particularis non habeatur, celebrandum esse ab omnibus et singulis de Clero, ad Horas Canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt, sub ritu Duplici primæ classis a Seculari cum octava, a Regulari vero sine octava. Quod si plures habeantur in loco Patroni æque principales, ad singula eorumdem Festa, præfato celebranda ritu, omnes ut supra similiter tenentur : si vero de eodem Patrono plura sint Festa in loco instituta, unum tantum solemnius, id est natalitium, dicti Regulares

recolent, nisi sub utroque præcepto sint observanda ; tunc enim ad illa ipsimet Regulares adiguntur.

II. Eodem ritu Duplici primæ classis cum octava celebrari debet Festum solemnius Titularis Ecclesiæ ab omnibus e Clero, quibus eadem Ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subjectionis : adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam Titulus Cathedralis Ecclesiæ ab universo Clero totius Diœcesis, sine octava tamen a Regulari.

III. Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiæ eodem sub ritu ab omni Clero recolatur, qui ad eamdem Ecclesiam, uti superius dictum est, utpote propriam pertinet. Quod si alicui Diœcesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus indultum favet, dictum Festum semel celebrabunt sub ritu Duplici primæ classis cum octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cujuscumque particularis alterius Ecclesiæ Dedicationis Festo omisso.

IV. Ad Anniversarium autem quod spectat Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ, S. Rituum Congregatio jubet, ut illud celebretur ab universo Clero Seculari Diœcesis sub ritu Duplici primæ classis,in Civitate Episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem Festum recolent ii tantum ex Clero Regulari, qui in Civitate degunt Episcopali, sub ritu Duplici secundæ classis sine Octava.

Atque ita servari mandavit. »

De Festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum omnium Diœcesis nostræ plura jam dicta fuerunt, Q. 105, Nota II ; Q. 108 ; et passim.

Etiam per totum hunc Tractatum sæpius de Patronis locorum et Titulis Ecclesiarum mentio fuit facta, in applicatione nempe legum practicarum, quibus unusquisque Kalendarium proprium pro debito eorum cultu construere addiscat ; opportunum tamen judicatur, in hac Appendice specialia quædam notare de celebratione Patroni et Titularis.

Etenim in nostra Archidiœcesi Mechliniensi ultra sexcenta loca sunt quæ peculiari suo Patrono gaudent, et ultra septingentæ Ecclesiæ parochiales, necnon plu-

res aliæ quæ proprium suum Titulum habent ; ut ex his numeris æstimari licet, diversi Patroni, diversi Tituli dantur multi, quorum plures non sunt de iis qui in Breviarii Romani Kalendario adnotantur celebrandi eo ritu qui Patronis et Titularibus competit.

Quæ forsan ex hucusque in Tractatu dictis repetita in sequentibus Quæstionibus occurrent non ideo displiceant ; cum pro facilitate uniuscujusque, et præsertim juniorum Sacerdotum proposita sint, eo fine ut et Deus Ipse, et Ejus Sancti, qui ad peculiarem cultum jus habent, debito modo ad majorem gloriam colantur.

Q. 220. *Quid intelligitur per Patronum loci ? Quid per Titularem Ecclesiæ ?*

R. I. Patronus loci est ille Sanctus qui ut peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator, sive legitime facta electione, sive perpetuo usu ac traditione a majoribus accepta, ab universo loci alicujus clero ac populo, colitur et honoratur. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1857, n. 3048, antiq. 5240 ; et 2 Decembris 1891, n. 3754.)

Explicatur : 1. Nomine loci intelligitur Regnum, Natio aut Provincia ; — vel Diœcesis ; — vel Civitas, oppidum aut pagus.

2. Dicitur ille Sanctus : etenim Patroni constitui possunt tantum B. Maria, Angeli et Sancti ; in notione enim Patroni intelligitur aliquid medium Deum inter et homines, intercessor et suffragator pro populo apud Deum. Unde in locorum Patronos nullatenus eligi possunt SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, vel ipse Christus Dominus sub variis invocationibus. Electionem in quodam loco factam Spinarum Sacræ Coronæ in Patronas S. Rituum Congregatio irritam declaravit. (Decret. 20 Septembris 1681, n. 1678, antiq. 2964.)

Beatos in Patronos eligere speciatim prohibitum est. (Decret. 23 Martii 1630, n. 526, antiq. 852, ad 1.) — In Diœcesi Brugensi ab anno 1883 recolitur quidem Beatus Carolus Bonus, Flandriæ Comes, et Martyr, tamquam Patronus secundarius, sed hoc fit ex Indulto speciali Sedis Apostolicæ.

3. Constituitur Patronus electione legitime facta, cujus conditiones statuit S. Rituum Congregatio, Decreto 23

Martii 1630, ab Urbano VIII approbato (n. 526, antiq. 852), et confirmato Decreto 13 Januarii 1631 (n. 555, antiq. 892).

Electio Patroni Civitatis, oppidi, vel pagi fieri debet per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius loci, non autem ab Officialibus tantum; Patroni Regni autem per secreta suffragia populi singularum Civitatum; repræsentantibus vero Regnum, Provinciam, aut Civitatem nulla competit facultas, nisi ad hoc speciale habeant mandatum; in omni casu accedere debet consensus Episcopi et Cleri; et causæ debent in S. Congregationem Rituum deduci, ab ea examinari, ac demum approbari et confirmari. Electio aliter facta ipso jure irrita est.

4. Electio supra præscripta fieri debet si novus constituendus sit Patronus; in multis locis vero Sancti honore et ritu Patronatus gaudent ab antiquissimis temporibus, ante præfata Decreta sub Urbano VIII lata, quod constat perpetuo usu ac traditione a majoribus accepta; et etiamsi hodiedum non constet de eorum electione rite facta, nihil innovandum est, et in eorum possessione Patronatus relinquendi sunt.

Patronus semel legitime electus nequit in alium immutari. (Decret. 6 Aprilis 1658, n. 1061, antiq. 1881.)

5. Patronus debet coli ab universo loci illius clero et populo, nemine excepto per totum territorium sive Regni, sive Civitatis aut pagi.

6. Colitur et honoratur Patronus, nempe: 1° celebratione ejus Festi sub ritu Duplici 1 classis cum Octava; et 2° cum feriatione, id est, cum obligatione tum abstinendi ab operibus servilibus, tum audiendi Missam.

Per Decretum Cardinalis Caprara, 9 Aprilis 1802, statutum fuit pro nostra Patria, quod feriatio, scilicet utraque obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus, seu, ut vulgo dicitur, Solemnitas Festi Patroni, si infra hebdomadam occurrit, transfertur in Dominicam proxime sequentem; cultus liturgicus vero celebrationis ejus Festi sub ritu Duplici 1 classis in propria die, et cum Octava, remansit, et nihil in eo mutatum fuit. (Decret. 25 Novembris 1892, n. 3793.) Item perdurat adhuc obligatio applicandi

Missam pro populo in die propria Patroni. (Decret. 6 Martii 1896, n. 3890, Dub. I, q. 2.)

De hac Solemnitate, et de ritu celebrandi in Dominica proxime sequenti Missam Festi Patroni agitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani.

II. Titularis Ecclesiæ est Persona divina, vel Mysterium, vel Res sacra, vel Sanctus, sub cujus nomine et invocatione benedicta aut consecrata est Ecclesia, et cui ideo cultus et honor speciali ratione tribuitur. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1857, n. 3048, antiq. 5240.) — Quod est homini baptizato nomen impositum, hoc idem est Ecclesiæ dedicatæ Titulus, seu Titularis quo ipsa nuncupatur, et ab aliis Ecclesiis proprio veluti nomine dignoscitur.

Explicatur : 1. Dicitur **Persona divina, vel Mysterium, vel Res sacra, vel Sanctus** : etiamsi non liceat Personam divinam, vel Rem sacram tamquam Patronum constituere, ut in definitione præcedenti ex notione Patronatus monstratum fuit, nihil impedit nomen seu Titulum dare Ecclesiis, non solum Sancti, sed et Personæ divinæ, vel Mysterii, vel Rei sacræ, et ita Ecclesiarum Titulares constitui possunt SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, SS. Salvator (et in tali casu pro Festo Titularis sumi debet Festum Transfigurationis Domini, 6 Augusti ; Decret. 23 Maji 1835, n. 2721, antiq. 4738, ad 2), SS. Sacramentum Corporis Christi (Decret. 31 Augusti-5 Septembris 1867, n. 3157, ad 3, antiq. 5381, ad 4), SS. Cor. Jesu, S. Crux, et similia.

Beati numquam possunt constitui Titulares, nisi ex Indulto speciali S. Sedis Apostolicæ, uti declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 23 Januarii 1740 (n. 2353, antiq. 4101, ad 1). Imo rescripsit S. Congregatio, Titulum Beati sine Indulto assumptum debere supprimi, et alium de Sancto jam canonizato substitui. (Ibid. ad 2.)

2. Titularis regulariter in benedictione primarii lapidis pro ædificanda Ecclesia eligitur ; cum autem Ecclesia benedicitur, aut consecratur, tunc Titularis reapse constituitur. Titulus semel Ecclesiæ assignatus in alium immutari non potest nisi ex Indulto Apostolico ; Episcopo non licet, etiam ex rationabili causa, illum im-

mutare. (Decreta 6 Septembris 1834, n. 2719, antiq. 4735, ad 2; et 18 Februarii-11 Martii 1843, n. 2853, antiq. 4954, ad 1.) Potest autem addi Contitularis de licentia Summi Pontificis. (Decret. citat. n. 2853, ad 2.)

3. Electio Titularis minime requirit juris solemnitates quemadmodum electio Patroni; Titularis eligitur ex propria devotione, vel ex beneplacito sive fundatoris Ecclesiæ, sive Episcopi, aut aliter.

4. Titularis Ecclesiæ colitur et honoratur quidem celebratione ejus Festi ritu Duplici 1 classis cum Octava; sed ejus Festum per se non importat feriationem, quemadmodum Festum Patroni loci (Decret. 11 Martii 1837, n. 2758, antiq. 4799, ad 1); nisi ex alia ratione, veluti si simul esset loci Patronus, vel si ab Ecclesia universali cum feriatione celebraretur.

Q. 221. *Assigna præcipuas differentias inter Patronum loci et Titularem Ecclesiæ.*

R. Ex definitionibus supra datis jam patent pleræque differentiæ inter Patronum et Titularem:

1. Patronus loci respicit ad totum territorium cujus Patronatum habet, consequenter ad omnem clerum, etiam diversarum Ecclesiarum, et populum, etiam diversarum Parochiarum, hujus loci sive territorii; — Titularis Ecclesiæ spectat tantum et exclusive ad solam Ecclesiam cujus Titulus est.

2. Festum Patroni importat feriationem in populo; — Titularis Ecclesiæ per se non.

3. Consequenter feriatio annexa Festo Patroni transfertur in Dominicam sequentem, aliis verbis Festum Patroni loci habet suam Solemnitatem; — Titularis Ecclesiæ, cujus Festum non habet feriationem, Solemnitatem in Dominicam sequentem translatam habere non potest.

4. Modus utrumque constituendi multum differt: pro Patrono loci requiritur electio facta sub præscriptis conditionibus omnino servandis; — pro Titulari sufficit designatio ex beneplacito fundatoris, vel alicujus particularis.

5. Fieri potest quod Patronus loci nullam habeat in loco sibi dedicatam Ecclesiam: ex. gr., S. Livinus, Epi-

scopus et Martyr, cujus Festum celebratur 12 Novembris, Patronus est Civitatis Gandavensis, et tamen nulla ibi existit Ecclesia ipsi dicata ; — Titularis non potest constitui sine Ecclesia cujus Titulus est.

6. Diruta Ecclesia, cessat jus Titularis (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Februarii 1847, n. 2934, antiq. 5071, ad 1) ; — non cessat ideo jus Patroni loci.

7. Omnes Ecclesiæ consecratæ vel solemniter benedictæ necessario habent Titularem ; — non omnia loca peculiarem suum habent Patronum (cfr. infra Q. 223, 2°, Nota 1).

Nota. In Rubricis generalibus et specialibus Breviarii Romani sæpius mentio fit de Patrono loci et de Titulari Ecclesiæ, et non raro ex modo loquendi de Patrono vel Titulari Ecclesiæ aliqua confusio oriri posset : notari potest Rubricas semper loqui voluisse de iisdem duobus Festis bene distinctis, et vocem Patroni referendam esse semper ad locum, vocemque Titularis ad Ecclesiam ; particula vel non est idem ac seu, sed significat et.

Auctores nonnulli aliquando loquuntur de Patrono Ecclesiæ, unde item confusio oriri posset : ideo optandum esset ut vox Patroni semper adhiberetur ubi quæstio est de loco, vox Titularis, ubi quæstio est de Ecclesia. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 297 et sqq. ; et XIII, 1899, pag. 16 et sqq.)

Q. 222. *An idem interdum est Patronus loci et Titularis Ecclesiæ ?*

R. Affirmative ; nempe quando idem Sanctus, qui Titularis est Ecclesiæ, simul est Patronus territorii extra Ecclesiam siti ; et tunc ad eumdem Sanctum pertinent quæcumque circa Patronos et Titulares in Ecclesiasticis Constitutionibus et Pontificiis Decretis præcipiuntur. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Februarii 1871, n. 3235, antiq. 5470, ad 1.)

Hoc sæpe accidit, quando Parochia unica comprehendit integrum territorium pagi, et non est constitutus alius illius loci Patronus quam qui unicæ Ecclesiæ in loco Titularis est ; talis est casus in plerisque nostris pagis.

In Civitatibus vero, plerumque Titularis Ecclesiæ principalis simul est Patronus totius Civitatis ; in hac Parochia et Ecclesia principali igitur idem est Patronus et Titularis ; sic, ex. gr., Mechliniæ, S. Rumoldus est Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ et parochialis sui nominis, et insuper est Patronus totius Civitatis. In tali casu celebratione unius Festi in Parochia S. Rumoldi satisfit obligationi cultus Patroni loci et Titularis Ecclesiæ.

Sed si in eodem loco cujus aliquis Sanctus est Patronus, existunt plures Ecclesiæ, quæ suum Titularem habent diversum a Patrono loci, quales Mechliniæ sunt Ecclesiæ parochiales subalternæ, ex. gr., S. Catharinæ, B. Mariæ V., etc. ; vel, si etiam principalis Ecclesia alium habet Titularem quam Patronum loci, ex. gr., Gandavi, ubi S. Bavo est Titularis Ecclesiæ Cathedralis, et S. Livinus Patronus loci ; in utroque casu Titulares hujusmodi Ecclesiarum nequeunt dici Patroni loci, nequidem intra limites earum Parochiarum. Ibi igitur utrumque Festum est celebrandum, tum Patroni loci in quo Parochia particularis, quæ alium suæ Ecclesiæ Titularem habet, sita est, tum ipsius Titularis Ecclesiæ.

Ad hoc animadvertendum est, quando in aliqua Civitate, vel aliquo pago nova Parochia in territorio Patronatus erigitur : ibi enim Patronus loci retinet suum jus Patronatus, ejusque cultus tamquam Patroni ibi debet continuari, etiamsi novæ Parochiæ Ecclesia alium habebit Titularem.

Q. 223. *Quinam Patroni locorum colendi sunt ?*

Prænotatur quod responsum spectat tantum Sæculares; de obligationibus Regularium dicetur postea Q. 228.

R. Juxta Constitutionem Urbani VIII : *Universa*, 13 Septembris 1642 (n. 812, antiq. 1411), duo tantum Patroni locorum de jure colendi sunt celebratione Festi ritu Duplici 1 classis cum Octava, et feriatione; scilicet:

1° Patronus principalis Regni, seu provinciæ, status, ducatus, patriæ, etc., quocumque nomine vocetur.

Nostra Patria gaudet Patronatu S. Joseph, Sponsi B. Mariæ V. ; etenim Carolus II, Hispaniarum Rex,

instigante Matre sua Maria Anna Austriaca, uxore Philippi IV, eumdem Regnorum et Dominiorum suorum, inter quæ Belgium erat, Patronum elegit, quod Innocentius Papa XI, Litteris Apostolicis diei 19 Aprilis 1679, confirmavit. Festo S. Joseph feriatio annexa non fuit.

(Cfr. Super hoc Patronatu : Janssens, *Explanatio Rubricarum Missalis Romani*, Antverpiæ, 1757, pag. 152 et sqq. ; — *Messager des Fidèles* (*Revue Bénédictine*), V, 1888, pag. 104 et sqq. ; — *Précis historiques*, 1879, pag. 128 et sqq., et 196 et sqq.)

Eumdem S. Joseph Summus Pontifex Pius IX, Decreto 8 Decembris 1870, Catholicæ Ecclesiæ Patronum solemniter declaravit, illiusque Festum, 19 Martii occurrens, ritu Duplici 1 classis, attamen sine Octava, ratione Quadragesimæ (cfr. Q. 143), celebrari mandavit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 693 ; Decretum editum non fuit in Collectione authentica.) Epistola circulari ejusdem diei 8 Decembris 1870, S. Rituum Congregatio declaravit, Summum Pontificem abstinuisse a redintegrando in eodem Festo duplici præcepto feriationis.

2° Patronus principalis cujusque loci proprie dicti, id est, Civitatis, oppidi, vel pagi.

Nota. 1. Patronus oppido et pago convenit, non tamen necessario eumdem quæcumque oppida, et pagi habent ; dicit enim Urbanus VIII, in citata Constitutione, Patronos esse celebrandos « ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit » ; et de facto quædam oppida, et pagi Patrono carent.

Ubi vero oppidum, et pagus proprio seu particulari Patrono non gaudet, omnes et singuli de Clero, ad Horas Canonicas obligati, qui in eodem loco degunt, debent celebrare Festum Patroni Diœcesis, de quo dicitur in Nota sequenti ; et debent celebrare hoc Festum ritu Duplici 1 classis cum Octava ; sed absque feriatione, itaque sine Solemnitate.

Nota. 2. Patronus Diœcesis per se non habet jus ad Officium duplex 1 classis cum Octava, neque ad feriationem, per totam Diœcesim ; sed tantum in Civitate ubi est Episcopi Cathedra, et in iis locis quæ pro-

prium Patronum non habent ; in istis tamen, ut dictum supra fuit, absque feriatione.

In Archidiœcesi Mechliniensi S. Rumoldus, Patronus Civitatis Mechliniensis, ex concessione Summi Pontificis Gregorii XVI, 20 Julii 1838 (cfr. Litteræ Pastorales, Tom. II, pag. 227), colitur etiam tamquam Patronus totius Diœcesis, ejusque Festum celebratur per totam Diœcesim ritu Duplici 1 classis ; feriatio autem non observanda est nisi in iis locis quorum est proprius principalis Patronus.

Q. 224. *In quibusnam Ecclesiis et Oratoriis quotannis colendum est Festum Titularis ?*

Prænotatur : Antiquitus solæ veræ Ecclesiæ consecratæ, vel saltem solemniter benedictæ, publico fidelis populi usui deservientes, alteri non subjectæ sed proprio jure se gubernantes, et adscriptum habentes clerum, tales erant in quibus Titulare Festum debebat recoli ritu Duplici primæ classis cum Octava.

Pro Oratoriis et Cappellis observabatur sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An Festum Titularis Cappellarum publicarum et Oratoriorum, quæ existunt in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium domibusque privatis, celebrari debeat sub ritu Duplici primæ classis cum *Credo* et Octava ? Nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiæ. » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Hoc Decretum, 12 Novembris 1831, in antiqua Collectione descriptum sub n. 4669, ad 34, retentum fuit in nova Collectionis editione anni 1898 sub n. 2682, ad 32, expunctis tamen verbis Dubii : « nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiæ ».) — Unde auctores docebant non esse celebrandum Titulare Festum, ritu Duplici primæ classis cum Octava, in Cappellis seu Oratoriis publicis nosocomiorum, neque in cappellis Seminariorum, nisi sint veræ Ecclesiæ, consecratæ et fidelibus cunctis patentes.

Nuper vero S. Rituum Congregatio edidit sequens « Decretum Generale super Festo Titularium in Ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando » (Decret. 5 Junii 1899, n. 4025):

« Cum Sacra Rituum Congregatio compererit nonnullos irrepsisse abusus circa Titularium Festa celebranda, sicut in Ecclesiis ita in Oratoriis publicis, Decreta hucusque evulgata in præsenti renovans et confirmans, declarat :

I. In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis Festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primæ classis cum Octava.

II. Ecclesias autem omnes esse ab Episcopo, nisi consecratæ eæ fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam Oratoria publica, sub formula in Rituali Romano præscripta.

III. Hinc pro Ecclesiis et Oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium Festa, illas sacras ædes esse intelligendas, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatæ, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant.

IV. Relativi Titularis Festum a toto Clero, si extiterit, vel a Sacerdote Rectore Ecclesiæ aut publico Oratorio addicto, per integrum Officium celebrabitur : secus, in defectu cujusvis Cleri, per solas Missas juxta Rubricas.

V. In Oratoriis autem, quæ existunt in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex eis consecrata vel benedicta solemniter fuerint.

VI. Denique Sacra Rituum Congregatio mandat, ut nullum ex Oratoriis privatis consecretur, aut Benedictione donetur solemni, quæ in Rituali Romano legitur ; sed ea tantum formula benedicatur, quæ pro Domo nova aut loco in eodem Rituali habetur.

Et ita declaravit. »

Hoc Decretum videtur, super celebratione Festi Titularis, non solum præcedentia Decreta clarius renovare, sed et aliquid novi determinare, præsertim pro Oratoriis semipublicis.

R. Festum Titularis quotannis recolendum est ritu Duplici primæ classis cum Octava :

1° In quibusvis Ecclesiis consecratis, vel saltem solemniter benedictis, quales sunt Cathedrales, Collegiatæ, Parochiales, Conventuales, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis functionibus ab Ordinariis locorum destinatæ, publico Fidelium usui libere deserviunt.

2° In quibusvis Oratoriis publicis consecratis, vel saltem solemniter benedictis, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinata, publico Fidelium usui libere plus minusve deserviunt. Nota quod juxta Decretum 23 Januarii 1899 (n. 4007), Oratorium publicum debet ad publicum Dei cultum perpetuo dedicari, et habere januam in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandere ingressum. — Quoad præsens negotium igitur, inter Ecclesiam et Oratorium publicum, quale supra describitur, amplius non est distinguendum.

3° In Oratoriis quæ existunt in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, Domibusque Regularium, quæ consecrata vel benedicta solemniter fuerint. Hæc in Decreto Generali 5 Junii 1899 citata Oratoria ea sunt quæ in Decreto 23 Januarii 1899 indicantur (exceptis Oratoriis Ædium Episcopalium) tamquam Oratoria semipublica, talia nempe quæ, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta, commodo tamen non Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt, et in quibus auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, et omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent (assentiente Domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, juxta Decretum 3 Augusti 1901).

Decretum 23 Januarii 1899 præter Oratoria semipublica in Decreto 5 Junii 1899 citata, talia appellat etiam Oratoria quæ pertinent ad « Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exerci-

tiis addictas ; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam » (assentiente Domino loci et auctoritate Ordinarii interveniente, juxta Decretum 3 Augusti 1901). Quibus quidem « adjungi debent Cappellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. »

Ephemerides Liturgicæ censent (XIII, 1899, pag. 694) hæc omnia Oratoria semipublica, etsi verbo non relata in Decreto 5 Junii 1899, talia quoque esse, quorum, posita eorum Consecratione aut Benedictione solemni, Festum Titulare jure celebrari potest et debet ; etenim omnis ratio celebrationis hujus Festi dependet a Consecratione aut Benedictione solemni.

His obstantibus dicendum est, Decretum 12 Novembris 1831, in prænotatione citatum, et in nova Collectionis Decretorum editione retentum, non amplius valere, nisi pro Oratoriis et Cappellis non consecratis aut non solemniter benedictis.

Gravissimum est hoc novum jus nunc, quia hucusque in Oratoriis, de quibus quæstio, et quorum in nostra Diœcesi ingens est numerus, numquam Titularis Festum fuit celebratum, ejusque celebrationis introductio pluribus dubiis et difficultatibus occasionem præbebit.

4° Titularis Ecclesiæ Cathedralis recolendus est in cæteris Ecclesiis per totam Diœcesim, ab universo Clero totius Diœcesis, ritu Duplici 1 classis, cum Octava a Clero Sæculari, sine Octava vero a Clero Regulari. Hæc regula constat ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, quorum sufficiat citare Decretum Generale 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2 (cfr. Q. 219). Hoc privilegio gaudet Ecclesia Cathedralis ratione primatus qua ista Ecclesia præ cæteris omnibus totius Diœcesis pollet, et quia sedes ibi est Episcopi, cui ab omnibus debetur subjectio et reverentia.

Ita in Diœcesi Leodiensi, ubi Titularis Ecclesiæ Cathedralis est S. Paulus, Apostolus, Festum Conversio-

nis S. Pauli, 25 Januarii, per totam Diœcesim ex hac sola ratione celebratur ritu Duplici 1 classis cum Octava.

In nostra Diœcesi Mechliniensi eodem ritu colitur S. Rumoldus, Episcopus et Martyr, Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ, 1 Julii ; attamen ob alias insuper rationes Festum S. Rumoldi est Duplex primæ classis cum Octava.

Nota. I. Pro Titulari Festo illarum Ecclesiarum quæ Titulo gaudent B. Mariæ Virginis, absque adjuncta denominatione alicujus Mysterii ejusdem B. Mariæ V. de quo Festum speciale celebratur, habendum est Festum Assumptionis B. Mariæ V. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Martii 1787, n. 2529, antiq. 4427, ad 1 et 2.) — Unde si Titularis est Mysterium Visitationis, Præsentationis, Immaculatæ Conceptionis, etc., Festum Titularis celebrari debet in his Festis ; item si Ecclesia consecrata aut solemniter benedicta est sub Titulo SS. Rosarii B. Mariæ V. ; alias vero, si Titularis est B. Maria V. absque adjuncta denominatione, aut cum denominatione particulari, de qua Festum non celebratur, ex. gr., B. Maria V. de Refugio, de Pietate, de Salute, etc., Titularis Festum celebrari debet in Festo Assumptionis B. Mariæ V.

Nota. II. Ad dubium : « An Titulare Festum alicujus Ecclesiæ a 31 Decembris ad quintam Januarii occurrens, habeat Octavam ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 13 Decembris 1895, n. 3876, ad 1.)

Nota. III. Per Bullam Summi Pontificis Pii VII : *Qui Christi Domini vices*, 29 Novembris 1801, et Decretum Cardinalis Caprara, 9 Aprilis 1802, in toto territorio Reipublicæ Gallicanæ, cui tunc subjectum erat nostrum Belgium, omnes et singulæ Ecclesiæ parochiales cum suis Titulis declaratæ fuerunt suppressæ ; et dein de novo erectæ fuerunt, cum assignatione Titularium : ubi forsan tunc novi Tituli fuerunt constituti, legitima est eorum electio, et hi solum colendi sunt, et de prioribus nihil amplius fieri debet. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechlinien., Tom. I, pag. 71.)

Q. 225. *Quid si plures dantur alicujus particularis loci Patroni, aut plures alicujus Ecclesiæ sint Titulares ?*

R. I. Generatim, saltem in nostris partibus, Patronus loci habetur unicus tantum, nempe unus pro Regno, unus pro Diœcesi, unus pro singulo particulari loco, Civitate scilicet, vel oppido, vel pago.

Attamen haberi possunt plures Patroni.

Distinguuntur tunc Patroni principales et minus principales.

Et inter Patronos principales distinguitur et colitur unus principalior, seu præcipuus, qui solus et unicus colitur ritu Duplici primæ classis cum Octava, et etiam cum feriatione seu sub utroque præcepto (cfr. Q. 220, I, 6). (Decreta S. Rituum Congreg., 13 Sept. 1642, n. 812, antiq. 1411 ; et 23 Augusti 1833, n. 2707, antiq. 4712.)

Si præter hunc unum principaliorem seu præcipuum, alius insuper habetur Patronus principalis, aut alii habentur Patroni principales, pro istis præceptum feriationis non exstat ; sed S. Rituum Congregatio rescripsit « quod si plures habeantur in loco Patroni æque principales, ad singula eorumdem Festa, præfato celebranda ritu (Duplici primæ classis cum Octava) omnes.... similiter tenentur. » (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 1 ; cfr. Q. 219.)

Patronorum minus principalium Festum est ritus Duplicis majoris tantum ; sed est Festum quod inter primaria recensetur. (Decret. 27 Augusti 1893, n. 3810; cfr. Q. 108.)

Nota. Hæc regula valet pro Patronis diversis qui distinctis diebus anni occurrunt, ex. gr., si ejusdem loci particularis Patroni æque principales sunt S. Martinus (11 Novembris) et S. Nicolaus (6 Decembris) ; sed applicari non debet iis Sanctis, qui plures quidem numero sunt, sed per modum unius celebrantur ; ex. gr., si Patroni principales simul essent SS. Fabianus et Sebastianus (20 Januarii), aut SS. Cosmas et Damianus (27 Septembris) ; eorum Festum Patronale in casu per modum unius celebratur.

II. Titularis Ecclesiæ regulariter etiam non nisi unicus datur, sub cujus nomine ædificatur et dedicatur Ecclesia.

Attamen ex recentioribus S. Rituum Congregationis Decretis erui potest, quod duo etiam divisim Contitulares æque principales constitui possunt, sive in Ecclesiæ fundatione electi, sive ab Episcopo consecrante in Dedicatione assignati ; imo adsunt exempla alterius Titularis progressu temporis ex Apostolico Indulto adjuncti (Decret. 20 Aprilis 1822, n. 2619, antiq. 4587, ad 1, 2, 3) ; hodie ambo Titulares ejusmodi gaudent iisdem privilegiis et prærogativis, et utriusque Festum seorsim celebrandum est ritu Duplici 1 classis, cum Octava. (Cfr. Decreta 14 Aprilis 1877, n. 3417, antiq. 5687, ad III ; et 12 Septembris 1884, n. 3622, antiq. 5926, ad 3.)

Q. 226. *Quid faciendum est, quando aliquis Sanctus, qui Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ solus est, cum Socio, vel Sociis eadem die in Kalendario adscriptus est ?*

Prænotatur : Distinguendum est inter socios et socios.

1. Aliqui Sancti in Calendario simul sunt inscripti, conjuncti per se et ex natura rei, scilicet quia inter eos necessaria consanguinitatis vel affinitatis ratio intercedit, et eadem die, eodem anno, eodem loco, eamdemque ob causam vel passi sunt, vel obierunt ; tales sunt SS. Gervasius et Protasius fratres (19 Junii), Joannes et Paulus fratres (26 Junii), Symphorosa et filii (18 Julii), Eustachius cum uxore et filiis (20 Septembris), Cosmas et Damianus fratres (27 Septembris), Mauritius et socii (22 Septembris), Ursula et sociæ (21 Octobris), una excepta Cordula quæ sequenti die passa est ; et alii.

Tales Sancti associati non sunt separandi ; unde si S. Eustachius (20 Septembris) est Patronus loci, non de ipso solo sed de ipso cum uxore et filiis simul Festum celebrabitur ritu Duplici primæ classis cum Octava ; si S. Gervasius (19 Junii) est Titularis Ecclesiæ, ab ipso non separabitur ejus frater Protasius, et de duobus celebrabitur Festum Titularis.

2. Alii Sancti in Calendario habentur simul inscripti, conjuncti ex occasione tantum, quia scilicet eadem die passi sunt vel obierunt, licet forte non eodem anno, non eodem in loco, nec eadem de causa ; cujusmodi

sunt plerique inter Martyres, ut SS. Fabianus et Sebastianus (20 Januarii), Vincentius et Anastasius (22 Januarii), Soter et Caius (22 Aprilis), Cletus et Marcellinus (26 Aprilis), Cornelius et Cyprianus (16 Septembris), Januarius et socii (19 Septembris) ; et alii.

Tales Sancti associati separari possunt et debent, si de uno ex eis celebrandum est Festum ritu Duplici primæ classis, tamquam Patroni loci aut Titularis Ecclesiæ ; unde si S. Fabianus (20 Januarii) est Patronus loci, aut si S. Cornelius (16 Septembris) est Titularis Ecclesiæ, de ipsis solis fiet suis respectivis diebus, et de S. Sebastiano ac S. Cypriano fiet postea seorsim, ut explicatur in responso.

R. Si Patronus loci, principalis vel minus principalis, aut Titularis Ecclesiæ descriptus est in Calendario, universali vel particulari, cum aliis Sanctis, quibus est per se et ex natura rei conjunctus, non est a Sociis separandus ; si vero cum illis conjunctus fuit ex occasione tantum, tunc a Sociis separandus est, et observari debet sequens Rubrica Breviarii, reformata per Decretum 11 Decembris 1897 (n. 8 post Tabellam Occurrentiæ) :

« In ea Ecclesia, vel in loco, fit tantum de Titulari vel Patrono. Alii si in dicto Kalendario descripti sunt sub ritu Duplici majori, vel minori, aut Semiduplici, transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat Officium Semiduplex. Si vero sint ex Duplicibus 1 aut 2 classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat Officium sub eodem ritu ac si propria die celebrarentur. Si autem in Kalendario omnes sint tamquam Festum simplex, de eis nihil fit. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 228 et sqq.)

Exempla : 1. Die 20 Januarii celebratur Festum SS. Fabiani et Sebastiani, Martyrum, duplex ; supponitur quod S. Sebastianus solus sit Patronus, aut Titularis. Die 20 Januarii fit de solo S. Sebastiano, Martyre, ritu Duplici 1 classis cum Octava ; Officium Socii, S. Fabiani, duplex, transfertur perpetuo, seu assignatur in primam diem liberam, quæ fit S. Fabiani dies tamquam propria (cfr. Q. 111, II) ; sed hac die assignata non amplius celebratur S. Fabianus ritu Duplici, sed ritu Semiduplici tantum.

2. Die 1 Maji, celebratur Festum SS. Apostolorum Philippi et Jacobi Minoris, duplex 2 classis ; solus S. Jacobus est Patro-

nus, aut Titularis. Die 1 Maji fit de solo S. Jacobo, ritu Duplici 1 classis cum Octava ; Officium S. Philippi, duplex 2 classis, assignatur in primam diem liberam, eodem ritu Duplici 2 classis ac si propria die 1 Maji celebraretur.

3. Die 2 Junii, celebratur Festum SS. Marcellini, Petri atque Erasmi, Martyrum, simplex ; supponitur quod S. Erasmus solus sit Patronus, aut Titularis. Die 2 Junii fit de S. Erasmo, Martyre, ritu Duplici 1 classis cum Octava ; de SS. Sociis autem Marcellino et Petro, Martyribus, cum eorum Festum sit tantum ritus Simplicis, nihil fit, et in perpetuum omittitur eorum Festi celebratio.

Nota. I. Tres sunt hujus Rubricæ lectiones diversæ : prima, vetus, quæ viguit a tempore Urbani VIII, ab anno 1631 (cfr. Q. 74) usque ad annum 1885 ; secunda, nova, quæ viguit ab anno 1885, quo edita fuit a Leone XIII editio typica Breviarii ad normam novarum Rubricarum plane redacta ; tertia, novissima, quæ hodie viget, ab anno 1898, post additiones et variationes in Rubricis Breviarii inductas ex Decreto diei 11 Decembris 1897.

Consectaria practica ex hac diversitate enata præclare exponunt Ephemerides Liturgicæ (XVII, 1903, pag. 228 et sqq.). In nostra Diœcesi Mechliniensi nulla Ecclesia in casu est ut applicetur in ea alia norma quam quæ in tertia lectione anni 1898 existit et supra exposita fuit.

Nota. II. Quæri ulterius potest, quomodo in casu separationis Officia sint ordinanda.

Breviter notare sufficiat quod, tam pro Patrono, vel Titulari, quam pro Socio, omnia dicuntur de Communi illius Sancti cujus fit Officium, ita ut de uno tantum fiat. Pro Sancto Sebastiano, ex. gr., necnon pro S. Fabiano, relicto Officio de Communi plurimorum Martyrum, dicitur bis Officium de Communi unius Martyris. Si Socii plures sunt, pro ipsis retinetur Officium de Communi plurimorum Martyrum.

Retinentur quæcumque in Proprio Sanctorum Breviarii illi Sancto de quo fit sunt propria.

Si Oratio propria commode, vel pauca omittendo, aut mutando applicari potest uni Sancto, retinetur ; alias sumitur de Communi quæ Sancto convenit. Pro S. Sebastiano, ex. gr., dicitur Oratio, non *Infirmitatem*,

quæ convenit S. Fabiano, sed alia de Communi unius Martyris non Pontificis.

Quoad Lectiones secundi Nocturni, si quæ in Breviario describuntur commode disjungi possunt, ut casus est pro SS. Fabiano et Sebastiano, leguntur tantum illæ Sancti cujus fit Officium, et reliquæ supplentur ex Communi ; si commode non possunt disjungi, quales sunt, ex.gr., Lectiones SS. Dionysii et Sociorum, 9 Octobris, leguntur Lectiones Festi.

Q. 227. *Quinam tenentur ad celebrationem Festi Patroni loci, et Festi Titularis Ecclesiæ ?*

R. I. Pro Patrono loci.

1) Patronum generalem Regni tenentur celebrare omnes Regni incolæ, id est, omnis clerus et populus Regni, ritu duplici 1 classis cum Octava, et cum feriatione. — Attamen, ut dictum fuit Q. 223, sub 1°, in nostra Patria Festum S. Joseph, Patroni Belgii, annexam non habet feriationem ; neque celebratur cum Octava, ratione Quadragesimæ.

2) Ad celebrationem Patroni Diœcesis per se non tenentur nisi incolæ Civitatis Episcopalis (Q. 223, 2°, Nota 2) ; sed et insuper tenentur, sed absque feriatione, seu Solemnitate, incolæ illorum locorum quæ Patronum specialem non habent.

In Archidiœcesi Mechliniensi, S. Rumoldus colitur, 1 Julii, ab omnibus per totam Diœcesim tamquam Diœcesis Patronus, absque feriatione ; sed ita fit vi Indulti 20 Julii 1838. Idemque fieri debet ubicumque adest consuetudo.

3) Ad celebrationem Patroni principalis loci, Civitatis nempe, oppidi, vel pagi, et ad feriationem, seu Solemnitatem, tenentur omnis clerus et populus qui illum locum incolunt, etiamsi sint diversarum Parochiarum ; et pro clero, etiamsi quidam de hujus loci clero nulli Ecclesiæ sint adscripti, ut apud nos casus est pro Professoribus in Seminariis et Collegiis. (Cfr. dicta Q. 99, sub 2° et 3°.)

Iterum repetere hic liceat, quod Patronus sua jura servat integra, etiamsi in loco Patronatus novæ erigantur Parochiæ cum suis propriis Titularibus ; nam in tali casu datur tantum separatio a Parochia, minime

vero a loco Patronatus, qui integer omnino remanet. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, XVIII, 1886, pag. 237 et sqq. ; et Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechlinien., 1889, Q. VI de Liturgia.)

II. Pro Titulari Ecclesiæ.

1) Ad celebrationem Titularis, ritu duplici 1 classis cum octava, Ecclesiæ propriæ, consecratæ vel saltem solemniter benedictæ, tenentur illi soli Clerici quibus eadem Ecclesia propria est, seu qui huic Ecclesiæ stricte adscripti sunt, vel ratione Chori ad quem obligantur, vel ratione beneficii quod in ea Ecclesia possident, vel ratione curæ spiritualis, aut stricti servitii, cui, non sua sponte, sed a legitima auctoritate, id est, apud nos, ab Episcopo sunt addicti ; quamque non possunt propria sua voluntate deserere ut aliam adeant ; tales sunt parochi, vicarii, coadjutores, capellani, etc. Qui vero Clerici in Parochia tantum habitant, etiamsi quotidie in Ecclesia munia quædam peragant, ex charitate vel benevolentia, ex. gr., Missam celebrare, prædicare, confessiones excipere, ad hanc celebrationem non tenentur, quia ligamen debitum eos inter et Ecclesiam non habetur. (Cfr. dicta Q. 99, sub 3°.)

2) Ad celebrationem Tituli Ecclesiæ Cathedralis, sub ritu duplici 1 classis cum Octava, tenetur universus Clerus totius Diœcesis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2.)

3) Ad celebrationem Tituli Oratorii publici consecrati, vel saltem solemniter benedicti, sub ritu duplici 1 classis cum Octava, tenentur Rector aliique qui Oratorio addicti sunt, per integrum Officium ; quod si Clerus non sit Oratorio adscriptus, celebrabitur Titulus per solas Missas quæ in Oratorio celebrantur, juxta Rubricas. (Decret. 5 Junii 1899, n. 4025, ad 1 et 4.)

4) Ad celebrationem Tituli in Oratoriis semipublicis (cfr. Q. 224, 3°), si consecrata vel benedicta solemniter fuerint, sub ritu duplici 1 classis cum Octava, tenentur Rector, aliique qui Oratorio addicti sunt, per integrum Officium : quod si Clerus non sit Oratorio adscriptus, celebrabitur Titulus per solas Missas quæ in Oratorio celebrantur, juxta Rubricas. (Decret. 5 Junii 1899, n. 4025, ad 5.)

Unde dicendum quod « si in aliquo Seminario, vel ecclesiastico Collegio, vel etiam Nosocomio habeatur Oratorium consecratum, vel solemniter benedictum, in eoque adsit saltem Rector canonice institutus, vel Præses, Professores, alumni in sacris constituti, etc., nullimode dubitandum, præfatos ad Festum Titularis dicti Oratorii esse obligatos ; ipsi enim Clerum illius constituunt. » Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 694.)

Equidem in variis Decretis S. Rituum Congregationis, ante præfatum Decretum latis, celebratio Tituli Ecclesiæ aut Oratorii publici reperitur præscripta Rectoribus, Professoribus, alumnisque Seminarii, sive ecclesiasticis viris Collegio aut Gymnasio adscriptis, quando Seminario aut Collegio adnexa habetur ad eorum usum Ecclesia vel Oratorium ; sed in his Decretis semper quæstio fuit de Ecclesia vel Oratorio consecratis et publicis, seu publico usui fidelium patentibus, aut saltem consecratis. (Cfr. Decreta 27 Februarii 1847, n. 2939, antiq. 5079, ad 3 ; 28 Septembris 1872, n. 3279, antiq. 5521, ad 2 ; 14 Maji 1887, n. 3676, antiq. 5987, ad 1.) Nunc autem sufficit semipublicitas et solemnis benedictio ad obligationem celebrationis Tituli.

Nota. Ad celebrationem Titularis Oratorii per Officium seu Horas canonicas non tenentur illi Sacerdotes, qui ex benevolentia, etiam accepta forsan pro benevolentia remuneratione, regulariter Missam celebrant in aliquo cujuscumque Instituti Oratorio, et ibi alia etiam munera peragunt, sed ad hoc missi non sunt ab auctoritate ; non enim sunt proprie adscripti seu canonice instituti. Attamen in Festo Titularis Oratorii, et per Octavam, in hujusmodi Oratorio Missam celebrare tenentur eo modo qui per Rubricas præscribitur pro Festo duplici primæ classis et pro ejusmodi Festi Octava.

Q. 228. *Ad quid tenentur Regulares pro celebratione Festorum Patroni, vel Titularis ?*

R. Regulares, illi nempe qui Calendarium peculiare Ordinis et Sanctorum Proprium a Sancta Sede obtinuerunt, ad sequentia tenentur pro celebratione Festorum Patroni, vel Titularis :

I. De Patrono principali Regni, et loci in quo degunt,

debent celebrare Festum ritu duplici 1 classis, sed sine Octava, et sine feriatione, seu Solemnitate.

Si locus particularis in quo degunt Patronum non habet, tunc tenentur de Patrono Diœcesis celebrare Festum, ritu duplici 1 classis, sed sine Octava, et sine feriatione.

De Patrono loci minus principali, qua tali nec debent, nec possunt Regulares Festum celebrare.

II. Titularis suæ propriæ Ecclesiæ, aut Oratorii debent celebrare Festum juxta regulas generales (cfr. Q. 227, II).

Etiamsi sint exempti, seu non subditi Episcoporum, tenentur tamen Regulares celebrare Festum Titularis Ecclesiæ Cathedralis Diœcesis in qua degunt, ritu duplici 1 classis, sed sine Octava. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2.)

Q. 229. *Quid disponunt Rubricæ et Decreta, de Suffragio Patroni, vel Titularis, quod in Officio divino dici debet ?*

R. I Rubricæ præscribunt quod Suffragiis, seu Commemorationibus communibus quæ dicuntur in Laudibus ac Vesperis (et de quibus agitur Q. 46), « adjungitur Commemoratio de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post Commemorationem de S. Maria, de Sancto Joseph, et de Apostolis, pro dignitate illius. » (Rubricæ generales, Tit. XXXV, n. 1.)

Rubrica loquitur de Suffragio Patroni, vel Titularis Ecclesiæ ; quando differt Patronus a Titulari, certo dicendum est Suffragium Titularis ; de Patrono loci autem dici debet tantum si vigeat consuetudo, ut declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto infra citato, 27 Junii 1899, ad VIII.

In Archidiœcesi Mechliniensi viget consuetudo, ut Suffragium Patroni loci dicatur ab iis qui nulli Ecclesiæ vel Oratorio sunt adscripti, et consequenter Suffragium Titularis dicendum non habent ; qui vero alicui Ecclesiæ vel Oratorio sunt adscripti, et tenentur ad celebrationem Festi Titularis (Q. 227, II), dicunt Suffragium Titularis, sed non adjungunt Suffragium Patroni loci.

II. Sacra Rituum Congregatio sequens edidit « De-

cretum circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum ». (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043.)

« Quum dubia sæpius exoriantur circa Commemorationes in Suffragiis agendas, tum ex eo quod varios casus particularesque generalis non valeat contemplari Rubrica ; tum quia super eadem declarationes innumeræ, ab hac Sacra Congregatione prolatæ, in Decretorum Collectione hac illac dispersæ, sine gravi labore vix reperiri queant ; ac præterea, pro variis locis casibusque peculiaribus plerumque emanatæ, quamdam aliquando antinomiæ speciem inter sese ferre videantur ; ut in re quotidiani fere usus, quæ in diversis Ecclesiis, pro varietate Titularium ac Patronorum, necessario est dissimilis, norma quædam certa habeatur et obvia : Sacra Rituum Congregatio, re mature considerata, per Generale Decretum ad dubia quæcumque tollenda, ea, quæ sequuntur, declarare ac decernere statuit :

I. Quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicujus Ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata, tenetur, tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a Rubrica notatis, inter Suffragia Commemorationem agere de ejusdem Ecclesiæ Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili ; et quamvis Commemoratio jam soleat fieri Patronorum loci vel regionis.

II. Commemorationes in Suffragiis numquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur Officium. Immo neque in Officio votivo de Passione, fiat Commemoratio de S. Cruce aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi ; sed neque de S. Michaele Archangelo in Officio votivo SS. Angelorum.

III. Similiter, Commemoratio de Ecclesiæ Titulo, jam communiter in Suffragiis agenda, semel tantum fiat, et per Antiphonam communem. Itaque, si Titulus Ecclesiæ sit ipsa sancta Crux, ejus Commemoratio, tam intra quam extra tempus Paschale, non fiat nisi semel ; et per Antiphonam, Versiculum et Orationem,

quæ inter Suffragia pro diversitate temporum annotantur. Pari prorsus modo, Commemoratio de Beata Maria Virgine, alicujus Ecclesiæ Titulari, etiam sub denominatione Annuntiationis, vel Assumptionis, vel hujusmodi quacumque alia, fiat semper per Antiphonam communem *Sancta Maria succurre miseris*, cum Versiculo et Oratione ibidem suppositis : et hæc sola Commemoratio sufficiat, ut dictum est supra.

IV. Si vero tam Officium diei, quam Commemorationes circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versentur ; tunc Commemoratio Tituli non omittatur. Sic de SS. Salvatore, Ecclesiæ Titulo, agenda est Commemoratio etiam post Commemorationem S. Crucis, immo in ipsa Dominica secunda Quadragesimæ.

V. Ceterum, de Titulo Commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis.

VI. Notandum autem est Commemorationem Beatæ Mariæ Virginis communem omittendam esse in Choro, juxta Rubricam, quum recitatur ejusdem Beatæ Virginis Officium parvum.

VII. Tituli Commemoratio inter alia Suffragia locum teneat, pro dignitate ipsius, a Rubricis assignatum. Sic ex. gr., Commemoratio S. Michaelis Archangeli præponatur Commemorationi S. Joannis Baptistæ, S. Joseph et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quorum quidem Commemoratio præponenda est Commemorationi aliorum Apostolorum.

VIII. Præter Commemorationem de Titulo seu Patrono Ecclesiæ (et Regulares etiam de proprio Fundatore), nulla de Patrono Loci, vel Diœceseos, Provinciæ aut Regni, vi Rubricæ facienda est ; nisi contraria vigeat consuetudo. Quo in casu, nisi aliter exigat personalis dignitas, Commemorationes hujusmodi hoc ordine fiant : ut Loci seu civitatis Patronus Patrono Diœceseos, hic vero Patronis universalioribus, in Suffragiis anteponatur. »

— Præfatum Decretum Generale præscribit Suffragium esse dicendum de Titulo Ecclesiæ, « dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata » (ad I) ; ergo de Titulo Ecclesiæ consecratæ, aut saltem solemniter

benedictæ. Nemo non extendet regulam hanc ad Oratorium publicum consecratum, aut saltem solemniter benedictum. Sed non ita patet ex verbis Decreti an extendi debeat ad Oratorium semipublicum solemniter benedictum ; constat quidem hujusmodi Oratorii Titularis Festum esse celebrandum ritu duplici 1 classis cum Octava (cfr. Q. 224, 3°), unde jure merito potest concludi ad obligationem dicendi ejusdem Titularis Suffragium ; attamen si cuinam remaneret dubium, solutum noverit per sequens Decretum :

« Proposito dubio : Utrum Cappella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudeat privilegiis, quæ competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cujusvis Ecclesiæ, sive Oratorii publici solemniter benedicti, nempe, ut in Oratione *A cunctis*, et in Suffragiis Sanctorum ad Laudes et ad Vesperas Titularis nominetur ? Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit : Affirmative, juxta Decreta n. 4025, diei 5 Junii 1899, ad V, et n. 4043, diei 27 Junii 1899, ad I et ad VIII. Atque ita rescripsit. Die 14 Maji 1903. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 194 ; Decretum 5 Junii 1899, n. 4025, describitur ad Q. 224 ; alterum vero supra.)

A Cappella principali Seminariorum, quæ in dubio supponitur Oratorium semipublicum, extendi posse obligationem hujus præsentis Decreti ad reliqua Oratoria semipublica aliorum Institutorum, quæ enumerantur Q. 224 (3°), merito concludi videtur ex iis quæ ibi dicta sunt pro celebratione Festi Titularis hujusmodi Oratoriorum.

Q. 230. *A quibus, et quo loco, et quo modo dicitur Suffragium Titularis ?*

R. I. A quibus. — Decretum 27 Junii 1899, in Quæstione præcedenti descriptum, decernit quod « quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicujus Ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo, addictus,.... tenetur.... inter Suffragia Commemorationem agere de ejusdem Ecclesiæ Titulo. » Ergo, quicumque tenentur ad celebrationem Festi Titularis cujuscumque Ecclesiæ, aut

Oratorii publici, aut Oratorii semipublici (cfr. Q.227,II), tenentur Suffragium dicere de eodem Titulari.

Quod si cujusdam Ecclesiæ aut Oratorii sint plures Titulares æque principales (Q. 225, II), Suffragium de utroque, aut de pluribus dici debet.

Nota. Per Decretum 27 Februarii 1847 (n. 2939, antiq. 5079, ad 5), S. Rituum Congregatio rescripsit, quod a Præside, Professoribus atque alumnis in majoribus Ordinibus constitutis, Seminarium inhabitantibus, non tantum Festum Titularis Ecclesiæ Seminarii celebrari debeat, sed etiam per annum, inter Suffragia ad Vesperas et ad Laudes, de eodem Titulari Commemoratio fieri debeat.

Quid si Præses, seu Rector, seu Superior, aut Professor Seminarii vel Collegii simul sit Canonicus Capitularis seu Titularis Ecclesiæ Cathedralis? Qua Canonicus tenetur ad Calendarium Ecclesiæ Cathedralis in toto anni decursu sequendum, et omisso Suffragio Ecclesiæ vel Oratorii Seminarii, dicet Suffragium Tituli Ecclesiæ Cathedralis. — Sed ideo non desinit esse Præses, seu Rector. seu Superior Oratorii Seminarii, et qua talis tenetur saltem Festum Titularis Oratorii Seminarii celebrare ritu duplici 1 classis, relicto ea die Calendario Ecclesiæ Cathedralis ; magis proprium enim hac die illi est Festum et Officium Tituli Oratorii cui præest quam Officium Ecclesiæ Cathedralis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 151 et sqq.)

Quid si Alumni Seminarii in majoribus Ordinibus constituti accedant ad Ecclesiam Cathedralem ad persolvenda in Choro Officia? Ipsi tunc persolvere debent Officium juxta Calendarium Ecclesiæ Cathedralis, et si Suffragia sint dicenda in Vesperis aut in Laudibus, omisso Suffragio Titularis Oratorii Seminarii, dicere debent Suffragium Titularis Ecclesiæ Cathedralis ; ex. gr., Alumni Seminarii Mechliniensis, omisso in casu Suffragio S. Michaelis Archangeli, Titularis Oratorii Seminarii, dicere debent Suffragium S. Rumoldi, Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis ; et hoc solum sufficit.

II. Quo loco. — Locus huic Suffragio Titularis assignatur ante vel post Commemorationes Sanctorum consuetas, pro dignitate illius, servato igitur ordine dignitatis (cfr. Q. 104, IV). Unde :

1. Si Titularis Ecclesiæ est SS. Trinitas, S. Spiritus, SS. Salvator sub variis invocationibus, SS. Sacramentum, SS. Cor, SS. Nomen Jesu, S. Crux, dicitur ejus Suffragium ante Commemorationem de S. Maria.

2. Si Titulares sunt SS. Angeli, ex. gr., S. Michael Archangelus, vel S. Joannes Baptista, dicitur Suffragium post Commemorationem de S. Maria, ante Commemorationem de S. Joseph.

3. Si Titularis est S. Apostolus, vel alius Sanctus, aut Sancta, item si Ecclesia dedicata est in honore Omnium Sanctorum, Suffragium dicitur post Commemorationem de SS. Apostolis Petro et Paulo.

III. Quo modo. — Commemoratio Titularis in Suffragiis fit per Antiphonam, Versum et Orationem, quæ in ipso Titularis Festo dicuntur ; pro Suffragio in Laudibus dicuntur Antiphona et Versus ad *Benedictus* ; pro Suffragio in Vesperis dicuntur Antiphona et Versus ad *Magnificat*, ex secundis Vesperis Officii.

Antiphona et Versus, si sint propria in Festo Titularis, dicuntur etiam pro Suffragio ut in hoc proprio (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1891, n. 3745, ad 3) ; si non sint propria, vel si non conveniant, sumuntur de Communi.

Oratio etiam dicitur ut in Festo ; sed in ea fieri possunt, et debent verborum mutationes necessariæ ut habeatur congruitas et veritas : ita verba *hodierna dies, annua dies*, omittuntur ; et verba *nativitas, natalitia, festum, festivitas, solemnitas*, non retinentur, sed iis substituitur verbum *commemoratio*.

Quando autem Orationis forma ita redacta est, vel ejusmodi est naturæ, ut nulla ratione possit haberi congruitas, tunc recurrendum est ad aliquam Orationem de Communi. (Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 650.)

Nota. Ubi S. Joannes Baptista est Titularis, non incongrua est Oratio Festi Nativitatis ejus, 24 Junii, modo mutetur verbum *Nativitate* in *commemoratione* ; in reliquis enim, etiamsi dicatur : *præsentem diem*, non enuntiantur ea quæ in Suffragio falsa forent. (Cfr. Gavantus, *Thesaurus Sacrorum Rituum*, Sectio V, Cap. XVIII, n. 10.) Hæc confirmantur Decreto S. Rituum Congregationis, 14 Junii 1893, n. 3803.

Item in Oratione pro Suffragio S. Bartholomæi, Apostoli, congrue dici potest ut in Oratione ejus Festi, 24 Augusti : *qui venerandam, sanctamque lætitiam in Beati Bartholomæi commemoratione etc.*

Commemoratio Titularis est quasi quædam repetitio ejus Festi per annum ; et ideo, ubi non est omnino necessarium, non est recurrendum ad Commune, multo minus ad Vigiliam Festi.

Pro mutationibus faciendis ratione identitatis cum

præcedenti Commemoratione ex eodem Communi in Officio facta, vide quæ dicta fuerunt Q. 205, et in Nota ad Q. 206.

Pro Suffragio S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, loco Versus *Ora pro nobis etc.*, qui dicitur in Laudibus ac Vesperis ejus Officii, 1 Julii, sed qui jam usuvenit pro Commemoratione de S. Maria, designatur in Proprio Diœcesis Mechlinien., approbato 20 Julii 1838, Versus specialis : *Corona aurea etc.*

Q. 231. *Nota quædam specialia quæ usuvenire possunt pro Suffragio Titularis.*

R. 1. Si Titularis est S. Crux, dicitur hujus Suffragium quemadmodum pro Officio feriali præscribitur in Breviario ante Commemorationem de S. Maria, et non ut in Festo Inventionis, aut Exaltationis S. Crucis.

Omittitur in Officio feriali Suffragium Titularis : sufficit enim Suffragium de S. Cruce ratione Officii ferialis dictum. Omittitur etiam hoc Suffragium, juxta Rubricas generales (Tit. XXXV, n. 2), in Officio votivo de SS. Sacramento, et in Officio votivo de Passione Domini.

2. Si Titularis est S. Salvator, sumitur Suffragium ex Officio Festi Transfigurationis Domini, 6 Augusti. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Martii 1895, n. 3845.)

Quando in feriali Officio dicitur Suffragium de Cruce, non ideo omittitur Commemoratio Titularis S. Salvatoris, sed dicitur hæc post Suffragium de Cruce ; nam licet hæ Commemorationes sint circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versantur. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043, ad IV.) Immo dicitur hæc Commemoratio S. Salvatoris in ipsa Dominica II Quadragesimæ, in cujus nempe Officio agitur de Domini Transfiguratione in Laudibus aliisque Horis. (Decret. citat.)

3. Si Ecclesia dedicata est SS. Sacramento, omittitur hujus Suffragium in Officiis votivis de SS. Sacramento, et de Passione Domini.

In Officio feriali omittitur Commemoratio de Cruce, et dicitur Suffragium de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi. (Decret. 30 Novembris 1895, n. 3875, ad 1.)

4. Si Ecclesia dicata est SS. Cordi Jesu, omittitur Titularis Suffragium in Officiis votivis de SS. Sacramento, et de Passione Domini. (Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 186.)

5. Si Ecclesia dicata est sub Titulo S. Infantiæ Jesu, in Laudibus pro Suffragio dicitur Antiphona ad *Benedictus* ex Officio de Nativitate Domini : *Gloria in excelsis etc.*, et in Vesperis Antiphona ad *Magnificat*, ex secundis Vesperis ejusdem Officii, omissis *Hodie*. (Decret. 18 Decembris 1896, n. 3943, ad 3.)

In Officio feriali non est omittenda, ratione hujus Tituli, Commemoratio de Cruce.

6. Si Titularis est Sancta Familia Jesu, Maria, Joseph, ejus Suffragium primum locum habebit supra cæteros Sanctos quorum Suffragium dicitur ; præponitur tamen in Officio feriali Commemoratio de Cruce. S. Rituum Congregatio rescripsit quod omittuntur Suffragia de S. Maria, et de S. Joseph. (Decret. 13 Novembris 1896, n. 3929, ad 2.)

Disputatum fuit num Suffragium Titularis S. Familiæ sit dicendum in Officio votivo de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., quando ritu semiduplici persolvitur ; aut in Officio votivo de S. Joseph, Sponso B. Mariæ V., ne bis de eodem fiat ; sed ut certum jam habetur hoc Suffragium in casu esse dicendum. In Sacra Familia habetur subjectum complexum, et omittendo in his Officiis votivis Suffragium S. Familiæ, omitteretur memoria subjecti principalis et dignioris Titularis, nempe Domini Jesu, quod incongruum videtur. Insuper etiam in casu dici potest quod Officium diei et Commemoratio S. Familiæ, etsi circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versantur. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4043, ad IV.) — Eadem ex ratione dici debet Suffragium SS. Apostolorum Petri et Pauli in Officio votivo de SS. Apostolis (cfr. infra n. 10), et dici potest Commemoratio S. Joseph in Officio Festi Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph (cfr. Q. 165, Nota II). (Cfr. Collationes Brugenses, V, 1900, pag. 207 ; et Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 309, 577, 641.)

7. Si Ecclesia dicata est B. Mariæ Virgini, sub quocumque Mysterio vel Titulo, etiam sub denominatione

Annuntiationis, vel Assumptionis, vel Immaculatæ Conceptionis, vel hujusmodi quacumque alia, semper dicitur pro ejus Suffragio Commemoratio communis de S. Maria, quemadmodum inter Suffragia describitur, numquam vero ut in propria Festivitate Titulari, cujus Commemoratio omittitur.

Suffragium S. Mariæ omittitur in Officio votivo de Immaculata Conceptione, quando sub ritu semiduplici recitatur.

Addere juvat de hoc Suffragio, quod per annum dicitur Versus *Ora pro nobis etc.*, et Oratio *Concede etc.*; ab Octava Epiphaniæ vero usque ad Purificationem, 2 Februarii, dicitur Versus *Post partum etc.*, et Oratio *Deus, qui salutis etc.* Casu quo Officium Purificationis B. Mariæ V. transferatur, a 3 Februarii jam, si dicendum est Suffragium de S. Maria, resumitur Versus *Ora pro nobis etc.* et Oratio *Concede etc.*, etiamsi Officium Purificationis nondum fuerit dictum. (Decret. 14 Februarii 1705, n. 2148, antiq. 3710, ad 1.)

8. Si Titularis est S. Michael Archangelus, omittitur ejus Suffragium in Officio votivo de SS. Angelis, quod Feria II recitatur. (Decreta 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 7; et 27 Junii 1899, n. 4043, ad II.) In Festo enim S. Archangeli Michaelis intendit Ecclesia celebrare memoriam Omnium SS. Angelorum; ideo enim dicitur in ejus Officiis octava Benedictio: *Quorum Festum etc.*

Non idem dicendum est de SS. Archangelis Gabriele et Raphaele, quorum cultus est particularis seu personalis; si Titulares sunt, eorum Suffragium dicendum est in Officio votivo de SS. Angelis, nempe Antiphonis, Versibus et Orationibus diversis ab illis quæ in Officio votivo SS. Angelorum habentur (Decret. 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 8). — Idem resolve, si Ecclesia dicata est SS. Angelis Custodibus.

9. Si Ecclesia dicata est S. Joseph, Sponso B. M. V., ejus Suffragium dicitur semper quemadmodum describitur inter Commemorationes communes. Omittitur in Officio votivo de S. Joseph, quod Feria IV recitatur.

10. Si Titulares sunt SS. Petrus et Paulus, solum dicitur Suffragium de SS. Apostolis Petro et Paulo,

quod describitur inter Commemorationes communes. (Decret. 16 Octobris 1743, n. 2374, antiq. 4149.) Idem dicendum si aut S. Petrus, aut S. Paulus, sub quocumque peculiari Titulo, aut quacumque ratione, est Titularis.

Hoc Suffragium de SS. Apostolis Petro et Paulo non omittitur in Officio votivo de SS. Apostolis, quod Feria III recitatur. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 7.)

11. Clerici qui quotannis ad exercitia spiritualia sub directione Patrum Societatis Jesu obeunda, in Seminarium Mechliniense conveniunt, ibique in Sacello Seminarii Officium divinum modo quasi chorali insimul persolvunt, quando dicenda sunt in Officio Suffragia, omisso Suffragio Titularis Ecclesiæ propriæ cui adscripti sunt, vel Patroni loci quem inhabitant, omnes dicunt pro Suffragio Titularis Suffragium in Seminario communiter dictum; juxta Indultum 7 Julii 1864. (Cfr. dicta Q. 99, sub 8°.)

PARS QUARTA

CÆREMONIÆ SERVANDÆ CUM OFFICIUM DIVINUM SOLEMNITER CANTATUR

Cum præter Officium Vesperarum, diebus Dominicis et Festis, et Officium Defunctorum, diebus solemnioribus Defunctorum, nullæ aut fere nullæ Officii divini partes in Ecclesiis parochialibus cum cantu peragantur, sufficiet horum duorum Officiorum cæremonias describere.

ARTICULUS I

De Vesperis

232. 1. Ordinarie in Ecclesiis parochialibus ad Vesperas Celebrans Officio fungitur, assistentibus solum duobus Acolythis et Thuriferario.

2. Altare ornatum erit sex candelabris cum cereis, et Cruce ; a latere Epistolæ in plano parabitur scamnum pro Celebrante, coopertum tapete, et ante scamnum legile majus cum Breviario vel Vesperali, tectum panno serico coloris Officii.

3. Color paramentorum tam Altaris quam Celebrantis erit Officii cujus dicuntur Vesperæ integræ ; si autem Vesperæ dicantur a Capitulo de sequenti, ab initio Vesperarum adhibebitur color qui congruit Officio cujus dicitur Capitulum.

4. In Sacrario ministri induent superpelliceum, Celebrans parabitur super superpelliceum pluviali.

S. Rituum Congregatio pluribus Decretis interdixit cuicumque usum stolæ in Vesperis solemnibus. Si tamen ante Vesperas exponitur SS. Sacramentum, et immediate post eas Benedictio cum SS. Sacramento datur, Celebrans induere poterit stolam ab initio Vesperarum. (Decret. 19 Septembris 1883, n. 3593, antiq. 5892, ad 2.)

5. Celebrans paratus, facta inclinatione Imagini sacristiæ, cooperto capite procedit ad Altare, præcedentibus Acolythis cum candelabris et cereis accensis. Ad

Altare, deposito bireto, facit ante gradus Cruci profundam capitis et humerorum inclinationem, aut coram Tabernaculo genuflexionem in plano, et mox genuflexus in infimo gradu dicit Orationem *Aperi, etc.* — Acolythi accedentes ad Altare, hinc inde a lateribus Celebrantis genuflectunt in plano, et mox accedentes ad partem Epistolæ, deponunt ibi sua candelabra in infimum gradum. Secundus Acolythus cereos extinguit utriusque candelabri (nisi SS. Sacramentum esset expositum), et accedit ad credentiam, ibique genuflectit, et deinde simul cum Celebrante assurgit. — Acolythus primus revertitur ad Celebrantem, ejusque biretum assumit, et genuflectit, dein cum Celebrante tendit ad scamnum ibique stat ad dexteram Celebrantis ; cum postea sedet Celebrans, ei biretum tradit, et deinde accedit ad credentiam.

6. Celebrans, dicta Oratione *Aperi*, assurgit, et facta aut inclinatione profunda Cruci, aut genuflexione in infimo gradu coram Tabernaculo, manibus junctis accedit ad latus Epistolæ ante scamnum, et dicit secreto *Pater* et *Ave*. Deinde intonat : *Deus in adjutorium meum intende*, efficiens simul signum Crucis a fronte ad pectus ; inclinat caput profunde ad *Gloria Patri... sancto*, et incepto primo versu Psalmi, sedet, et caput cooperit.

Ad finem Psalmorum, quum canitur : *Gloria Patri... sancto*, item in Psalmo *Laudate pueri* ad verba : *Sit nomen Domini benedictum*, detecto capite, caput profunde inclinat. Item detegit caput et inclinatur ad nomina *Jesu, Mariæ*, et Sanctorum quorum Officium dicitur aut fit specialis Commemoratio.

7. Ante *Gloria Patri* in fine quinti Psalmi, Acolythus primus accendit candelas in infimo gradu ad latus Epistolæ positas ; et paulo antequam cantus Antiphonæ finiatur, Acolythi duo accedunt ad Celebrantem, et inclinatione ei facta, assumunt candelabra eaque ab utroque ejus latere sustinent, conversi alter ad alterum.

8. Antiphonæ quintæ absoluto cantu, Celebrans caput aperiens assurgit, et Capitulum cantat. — Postquam Capitulum cantavit Celebrans, Acolythi reponunt sua candelabra, et inclinatione facta Celebranti, revertuntur ad credentiam. Quando tamen cantantur

Hymni *Veni Creator*, aut *Ave, maris stella*, sub quorum prima stropha omnes genuflectunt, ut dicetur numero sequenti, Acolythi post Capitulum remanent prope Celebrantem erecti, tenentes candelabra per totam stropham.

9. Celebrans stat, dum cantatur Hymnus et Versus. Genuflectit tamen in infimo gradu a parte Epistolæ, et genuflectunt omnes alii qui adsunt (præter Acolythos, ut numero præcedenti dicitur pro duobus Hymnis), dum cantatur prima stropha Hymni *Ave, maris stella*, et Hymni *Veni Creator* ; item dum cantatur in Hymno *Pange lingua* tota stropha *Tantum ergo*, sed tantum coram SS. Sacramento exposito, vel saltem in Tabernaculo recondito ; et in Hymno *Vexilla Regis* ad totam stropham *O Crux, ave.*

In Vesperis solet organum pulsari alternatim in strophis Hymni ; attamen advertendum erit, ut, quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, intelligibili voce pronuntietur id quod ab organo respondendum est. Regulare etiam est, ut strophæ Hymnorum in quibus est genuflectendum, cantentur semper a Choro, non autem ab organo, etiamsi stropha immediate præcedens a Choro fuisset decantata ; idemque servatur pro ultimis strophis Hymnorum.

10. Dum canitur Antiphona ad *Magnificat*, Celebrans sedet et caput cooperit. Accedit ad credentiam Thuriferarius cum thuribulo et navicula.

Nota. Thurificatio Altaris in Vesperis fieri debet, etiamsi solus Celebrans sit paratus, sine Ministris. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 2.)

11. Cum canitur Canticum *Magnificat*, Celebrans, detecto capite, assurgit, deponit biretum in scamno, signat se Cruce a fronte ad pectus, et manibus junctis accedit ante Altare, et facta profunda inclinatione capitis ad Crucem, vel genuflexione in infimo gradu coram Tabernaculo, ascendit. — Accedunt ad Altare Thuriferarius cum thuribulo, et Acolythus cum navicula, qui, facta genuflexione in plano, ascendunt prope Celebrantem. Acolythus stat ad sinistram Thuriferarii. Celebrans osculatur Altare ut alias in Missis, seseque

convertit versus latus Epistolæ quin de medio discedat, et imponit incensum cum benedictione : *Ab illo benedicaris, etc.*, dum interea Acolythus sinistra fimbriam pluvialis attollit ad dexteram Celebrantis. Thuriferarius tradit cum osculo manus Celebranti thuribulum, et Celebrans Altare incensat, eodem prorsus modo quo ad initium Missæ ante Introitum præscribitur ; interea Thuriferarius attollit fimbriam pluvialis ad dexteram Celebrantis, et genuflectit quoties Celebrans vel caput inclinat vel genuflectit. — Thurificatione peracta, Celebrans in latere Epistolæ reddit thuribulum Thuriferario, revertitur ad medium, caput inclinat, descendit, et facta inclinatione capitis aut genuflexione, uti in accessu, revertitur ad scamnum. Conversus ad Thuriferarium incensatur triplici ductu, et deinde stat usque ad finem Cantici. — Thuriferarius, accepto cum osculo manus Celebrantis thuribulo in cornu Epistolæ, descendit ad planum, et ab eodem latere exspectat adventum Celebrantis ; dein stans ad angulum gradus infimi, Celebrantem incensat triplici ductu, facta ante et post capitis inclinatione ; accedit ad Acolythos eosque incensat unico ductu ; deinde, genuflexione ad Crucem Altaris facta, tendit ad ingressum chori vel presbyterii, et stans in medio conversus ad populum, incensat populum triplici ductu, in medio, ad suam sinistram, ad suam dexteram ; et revertitur ad credentiam.

Notatur quod, si ad Vesperas cantandas Celebrans non esset paratus pluviali, omittenda foret Altaris incensatio.

12. Dum cantatur Antiphona post Canticum, Celebrans accipit biretum, sedet, et caput cooperit.

13. Repetita Antiphona, Celebrans caput detegit, assurgit, deponit biretum, et manibus junctis, cantat : *Dominus vobiscum*, et Orationes eodem tono quo in Missa. — Circa finem Antiphonæ Acolythi accedunt ad Celebrantem, et inclinatione ei facta, accipiunt candelabra, eaque ab utroque ejus latere sustinent, conversi alter ad alterum, usque ad finem Orationum.

14. Post Orationes, Celebrans cantat : *Dominus vobiscum* ; Cantores altiori voce cantant : *Benedicamus Domino* ; et Celebrans remissiori voce subdit ℣. *Fide-*

lium animæ. Dum cantatur *Benedicamus Domino*, Acolythi sua candelabra reponunt a latere Epistolæ, et facta inclinatione Celebranti, recedunt ad credentiam.

15. Post ℣. *Fidelium*, Celebrans remanens in loco suo, recitat secreto *Pater noster*, et mediocri voce dicit: *Dominus det nobis suam pacem*. Dein eadem voce dicitur Antiphona B. Mariæ V., et Versus, infra quæ Celebrans stat toto tempore Paschali, et omnibus diebus Dominicis a primis Vesperis in Sabbato, alias vero genuflectit in infimo gradu. Stat vero semper dum dicit tono feriali Orationem, et ℣. *Divinum auxilium, etc.*

16. Dicta Oratione, Celebrans accipit biretum, Acolythi accedentes accipiunt candelabra sua, et omnes accedunt ante Altare, ubi Celebrans vel caput et humeros profunde inclinat ad Crucem, vel genuflectit in plano coram Tabernaculo; Acolythi, quibus se adjungit Thuriferarius, genuflectunt in plano; et præcedente Thuriferario, revertuntur ad sacristiam, vel statim procedunt ad expositionem SS. Sacramenti, si solet post Vesperas dari Benedictio cum SS. Sacramento.

---

233. 1. Nonnumquam in Festis solemnioribus per annum solent Vesperæ in quibusdam Ecclesiis parochialibus cantari cum duobus Assistentibus. Isti induere debent superpelliceum, cui superimponere possunt pluviale.

Non conforme est regulis Vesperarum in Cæremoniale Episcoporum traditis, ut Assistentes indumenta Diaconi et Subdiaconi assumant; et auctores nequidem in casu Benedictionis cum SS. Sacramento post Vesperas dandæ, alia paramenta pro Assistentibus præscribunt quam superpelliceum et pluviale: in tali etenim casu, pro expositione SS. Sacramenti ante Vesperas et repositione post Vesperas, assistit alius Sacerdos indutus superpelliceo, qui stolam insuper in ipso actu expositionis et repositionis assumit.

2. Assistentes seu Pluvialistæ, facta inclinatione Imagini sacristiæ, cooperto capite incedunt ad utrumque latus Celebrantis, fimbriam ejus pluvialis tenentes, et ante Altare detecto capite, cum Celebrante profunde

inclinantur ad Crucem, vel genuflectunt in plano coram Tabernaculo, et mox genuflexi in infimo gradu, recitant Orationem *Aperi*.

3. Iterata inclinatione, vel genuflexione in infimo gradu, accedunt ad scamnum, et cum Celebrans intonat : *Deus in adjutorium, etc.*, prior Assistens elevat fimbriam pluvialis Celebrantis. Dein cum Celebrante sedent cooperto capite. Cum Celebrante detegunt caput, inclinantur, surgunt, sedent vel genuflectunt, quoties in præcedentibus numeris præscriptum est.

4. Ad *Magnificat*, deposito bireto, accedunt ad Altare, et faciunt diversas reverentias cum Celebrante ; prior Pluvialista cum osculis ministrat incensum dicens : *Benedicite, Pater reverende*, et thuribulum ; et in ipsa incensatione uterque tenet fimbriam pluvialis Celebrantis ; finita ad cornu Epistolæ incensatione Altaris, Pluvialista prior cum osculis recipit thuribulum a Celebrante, illudque statim tradit Thuriferario ; deinde ambo cum Celebrante revertuntur ad medium Altaris, et inde ad scamnum.

5. Postquam Celebrans ad scamnum reversus est, prior Pluvialista ante scamnum iterum recipit thuribulum, et incensat Celebrantem triplici ductu, facta ante et post inclinatione ; reddito thuribulo, accedit ad locum suum ad dexteram Celebrantis, ubi et ipse incensatur a Thuriferario duplici ductu, dein incensatur itidem alter Pluvialista.

6. Cantatis Vesperis, eodem quo venerunt modo, a scamno ad Altare accedunt,et ad sacristiam revertuntur.

Omittitur expositio cæremoniarum quæ servari debent, cum in Vesperis solemniter celebrandis Pluvialistæ quatuor vel sex intersunt, cum rarius hæc in Ecclesiis parochialibus fiant, et quæ tunc servanda sunt, describantur in Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. III.

ARTICULUS II

De Officio Defunctorum

234. Officium Defunctorum complectitur Vesperas, Matutinum et Laudes.

§ 1. De Vesperis

1. Altare ornabitur Cruce, et candelabris sex cum candelis ex cera communi ; nullus ornatus apponi potest inter candelabra. Ante Altare statuitur antipendium nigrum, et suppedaneum cooperitur tapete nigro, vel violaceo. Prope latus Epistolæ præparatur scamnum nudum vel coopertum panno violaceo, et ante scamnum legile nudum cum Breviario.

2. In sacristia præparatur pro Celebrante superpel liceum, et pluviale nigrum, vel saltem stola nigra (De cret. S. Rituum Congregationis, 12 Augusti 1854, n. 3029, antiq. 5208, ad 8 et 9.) ; reliqui omnes induunt tantum superpelliceum.

3. Celebrans, præcedentibus Acolythis sine candelabris, accedit ad Altare, et deposito bireto, ac facta inclinatione profunda ad Crucem, vel genuflexione ad Tabernaculum, statim accedit ad scamnum. Reliqui omnes accedunt ad chorum ; Acolythi stant ad credentiam.

4. Chorus Cantorum incipit Vesperas, canendo Antiphonas et Psalmos. Intonato Psalmo *Dilexi*, Celebrans sedet et caput cooperit ; item sedent omnes et caput cooperiunt. (Notandum est quod Antiphonæ cantantur ritu duplici in annua Commemoratione omnium Defunctorum die 2 Novembris, et in diebus depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario Defunctorum.)

5. Ad intonationem Cantici *Magnificat*, Celebrans et omnes alii assurgunt capite nudato, et iterum sedent ac caput cooperiunt, cum repetitur Antiphona ejusdem Cantici.

6. Completo Antiphonæ cantu, Celebrans detecto capite assurgit, et genuflectit in infimo gradu a parte Epistolæ ; item omnes de choro detecto capite procum-

bunt in genua; et Celebrans cantat Preces ; solus Celebrans assurgit cum dicit : *Dominus vobiscum* ; tono feriali simplici cantat Orationem, dein ℣. *Requiem* ; Cantores cantant sequentem ℣. *Requiescant in pace* ; atque ita fiet Vesperarum finis. Celebrans accedit ante Altare, et facta inclinatione, vel genuflexione, sicut in accessu, præcedentibus Acolythis, revertitur ad sacrarium.

§ 2. De Matutino et Laudibus

1. Altare ornatur ut supra pro Vesperis præscribitur, sed non præparantur scamnum aut legile ad latus Epistolæ ; Celebrans enim occupat primum a parte Evangelii chori subsellium. In medio chori statuitur legile nudum cum Breviario, ad canendas Lectiones.

2. Celebrans induitur superpelliceo, et pluviali nigro, aut saltem stola nigra ; reliqui omnes induuntur superpelliceo ; et accedunt omnes ad loca præparata in choro. Celebrans accedit ad Altare, inclinatur profunde ad Crucem, vel genuflectit coram Tabernaculo, et mox in ultimo gradu genuflexus brevem dicit Orationem, dein iterata reverentia, accedit ad primum locum præparatum a parte Evangelii.

3. Omnibus paratis, duo Cantores procedunt ad legile in medio chori positum, et genuflexionem ad Altare inclinationemque ad chorum, primum a sinistris dein a dextris, exsequuntur. Celebrans et omnes assurgunt, et Cantores incipiunt Invitatorium ; Clerus respondet, et ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, omnes conversi ad Crucem Altaris genuflectunt.

4. Completo Invitatorii cantu, duo Cantores, iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redeunt ad locum suum.

5. Chorus statim incipit cantare Antiphonam, et incepto primo Psalmo, Celebrans et chorus consident, cooperto capite.

6. Post Versum Nocturni, assurgunt Celebrans et Clerus, et recitant secreto *Pater noster*.

7. Comitante Cæremoniario, accedit ad legile, in medio chori positum, qui cantaturus est primam Lectionem, et peracta ad Altare genuflexione, ac ad chorum incli-

natione, cum omnes sederint post *Pater noster*, cantat primam Lectionem.

8. Terminata Lectione, Lector iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redit ad locum suum et sedet. Interea a Cantoribus cantatur Responsorium, et in fine Responsorii accedit, eodem modo quo præcedens, sequens Lector ad legendam Lectionem.

9. Nonam Lectionem non cantat Celebrans, sed aliquis seniorum, ad legile in medio chori ; cum cantatur nonum Responsorium, amovetur e medio chori legile.

10. Statim post nonum Responsorium, Cantores cantant Antiphonam Laudum, ad cujus intonationem neque Celebrans neque chorus assurgunt. Laudes cantantur sicut Vesperæ. Quum incipitur Canticum *Benedictus*, omnes assurgunt, et resedent ad repetitionem Antiphonæ ; dein omnes procumbunt in genua, et dicuntur Preces et Oratio, sicut in Vesperis.

11. Terminato Officio, chorus assurgit, et ordine usitato bini et bini omnes revertuntur ad sacristiam, facta genuflexione ante Crucem Altaris. Ultimo loco incedit Celebrans, qui in medio ante Altare vel profunde inclinatur ad Crucem, vel genuflectit coram Tabernaculo.

APPENDIX

235. De servandis in privata Officii divini recitatione

1. Oratio *Aperi* ante Officium, et Oratio *Sacrosanctæ* (a S. Bonaventura composita) post Officium non sunt de præcepto, sed valde consuluntur. Ecclesiam maxime in votis habere ut Oratio *Aperi* numquam omittatur, satis patet : ejus enim recitatio est præparatio ad rite dicendum Officium divinum maxime congrua. Quoad Orationem *Sacrosanctæ* notandum venit, quod ad lucrandum indulgentiam vel fructum hujus Orationis, necessario flexis genibus sit dicenda, et nequidem in casu legitimi impedimenti ambulando vel sedendo recitari valeat. Attamen Pius IX, ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio, pro lucranda indulgentia a Leone X adnexa, seu fructu dictæ Orationis, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis qui legitime im-

pediti fuerint infirmitatis tantum causa. (S. Congregatio Indulgentiarum, Decr. 26 Julii 1855, in edit. 1883 n. 368.)

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 225 ; et XIII, 1899, pag. 263.)

2. Ex communi interpretatione, Rubrica quæ præscribit quasdam preces genibus flexis in Officio divino recitandas, solum Chorum respicit, quamvis laudabiliter in privata recitatione observetur. (S. Alphonsus, *Theologia moralis*, Lib. V, n. 179, IV.)

3. Quoad signa Crucis, exstant declarationes sequentes S. Rituum Congregationis : Primum rogata S. Rituum Congregatio circa signum Crucis faciendum, tam in Choro quam extra, ad *Magnificat* et *Benedictus*, declaravit, esse faciendum ab omnibus, tam in Choro quam extra Chorum, juxta laudabilem communem praxim, præsertim in alma Urbe servatam. (Decr. 20 Decembris 1864, n. 3127, antiq. 5339, ad 2.) Dein rogata circa consuetudinem qua omnes in Choro signo Crucis se signant ad *Deus in adjutorium meum intende*, initio omnium Horarum et Laudum ; ad *Adjutorium nostrum*, ante Confessionem ; ad *Indulgentiam, etc.* ; et ad Benedictionem in fine Primæ et Completorii ; ad *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis* ; — item pollice signant os ad *Domine labia mea aperies*, et pectus ad *Converte nos, Deus* ; rescribere rata est, ut servetur hæc consuetudo. (Decr. 13 Aprilis 1867, n. 3156, antiq. 5380.) Responsum hoc datum fuit pro Choro, juxta dubium propositum ; sed videtur posse extendi jure merito ad recitationem extra Chorum, vi Decreti 20 Decembris 1864. Inspectis tum Decretis supracitatis, tum consuetudine quæ exstat, sequentia signa Crucis etiam in privata recitatione proponuntur facienda :

I. Parvum formatur Crucis signum, cum pollice super os, ad verbum *Aperi* Orationis præparatoriæ, et in initio Matutini ad ℣. *Domine labia mea aperies*.

II. Signum Crucis a fronte ad pectus et ad humeros formatur :

a) ad initium omnium Horarum et Laudum, sub his verbis : *Deus in adjutorium meum intende* ;

b) ad initium Canticorum *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis* ;

c) ad ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ante Confessionem in Prima et in Completorio, et post Confessionem ad verba : *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum* ;

d) sub fine Primæ post Lectionem brevem ad verba Benedictionis : *Dominus nos benedicat, etc.*, non vero ad præcedentem Versum *Adjutorium*.

e) sub fine Completorii, dum dicitur in Benedictione : *Pater, et Filius et Spiritus sanctus*.

III. Ad verba *Converte nos*, in Completorio post Confessionem, multi Crucem pollice formant in pectore, quam consuetudinem servandam esse declaravit S. Rituum Congregatio per Decretum supracitatum.

4. In privata recitatione Officium divinum eodem modo recitandum est, quam in publico seu communi Chori Officio, et nihil erit omittendum, aut immutandum, nisi specialiter sit præscriptum. Eapropter etiamsi solus Officium aliquis recitet, dicere debet ℣. *Dominus vobiscum* (loquitur enim et orat cum Ecclesia ejusque nomine), et sibi respondere ℟. *Et cum spiritu tuo* (Rubricæ generales Breviarii, Tit. XXX, n. 3) ; item Lectionibus præmittendum est : *Jube, domne* (et non *Domine*), *benedicere*.

Quoad *Confiteor*, et *Misereatur*, in Completorio, et in Precibus Primæ, notant Rubricæ (Tit. XV, n. 2), quod, quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis *Tibi Pater* vel *vobis fratres*, et *Te, Pater* vel *vos, fratres*, et similiter dicit : *Misereatur nostri.... peccatis nostris, perducat nos*.

5. In privata recitatione inter socios, unusquisque secreto dicit *Pater, Ave, Credo*, sive ante, sive infra, sive post Horas ; excepta Oratione Dominica infra Preces Vesperarum et Laudum, quæ ab uno clara voce pronunciatur, alio attendente vel aliis attendentibus.

Confiteor, et *Misereatur*, in Completorio et in Prima ab alternis possunt recitari uti in Choro, vel semel tantum dici ab uno, quemadmodum ab illo qui solus recitat. Invitatorium, Hymni, Psalmi, Responsoria, Cantica, Preces, Antiphonæ B. Mariæ V., et omnia quæ in Choro alternatim dicuntur, ab alternis etiam debent recitari eodem modo. Non autem fas esset, ut, ex.gr., unus

primum pronunciet Psalmi versum, alius secundum, tertius tertium.

Antiphonæ dici possunt vel alternatim cum Psalmis, vel simul ab omnibus.

Lectiones ordine dicentur a singulis, et unus Hebdomadarii munus obibit, qui dicet Benedictiones, et etiam Capitula et Orationes.

Advertendum est, oportere ut simul recitantes sese mutuo ac distincte audiant, caveantque ne quis umquam recitare incipiat, antequam alter desierit.

236. Incitamenta fervoris in Officio divino persolvendo

Centum orationes, ait S. Alphonsus, quas solus quis peragit, nullatenus tantum pretium habere possunt, quantum unica oratio Officii divini includit, quia hæc Domino totius Ecclesiæ nomine, et verbis Dei ipsius offertur. Ideo S. Magdalena de Pazzis dicebat, ad Breviarium comparatam omnem aliam orationem vel devotionem minoris esse meriti, minorisque efficaciæ coram Deo. Firmiter nobis persuasum habeamus, post SS. Missæ Sacrificium nullum pretiosiorem in Ecclesia thesaurum reperiri Officio divino, ex quo quippe quotidie flumina gratiarum haurire possumus.

(Apud Müller, *Theologia moralis*, Lib. II, §. 185 ; et in Operibus asceticis, Tomo XVI, p. 479.)

Obedientia Ecclesiæ præstanda nostraque ipsorum salus postulat, non tantum ut Breviarium quotidie recitemus, sed etiam ut eo, quo decet modo illud persolvamus. Hinc Concilium Aquisgranense primum, Cap. 109, dicit, sacerdotes aliosque ad Breviarium recitandum obligatos « memores angelicæ præsentiæ cum timore et veneratione competenti cœleste Officium complere debere, ne, si, quod absit, id negligenter, inhoneste vel tepide expleverint, in sententiam qua dicitur : Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter, miserabiliter delabantur. » Quapropter necesse est, ut oratio nostra fiat :

1. Digne, quoad officium corporis et externa rerum adjuncta, quæ ita disponenda sunt, ut grandi negotio, quod cum Deo tractas, omnino congruant. Hinc antequam orationem inchoes summam Dei majestatem considerans, in locum decentem et orationi aptum secede. « Cum oraveris » monet Christus, « intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum. » (Matth. VI, 6.) Stans cum reverentia Creatori tuo laudes exsolve, et pro tempore genua flecte. Deambulationem, saltem tumultuariam, devita, ne mentis evagatio, quæ inde nasci solet, fructum orationis intercipiat. Si quando ad sedendum debilitas vel lassitudo te compellat, juxta S. Bonaventuram saltem ad initium Officii, ad Invitatorium, ad Hymnos, ad Orationem dominicam et a Capitulo surgere non omittas. Etiamsi in lecto ægritudinis decumbas, reverentiam nihilominus aliquam adhibe, prout potes. Irreverentes et pigros se probant, qui sine justa causa sedendo aut jacendo debitas Deo exsolvunt laudes. « Si Pater ego sum, ubi est honor meus ? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus ? » (Malach. II, 6.) Nonne Christus positus genibus oravit, et procidit in faciem suam orans ? (Luc. XXII, 41, et Matth. XXVI, 39.) Cave porro ne colloquia aut occupationes externas orationi intermisceas, vel nimia præcipitatione truncatisque verbis eam percurras, vel cum nausea et oscitatione demurmures, sed articulate, distincte, integre omnia pronuntia, ut decet eum, « qui », dicente Chrysostomo, « pro universo terrarum orbe legatus apud Deum et deprecator intercedit. »

2. Attente. Sapienter omnino et apposite S. Cyprianus : « Cum astamus, inquit, ad orationem, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus ; cogitatio tunc omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Quæ autem segnitia est, alienari et capi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris ? quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris ! Quomodo te a Deo audiri postulas, cum te ipse non audias ? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis ? » (De Orat. Dom.) Oratio sine attentione non est oratio, sed orationis

simulatio, cui illud propheticum applicabitur : « Populus iste ore suo et labiis suis me honorat ; cor autem ejus longe est a me. » (Isai. XXIX, 13.) « Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. » (Joann. IX, 24.)

3. Devote. Attentio mentis id efficiat, ut Psalmorum versiculos animo volvens ac interpretationem eorum assequens affectu devotionis accendaris. Si autem non intelligis, reverere. Tene illud S. Augustini : « Si orat psalmus, orate ; si sperat, sperate ; si timet, timete ; omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. » Quod ut fiat, puro corde et a labe gravioris peccati libero ad orandum accede. Non enim, qui psalmi verba profert, sed qui mundo est corde justitiamque servat, hic digne psallit Deo. Quid prodest, hymnum cantare lingua, si sacrilegium exhalat vita ? In ipso Horarum exorsu cor humiliatum et contritum Deo offer ; intentionem tuam ad laudandum Deum, vel ad gratias Ipsi agendas, vel ad satisfactionem aliquam pro peccatis exsolvendam, vel ad Ejus opem invocandam dirige ; imo cuilibet Horæ peculiarem intentionem vel oblationem præmitte. In ipso Officii decursu divinæ præsentiæ memoriam renova, eoque finito aliquantulum in sinu Dei requiesce, donec ad alia negotia transeas. Sic orando cognosces, quam verus sit sermo, quem dixit Jesus ; « Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » (Joan. VI, 65.)

(Ex Libello precum Al. Schlör : *Clericus orans atque meditans*. Græcii. 1883.)

INDEX

SACRA LITURGIA — NOTIONES PRÆVIÆ

PAG.

Articulus I. *De Sacræ Liturgiæ definitione, objecto, valore et obligatione* 1
Articulus II. *De fontibus Sacræ Liturgiæ Romanæ.* 9
De Libris liturgicis. 9
De Decretis S. Rituum Congregationis 12
Articulus III. *De diversis Liturgiis quæ hodie apud Catholicos in usu sunt* 24
Liturgiæ Orientales 25
Liturgiæ Occidentales. 27

TRACTATUS DE OFFICIO DIVINO SEU DE HORIS CANONICIS

Conspectus rerum quæ in Tractatu exponuntur 30

PARS PRIMA

De Officii divini nominibus, origine et partibus . . . 31
Caput I. *De nomine et origine Officii divini* 31
Caput II. *De partibus Officii divini speciatim* 35
Sectio I. De elementis Officii materialiter sumpti. . . . 35
Articulus I. De elementis quæ pertinent ad Psalmodiam . . 35
§. 1. De Psalmis 35
§. 2. De Antiphonis 38
§. 3. De Versibus. 40
§. 4. De Absolutionibus 40
Articulus II. De elementis quæ pertinent ad Lectiones . . . 41
§. 1. De Lectionibus in Nocturnis 41
a) De Lectionibus primi Nocturni 46
b) De Lectionibus secundi Nocturni 48
c) De Lectionibus tertii Nocturni 50
§. 2. De Lectionibus brevibus 51
§. 3. De Responsoriis post Lectiones 51
§. 4. De Capitulis cum suis Responsoriis . . . 53
§. 5. De Hymnis 54
Auctores Hymnorum 57
Hymnus « Te Deum Laudamus ». 66
Articulus III. De elementis quæ pertinent ad Orationem . . . 68
§. 1. De Orationibus 68
§. 2. De Precibus 71
§. 3. De Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum 73
§. 4. De Antiphonis B. Mariæ V. in fine Officii . 75

PAG.

Sectio II. De singulis Horis canonicis. 77
Articulus I. De Matutino. 77
Articulus II. De Laudibus. 85
Articulus III. De Prima 86
Articulus IV. De Tertia, Sexta et Nona. 91
Articulus V. De Vesperis 92
Articulus VI. De Completorio 96
APPENDIX. OFFICIORUM QUORUMDAM SPECIMINA 99
Specimen Officii Duplicis et Semiduplicis 99
Specimen Officii Dominicæ per annum 109
Specimen Officii Festi Simplicis 116
Specimen Officii Ferialis. 119

PARS SECUNDA

DE BREVIARIO ROMANO EJUSQUE PRÆLUDIIS 127
CAPUT I. *De Breviario Romano.* 127
CAPUT II. *De Præludiis Breviarii Romani* 144
Articulus I. De Computo Ecclesiastico 144
Articulus II. De Kalendario 154
Articulus III. De Rubricis Generalibus Breviarii 163

PARS TERTIA

QUÆSTIONES IN RUBRICAS GENERALES BREVIARII ROMANI . . 165
Sectio I. De Officiis ratione objecti 165
§. 1. De Officii divini distinctione 165
§. 2. De Festis. 168
§. 3. De Dominicis 191
§. 4. De Feriis 202
§. 5. De Vigiliis 207
§. 6. De Octavis 211
§. 7. De Officiis Votivis. 225
Sectio II. De Occurrentia et de Concurrentia Officiorum. . 231
CAPUT I. De Occurrentia 231
Articulus I. De natura Occurrentiæ 231
Articulus II. De effectibus Occurrentiæ 233
§. 1. Quodnam Officium alteri est præferendum . 234
§. 2. De Commemorationibus in Occurrentia Officiorum 243
Casus Occurrentiæ. 252
Tabella Occurrentiarum 263
§. 3. De Officiorum Translatione. 265
§. 4. De Festorum mutatione, et Officiorum assignatione. 278
CAPUT II. De Concurrentia. 287
§. 1. De effectibus Concurrentiæ 287
§. 2. De Regulis in Concurrentia servandis . . 293
Tabella Concurrentiarum 318

PAG.

Sectio III. De Horarum partibus 319
§. 1. De Hymnis 319
§. 2. De Antiphonis et Versibus 339
§. 3. De Lectionibus in Matutino 355
§. 4. De Responsoriis. 375
Appendix. De Patrono loci et de Titulari Ecclesiæ. . . . 380

PARS QUARTA

CÆREMONIÆ SERVANDÆ CUM OFFICIUM DIVINUM SOLEMNITER PERSOLVITUR 411

Articulus I. De Vesperis. 411
Articulus II. De Officio Defunctorum. 417
§. 1. De Vesperis. 417
§. 2. De Matutino et Laudibus 418
Appendix. De servandis in privata Officii divini recitatione. 419
Incitamenta Fervoris in Officio divino persolvendo 422

INDEX ALPHABETICUS

Numerus Quæstionem designat.

Absolutio. Quid est, 27 ; quotuplex in Officio, 27 ; unde nomen, 27.

Ad libitum. Festa, seu Officia, 112 ; eorum leges, 112 ; omittitur eorum Commemoratio in Occurrentia, 164, Nota III.

Adventus. Institutio, 129 ; Dominica I, 121 ; 122 ; Feriæ majores, 128 ; 129 ; casus Occurrentiæ, 166, XII.

Alleluja. Ubicumque reperitur in Officio, dicitur per annum, 208, I ; quandonam per annum tacetur *Alleluja,* et quid ejus loco dicitur, 208, II ; tempore Paschali additur Antiphonis quando in illis non habetur, 208, III ; quibus Versibus additur in Officio, quibus non, 208, III ; non additur Versui *Emitte Spiritum etc.,* post Hymnum *Veni Creator,* 208, III ; in Festo et per Octavam SS. Corporis Christi, ubi dicitur in Officio, ubi non, 208, Nota ; in Officio votivo de SS. Sacramento, ubi dicitur, ubi non, 208, Nota.

Altare. Altaris thurificatio in Vesperis fieri debet, etiamsi Celebrans solus sit paratus, 232, n° 10.

Amavit eum, etc. Non admittitur in eadem Commemoratione pro Antiphona et Versu, 202, Nota 2°.

S. Ambrosius. Liturgia Ambrosiana, 15.

SS. Angeli. Officium votivum ; mutatio Antiphonæ 2 Nocturni tempore Paschali, 202, Nota 2° ; Festum SS. Angelorum Custodum est primarium, 108 ; Festum S. Angeli Custodis, si alicubi particulare celebratur, est secundarium, 108, Nota I.

SS. Angeli Custodes. Festum, 125 ; est primarium, 108.

Annuntiatio B. M. V. Translatio, 172.

Annus ecclesiasticus. Quando inchoatur, 84 ; divisio, 85 ; bissextilis, 86 ; 87.

Anticipatio Officii Dominicæ. Causa et ratio anticipationis, 124 ; qualiter fit, et quomodo dicitur Officium, 121 ; Dominica anticipata non admittit Officium votivum, 151.

Antiphona. Quid est, 24 ; quomodo dicitur, 24 ; distinctio ratione textus, 25 ; in Officio duplici, semiduplici, simplici, 102 ; sumpta e principio Psalmi vel Cantici, 201 ; in Matutino tempore Paschali, 207 ; eadem pro Commemoratione quam quæ jam dicta fuit : casus, 202 ; Antiphonæ *Euge, serve bone etc.,* ad *Benedictus* in Laudibus de Communi Confessoris Pontificis et non Pontificis, non censentur eædem, 202, Nota 1° ; Antiphona *Amavit eum* et Versus *Amavit eum* non admittuntur in eadem Commemoratione, 202, Nota 2° ; Antiphona sumenda in secundo Nocturno Officii Votivi SS. Angelorum, tempore Paschali, 202, Nota 2° ; Antiphona *O Doctor* quomodo variatur in Concurrentia duorum SS. Doctorum, 202, Nota 3° ; regulæ mutationum : Decretum S. Rituum Congregationis pro casibus quando plures Commemorationes occurrunt faciendæ ex eodem Communi, 203, 2° ; regulæ pro Festis simplicibus, 203 ; pro die infra Octavam, 204 ; pro Titulari in Suffragiis, 205 ; pro Festo redacto ad instar Simplicis, 206 ; *Alleluja* Antiphonis additum tem-

pore Paschali, 208, III ; Antiphonæ in Matutino Officii Ascensionis Domini, vide *Ascensio Domini.*

Antiphonæ b. m. v. in fine officii. Quæ sunt, 47 ; quando dicuntur, 47 ; in quibus Horis, 48 ; quo modo, 48.

Aperi. Oratio ante Officium divinum, 235.

SS. Apostolorum Commemoratio, 29 Junii, in Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, 165, Nota III.

Archiepiscopales sedes. 15.

Armenorum Liturgia. 15.

Ascensio Domini. Matutinum in Officio de Ascensione Domini dicitur cum Antiphonis ad singulos Psalmos, 207 ; Feria VI post Octavam Ascensionis Domini singulares habet Rubricas, 130, Nota.

Assignatio Officii. Assignatur Officium Festi, non Festum, 111, Nota ; assignatio Officii in Occurrentia, 157 ; quæ Officia assignantur, 173 ; Festa quorum Officium assignatur conservant jus ad Octavam, 173, Nota ; quid est, 175 ; terminus ad quem Officia assignantur, 176 ; an liberæ sint pro assignatione 28 Januarii, 3 Februarii, 20 Martii, 26 Martii, 176 ; Festa semiduplicia assignari possunt infra Octavas non privilegiatas, 176, Nota II ; ordo servandus si plura Officia sint assignanda, 177 ; casus particulares assignationis, 178 ; regulæ assignationis quando statuitur novum Festum celebrandum, 178, Nota ; a quo fit assignatio, 179.

S. Athanasii Symbolum. 57.

Auctor Rubricarum generalium Breviarii. 100.

Auctoritas Decretorum S. Rituum Congregationis. 13.

Augustus. Dominica prima, 125 ; initium primi Nocturni hujus Dominicæ, 210.

Aureus numerus. 28.

S. Barnabas. Ejus Festum duplex majus præfertur cæteris Festis Sanctorum, 187, 4°, Nota.

Beati. Beati non possunt eligi pro Patronis locorum 220, I ; neque sumi pro Titularibus Ecclesiarum, 220, II.

Beatificatio. Officium S. Rituum Congregationis, 10.

Beatus vir. Lectiones de Scriptura in Commune Confessoris non Pontificis, 209, Nota.

Benedictio. Ante Lectiones, 29 ; explicatur, 29 ; ordo in Matutino, 30 ; Benedictio *Divinum auxilium etc.*, in quibus Officiis dicitur, 30 ; Benedictio *Cujus Festum colimus etc.* in Officiis de Sanctis, in quibus Officiis dicitur, et quomodo mutatur pro variis Sanctis, 30 ; in Prima, 58.

Benedictiones variæ. Appendix Ritualis Romani, 8.

Benedictus, Canticum Zachariæ. Quare dicitur in Laudibus, 56 ; 62 ; quare stant omnes dum dicitur, 23 ; omnes signant se Cruce quando incipitur, 23.

Benedictus xiii. De obligatione rituum, 7.

Benedictus xiv. Reformationem Breviarii tentavit, 75.

Bibliographia. Indicantur diversa opera de Officio divino, 65, Nota.

Bis de eodem Commemoratio fieri non potest. 193.

Bissextilis annus. 86 ; 87.

Bona (Cardinalis). Effatum de utilitate Liturgiæ, 5.

Breviarium Romanum. Quæ Rubricæ sint præceptivæ, 7 ; fons Li-

turgiæ, 8 ; ejus editiones summatim indicantur, 8 ; nominis explicatio, 70 ; Historia, 71 ad 76 ; præludia, 96 ; Rubricæ generales, particulares, 100 ; dispositio et divisio, 77 ; Libri extracti e Breviario Romano, 77.

Cæremonia. Quid est 3 ; observationis Cæremoniarum curam habet S. Rituum Congregatio, 10 ; Cæremoniæ Vesperarum, 232 ; 233 ; Cæremoniæ Officii Defunctorum, 234.

Cæremoniale Episcoporum. Fons liturgicus, 8 ; ejus obligatio, 8 ; quæ rubricæ ejus sint præceptivæ, 7 ; ejus editiones variæ, 8.

Calendæ, Calendarium. Vide *Kalendæ*, *Kalendarium.*

Camera. Breviarium de Camera, 71.

Canon Missæ. Apud Græcos Liturgia vocatur, 1.

Cantica in Officio divino. Quæ, 23 ; ad quorum initium efformatur Crux, 23.

Capitulum. Quid est, 37 ; in quibus Officiis et Horis dicitur, 37.

Casus Occurrentiæ. 166.

Cathedralis Ecclesia. Festum Titulare, 224 ; celebratur cum Octava a Clero sæculari Diœcesis, 141, Nota III ; Anniversarium ejus Dedicationis quomodo est celebrandum, 219.

Causæ, seu significationes rituum, 6.

Christiana Doctrina. Ejus instrumentum efficax Liturgia, 5.

Christus Dominus instituit Liturgiam. 4.

Classes Festorum duplicium, 104 ; vide etiam *Festum ;* in Occurrentia, 160 ; in Repositione, 171 ; in Concurrentia, 187.

Clemens VIII. Quid contulerit pro reformatione Breviarii, 74 ; 104.

Clementina Liturgia. 15.

Clerici sæculares. Quod Kalendarium servare debent, 99.

Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis. 4.

Commemoratio. In Occurrentia 157 ; quid est, 161 ; quibus constat, 162 ; in quibus Horis fit, 162 ; quorum Officiorum fit Commemoratio, 163 ; in Occurrentia accidentali, 163 ; in Occurrentia perpetua, 163 ; regulæ statutæ per Decretum 28 Julii 1882, 163 ; in quibus Officiis omittitur Commemoratio in Occurrentia, 164 ; exceptiones pro Duplicibus et Semiduplicibus ad instar Simplicis redactis, 164, 1° ; exceptiones pro diebus infra Octavam, 164, 3° ; omissio Commemorationis ratione identitatis, 164, Nota II ; Ordo Commemorationum in Occurrentia, 165 ; mutationes faciendæ in Commemorationibus, ne bis eadem dicantur, vide *Antiphona, Versus* ; Commemoratio S. Petri et S. Pauli in alterutrius peculiari Officio, 165, Nota I ; 194 ; Commemoratio S. Joseph in Officio Desponsationis B. Mariæ V., 165, Nota II ; 194 ; Commemoratio Omnium SS. Apostolorum in Festo SS. Petri et Pauli, 29 Junii, 165, Nota III ; Commemoratio Omnium SS. Martyrum in Festo S. Stephani, 26 Decembris, 165, Nota III.

Commemoratio. In Concurrentia, 192 ; quando omittitur in Festis duplicibus 1 et 2 classis, 192 ; Commemoratio de eodem Mysterio vel Sancto quando omittitur, 193 ; Commemoratio SS. Cordis omittitur in Vesperis Octavæ diei SS. Corporis Christi, 193, Nota ; Ordo Commemorationum in Concurrentia, 194 ; mutationes faciendæ in Commemorationibus, ne bis eadem dicantur, vide *Antiphona, Versus.*

Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. Notanda pro ejus translatione, 170.
Commemorationes communes. Vide *Suffragia.*
Commentaria ad Instructionem Clementinam. Editio, 11.
Commissio historico-liturgica. Ejus institutio, 9.
Commissio liturgica. Ejus institutio, 9.
Completorium. Institutio, 20 ; ritus in recitatione, 64 ; unde nomen, 65 ; partes hujus Horæ, 65.
Computus ecclesiasticus. Quid est, 79 ; varia, 80-95.
Conceptio Immaculata b. m. v. Officium votivum, 150 ; quando dici debet, quando dici potest, 152 ; vide *Immaculata Conceptio.*
Concilium Tridentinum. Mandatum de Liturgiæ expositione, 5 ; quid contulerit pro reformatione Breviarii, 71.
Concilium Vaticanum. Proposita varia pro reformatione Breviarii, 76.
Conclusio. Hymnorum, vide *Hymni* ; Lectionum in Matutino, 31 ; Psalmorum, 22 ; Orationum, 43.
Concurrentia. Quid est, 180 ; distinguitur activa et passiva, 180 ; accidentalis et perpetua, 181 ; effectus, 182 ; quæ Officia concurrunt, 183 ; difficultates pro die infra Octavam, 184 ; difficultas pro Festo simplici si sequitur Feria, 185 ; regulæ generales duæ, 186 ; regulæ speciales pro Festis, 187 ; pro Dominicis, 188 ; pro diebus infra Octavas, 189 ; pro diebus Octavis, 190 ; pro Officiis votivis, 191 ; Commemoratio in Concurrentia, vide *Commemoratio* ; tabella Concurrentiarum, post Q. 194.
Confessor non Pontifex. Quænam Lectiones dicendæ in primo Nocturno, si de Communi debent dici, an *Beatus vir,* an *Justus, si morte,* 209, Nota.
Confiteor, in privata recitatione Officii. 235.
Congregatio Sacrorum Rituum. Institutio 9 ; quibus personis constat, 9 ; commissiones historico-liturgica et liturgica, 9 ; S. Congregationis officium, 10 ; ejus Decreta, vide *Decreta* ; ad eam recurrendum, 13.
Constitutiones Apostolicæ. 15.
Coordinatio Officiorum. 96.
Coptorum Liturgia. 15.
SS. Cor Jesu. Festum secundarium, 108 ; primarium si est Titulus Ecclesiæ, 108 in Nota II ; translatio Festi, 172 ; concurrentia cum die Octava SS. Corporis Christi, 193 ; Doxologia Hymnorum in Officio SS. Cordis, 196, Nota III ; Suffragium si est Titulus, 231.
SS. Corpus Christi. Octava, 146 ; concurrentia diei Octavæ et SS. Cordis Jesu, 193 ; ubi additur *Alleluja* in Officio, in Festo et per Octavam, 208, Nota ; in quo casu omittitur nona Lectio de Sancto, infra Octavam, 215 ; vide *SS. Sacramentum.*
Correctio Hymnorum. 39.
S. Crucis signum. Fit ad initium Canticorum quorumdam, 23 ; in privata Officii recitatione, 235.
S. Crux. Suffragium, si est Titulus Ecclesiæ, 231 ; vide *Suffragia.*
Cultus liturgicus. In quo consistit, 103.
Cyclus Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, 85 ; 117.
Cyclus solaris. 92.

S. Damasus. Statuit dici *Gloria Patri etc.* post Psalmos, 22.

Decreta S. Rituum Congregationis. Tradunt regulas Sacræ Liturgiæ, 8; editiones variæ Decretorum, 11; Suffragia et adnotationes super Decretis, 11; ultimæ editionis Collectionis ratio, 11; quomodo distinguuntur Decreta 12; Decreta generalia, æquivalenter generalia, particularia, 12; superscriptio, 12; auctoritas et obligatio, 13; inter se pugnantia, 13; formularia Decretorum 14; interpretatio, 14.

Dedicatio Ecclesiæ. Festum duplex 1 classis, 105; Festum inter præcipua Festorum localium, 219; Festum Domini, 160; Festum primarium vel secundarium, 108; Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum in Diœcesi Mechliniensi una eademque die celebratur, 98; 105, Nota; quomodo celebrandum, 219; celebratur cum Octava, 141; ejus dies Octava in Concurrentia, 190, Nota I, Nota II; Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis quomodo est celebrandum, 219.

Defunctorum Officium, 73; Cæremoniæ hujus Officii, 234.

Desponsatio b. m. v. Commemoratio S. Joseph in hoc Festo, 165, Nota II; 194.

Dies. Divisio, 19; initium, 80; mos ecclesiasticus designandi dies Hebdomadæ, 81; 127; dierum distributio in mense, 83.

Dies infra Octavam. Vide *Octava.*

Dies natalitia Sancti, 80; 111; quasi natalitia, 111; 174; propria, 111; 174; tamquam propria, 111; fixa, assignata, 111, Nota; 175; dies propria datur etiam pro quibusdam Festis mobilibus, 111, Nota.

Dies Octava. Vide *Octava.*

Dignitas personæ, in Festis, 104; in Occurrentia, 160; in translatione, 171; in Concurrentia, 187.

Diœcesis Patronus. Festum celebrandum, 223.

Directiva Decreta S. R. Congregationis. 13.

Directivæ Rubricæ. 7.

Directorium Officiorum. Vide *Kalendarium.*

Distinctiones Festorum. Festa ratione ritus, duplicia, semiduplicia, simplicia, 103; ratione classis, duplicia 1 classis, duplicia 2 classis, duplicia majora, duplicia minora, 103; ratione qualitatis, primaria, secundaria, 103; ratione dignitatis, personæ dignioris, minus dignæ, 103. Vide *Festum.*

Diversæ Liturgiæ. Antiquæ, 1; hodiernæ, 15.

Divinum auxilium etc. Octava Benedictio in Officio novem Lectionum, 30; in quibus Officiis dicitur, 30.

Divinum Officium. Vide *Officium divinum.*

Divisio. Diei et noctis, 19.

SS. Doctores. Festa, 110; in Occurrentia, 163; transferuntur, 167; privilegiis non gaudent eorum Festa secundaria, 110, Nota; mutatio Antiphonæ pro Commemoratione, 202, Nota 3°; mutatio Orationis si pro Commemoratione eadem occurrit dicenda quam Officii, 206, Nota; Lectiones primi Nocturni in Festis SS. Doctorum, 209.

Dolorum b. m. v. Festum, 125; 166; Casus XV; Translatio, 172; transpositio Hymnorum in Officio Festi celebrati Feria VI post Dominicam Passionis, 200, Nota IV.

Domine, prævenisti eum etc. Responsorium octavum in Communi unius Martyris, 217.

Dominica. Origo et disciplina celebrationis, 116; ordo Dominicarum per annum, 117; ritus Officii, 118; quomodo distinguuntur, 119; majores primæ et secundæ classis, minores, 119; Dominica SS. Trinitatis, qua ratione sit primæ classis, 119, Nota; ejus Officium in Occurrentia non transfertur, non omittitur, 120; 164; Dominica I Adventus, 121; Dominicæ vacantes, 122; vagæ, 123; Dominica prima Augusti, Septembris, Octobris, Novembris, 125; Dominica determinata mensis pro Festo celebrando, quomodo computatur, 125; Dominicæ post Epiphaniam, 123; 124; Dominica XXIV post Pentecosten, 123; 124; 166, casus XI; Dominicæ V Octobris Lectiones, 211; Officium Dominicæ quomodo dicitur 126; Specimen Officii Dominicæ, 67; quæ habent Officium festivum, 126; Dominicæ infra Octavas, 146; anticipatum Officium Dominicæ. 124; 163, Nota II; non admittit Officium votivum, 151; quomodo dicitur Officium Dominicæ anticipatæ, 126; Initia S. Scripturæ in Hebdomada Dominicæ anticipatæ, 210; Dominica in Occurrentia, 163; in Concurrentia 183; Vesperæ in Concurrentia Officii votivi de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. cum Dominica de Passione, 191; Nota; regulæ servandæ in Concurrentia, 188.

Dominicalis Littera. 82.

Dominus vobiscum. Quando dicitur ante Orationem, 43.

Doxologia. Hymnorum, vide *Hymni*; Psalmorum 22; vocatur minor, 22; a quibus composita, 22.

Duplex. Nomen unde, 101; ritus duplex, 102; Festum duplex, 104; specimen Officii duplicis, 66; vide *Festum*.

Ecclesia ordinavit Liturgiam. 4.

Ecclesia Cathedralis. Vide *Cathedralis Ecclesia*.

Emendationes diversæ Breviarii. Vide *Breviarium*.

Emitte Spiritum tuum, etc. Huic Versui non additur *Alleluja* tempore Paschali, 208, III.

Epacta. 90.

Epiphania. Ejus Vigilia, 134; habet tres Nocturnos, 216; Octava, 146; Dominicæ post Epiphaniam, vide *Dominica*; Lectiones primi Nocturni Hebdomadæ post Epiphaniam anticipatæ, 210.

Episcopus. Episcopi residentiales, in ritu Orientali, 15; in ritu Latino, 15; Episcopi Titulares, 15; Episcopus Ordinarius potest Festorum Officia assignare, 179.

Epistolæ S. Pauli. Earum Initia, quando legenda, quando omittenda, 210.

Error in Kalendario, seu Directorio. 99.

Esther. Liber Esther legitur in Dominica quinta Septembris, 210, Nota.

Euge serve bone. Antiphonæ ad *Benedictus* in Commune Confessoris Pontificis et Confessoris non Pontificis non censentur eædem, 202.

Exercitia spiritualia. Quod Kalendarium servandum in eis, 99; quod Titularis vel Patroni Suffragium dicitur, 231.

Exspectatio Partus B. Mariæ V. Doxologia Hymnorum in Offic hujus Festi, 196, 10°.

S. Familia. Est Festum Domini, 104, IV; quid in Concurrentia cum alio Festo Domini ejusdem classis, 187, 5°; an historici sunt Hymni Officii, 200, Nota V; Suffragium, si est Titularis, 231.

Feria. Quid est, 127; distinctio Feriarum, 128; rationes distinctionis, 129; Feriæ majores et minores, 128; Feriæ majores Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, secunda Rogationum, 129; Feriæ privilegiatæ, 128; 129; quæ Feriæ prohibent Officia Votiva, 128; cui Officio cedunt Feriæ, 130; Feria VI post Octavam Ascensionis, ejus privilegia, 130, Nota; ritus Officii, 131; specimen Officii ferialis, 69; Feria major in Occurrentia, 163; numquam ejus omittitur Commemoratio, 164; Feriæ in Concurrentia, 183.

Feriatio Festi Patroni loci, 220; 221; Titularis qua talis non habet feriationem, 220; 221; S. Joseph, Patronus Belgii, absque feriatione, 223; item Ecclesiæ universalis, 223; Patronus Diœcesis non habet feriationem, 223.

Fervor. Incitamenta fervoris in Officio persolvendo, 236.

Festum. Quid est, 103; distinctio Festorum ratione solemnitatis, ritus, classis, qualitatis, dignitatis, 104; Festa quo majora eo magis sola celebrantur, 109; Festa quo majora eo magis sunt fixa, 109; Festa in Occurrentia, vide *Occurrentia*; Festa in Concurrentia, vide *Concurrentia*; Festi translatio, vide *Translatio*; Festi mutatio, vide *Mutatio*; Officii alicujus Festi assignatio, vide *Assignatio*; regulæ servandæ quando præscribitur Festum novum, 178, Nota; Festum determinata Dominica mensis celebrandum, 125.

Festa quibuscumque solemniora et digniora, 104, Nota; 113, Nota; in Occurrentia, 160; eorum Octavæ semper præferuntur, 141, Nota I; regulæ in Concurrentia, 187.

— localia, seu propria, quæ sint tria præcipua, et quo modo celebranda, 219.

— duplicia 1 classis, 104; 105; in Occurrentia, 159; 160; vide *Translatio*; in Concurrentia, 187; 192.

— duplicia 2 classis, 104; 106; in Occurrentia, 159; 160; vide *Translatio*; in Concurrentia, 187; 192.

— duplicia majora, 104; 107; in Occurrentia, 159; 160; vide *Translatio*; in Concurrentia, 187; 192.

— duplicia minora, 104; distinguuntur Festa duplicia minora SS. Doctorum a cæteris, 110; Festa SS. Doctorum in Occurrentia, 163; Festa SS. Doctorum transferuntur, 167; vide *Translatio*; Festa duplicia minora in Occurrentia accidentali, 163; ad instar Simplicium redacta, 163, Nota; perpetuo ad instar Simplicium redacta considerantur ut simplicia, 176, Nota III; mutatio Antiphonæ et Versus pro Commemoratione Festi ad instar Simplicis redacti in Officio de eodem Communi, 206; Festi ad instar Simplicis redacti quando omittitur Commemoratio, 164; in Occurrentia perpetua, 163; vide *Translatio*; duplicia minora in Concurrentia, 183; 187; quando omittitur Commemoratio, 192; Specimen Officii Festi duplicis, 66.

— semiduplicia, 104; in Occurrentia accidentali, 163; ad instar Simplicium redacta, 163, Nota; perpetuo ad instar Simplicium redacta considerantur ut simplicia, 176, Nota III; mutatio Antiphonæ et Versus pro Commemoratione Festi ad instar Simplicis redacti in Officio de eodem Communi, 206; Festi ad instar Simplicis redacti quando omittitur Commemoratio, 164; in Occurrentia perpetua, 163; in Concurrentia, 183; 187; quando omittitur Commemoratio, 192; specimen Officii Festi semiduplicis, 66.

— simplicia, 104; in Occurrentia, 163; quando omittitur Comme-

moratio, 164; in Concurrentia, 183; quando omittitur Commemoratio, 192; mutationes pro Commemoratione ne bis eadem dicantur, 203; specimen Officii Festi simplicis, 68.
Festa primaria et secundaria, 104, 108; distinguuntur etiam Festa duplicia minora et semiduplicia primaria et secundaria, 108, III; in Occurrentia, 160; in Concurrentia, 187.
— personæ dignioris, 104; in Occurrentia, 160; in Concurrentia, 187.
— mobilia et immobilia, seu fixa, 112; mobilia lato sensu, 112, Nota; mobilia lato sensu sed minoris nobilitatis, 112, Nota; mobilia in Occurrentia, 160, 4°; mobilia in Concurrentia, 187, Nota.
— generalia, seu communia, seu universalia, 113, I; propria, magis propria, minus propria, 113, II; particularia, 113, III; Festa magis propria in Occurrentia, 160, 5°; in Concurrentia, 187, Nota; Festa particularia in Kalendario Diœcesano, 97.
— præceptiva et indultiva, 114.
— ad libitum, 115; 164, Nota III.
Fidelium Defunctorum Omnium Commemoratio. Notanda pro ejus translatione, 170.
Fides catholica. Ejus testis Liturgia, 5.
Fontes Liturgiæ Romanæ. 8.
Formulæ Decretorum S. Rituum Congregationis. 14.
S. Franciscus Assisiensis. Mutatio in prima stropha Hymni *Iste Confessor,* in Festo Impressionis SS. Stigmatum, 198, Nota.
SS. Fundatores septem Ordinis Servorum B. Mariæ V. Vide *SS. Septem Fundatores.*

Gardellini, Secretarius S. Rituum Congregationis, edidit Collectionem Decretorum, 11.
Generales Rubricæ Breviarii. 100.
Generalia Decreta S. Rituum Congregationis. 12.
Generalia Festa. 114.
Gloria Patri etc. Conclusio Psalmorum 22; a quibus composita, 22.
Græcorum Liturgia. 15.
S. Gregorius I. Quid contulerit ad ordinationem Breviarii, 71.
S. Gregorius VII. Quid contulerit ad reformationem Breviarii, 71.
Gregorius IX. Reformavit Breviarium, 71.
Gregorius XIII. Correxit Kalendarium, 88.

Hæc est vera fraternitas etc. Responsorium octavum in Matutino de Communi plurimorum Martyrum; notanda, 217.
Hebdomada. Ejus dies, mos ecclesiasticus eos designandi, 81; 127.
Hierarchia Catholica. Orientalis, 15; Latina, 15.
Historia Officii divini, et Breviarii Romani. 71-77.
Horæ diurnæ Breviarii Romani. Liber extractus e Breviario, 77.
Horarum divisio, 19; institutio, 20.
Hymnus. Quid est, 39; quot constat partibus, 39; quando inserti fuerunt Hymni in Officio, 39; Hymnorum correctio, 39; ordo Hymnorum in Breviario, 40; auctores Hymnorum, 40; doxologia, seu ultima stropha Hymnorum, 195; distinguitur communis, et propria, 195; doxologiæ propriæ tempori anni ecclesiastici, 196, Nota I; doxologiæ propriæ Festis, 196, Nota I; doxologiæ propriæ Hymnis, 196, Nota II; doxologia Hymni *Veni Creator Spiritus,* 195,

Nota I; doxologiæ in Festo Exspectationis Partus B. Mariæ V., 196, 10°; doxologiæ Hymnorum in Festo SS. Cordis Jesu, 196, Nota III; doxologiæ propriæ Festis et Hymnis dicuntur per totam Octavam, 196, Nota I; mutationes doxologiæ in diversis Officiis per annum, 196; regulæ servandæ pro mutatione doxologiæ, 197; transpositio vel conjunctio Hymnorum, 200; infra Octavas, 200, Nota I; in Festo SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ V., 200; in Officio Septem Dolorum B. Mariæ V. tempore Passionis, 200, Nota IV; in Officio Votivo de Passione D. N. J. C., 200, Nota III; in Festo SS. Rosarii B. Mariæ V., 200, Nota II; vide insuper *Identitas*; Hymni historici, ordo servandus in diversis Horis, 200; an sint historici Hymni Festi S. Familiæ, 200, Nota V; Hymnus *Te Deum*, vide *Te Deum*; Hymnus *Iste Confessor*, vide *Iste Confessor*.

Identitas. Si duo Officia concurrentia sint de eodem Mysterio, quid notandum est pro doxologia Hymnorum in Vesperis et Completorio, si propriam habeant, 197, 4°, A, b, Nota; identitas in Antiphonis et Versibus, vide *Antiphona*, et *Versus*; identitas in Orationibus, 206, Nota; notanda pro Commemorationis omissione in Occurrentia, ratione identitatis, 164, Nota II.

Idus, in mense Romanorum. 83.

Immaculata Conceptio B. M. V. Officium votivum, 150; quando dici debet, quando dici potest, 152; Concurrentia ejus Officii votivi cum Dominica de Passione, 191, Nota; Versus Responsorii Primæ in Officio Dominicæ Adventus infra Octavam Immaculatæ Conceptionis, 218; Officium votivum de Immaculata Conceptione, vide insuper *Officium votivum*.

Immobilia Festa. 112.

Incensatio Altaris. In Vesperis fieri debet, etsi solus Celebrans sit paratus, 232, n° 10.

Incitamenta fervoris in recitatione Officii, 236.

Indictio Romana. 91.

Indultiva Festa. 114.

S. Infantia Jesu. Ejus Suffragium, si est Titulus Ecclesiæ, 231.

Initia Librorum S. Scripturæ in Lectionibus I Nocturni. 210.

In medio. Responsorium octavum in Officio SS. Doctorum; notanda, 217.

Innocentius III. Reformatum sub ipso Breviarium, 71.

Instrumenta Dominicæ Passionis. Officia enumerantur, 107; sunt secundaria 108; in Occurrentia, 160; 166, casus IV.

Invitatorium in Matutino, 52.

Iste Confessor. Mutatio in prima stropha, 198; regulæ pro mutatione versuum in prima stropha, 199; mutatio facienda in Festo Impressionis SS. Stigmatum in corpore S. Francisci, 198, Nota.

SS. Jesu Nomen. Festum secundarium, 109; ejus translatio, 172.

S. Joannes Baptista. Translatio Festi Nativitatis, 172; Oratio dicenda pro ejus Suffragio, 230; de Hymnis ejus Officii infra Octavam, 200, Nota I.

S. Joseph. Festum celebratur sine Octava, 143; Festi translatio, 172; ejus Commemoratio in Festo Desponsationis B. M. V., 165, Nota II;

194 ; Patronus Belgii, et Ecclesiæ, 223 ; Suffragium, si est Titularis, 231 ; vide *Suffragia.*

S. Josephus a Cupertino. Effatum de præstantia Officii divini, 5.

Jube domne benedicere. Quando dicitur ante Lectiones, 29.

Jus liturgicum. Ad quem pertinet, 4.

Justus, si morte. Lectiones de Scriptura in Commune Confessoris non Pontificis, 209, Nota.

Kalendæ. In mense Romano, 83 ; VII et VI Kalendas Martii in anno bissextili, 87 ; Kalendæ quid sunt, 96.

Kalendarium. Quid est, 96 ; nominis ratio, 96 ; vocatur Ordo, Directorium, 96 ; varietas in Kalendariis, seu Directoriis, 97 ; 98 ; regulæ pro usu, 99 ; error in Kalendario, seu Directorio, 99 ; Kalendarii reformatio Gregoriana, 88.

Laudes. Hora Officii divini, 20 ; an Hora distincta, 50 ; Ecclesiæ finis in dicendis Laudibus, 56 ; quoad ordinem similes Vesperis, 56 ; ritus in recitatione, 55 ; quomodo inchoantur Laudes, quando separantur a Matutino, 54 ; tempus recitationis, 49 ; Commemoratio in Laudibus, 162 ; Laudes in Officio duplici, semiduplici, et simplici, 102.

Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Quando et ubi dicitur loco *Alleluja,* 208, II.

Lectiones. Pars Officii divini, 18 ; in Nocturnis Matutini, 28 ; disciplina antiqua et hodierna, 28 ; Officia novem Lectionum, et trium Lectionum, 28 ; præponitur Benedictio, 29 ; conclusio Lectionum, 31 ; Lectiones breves, 35 ; in Prima, 35 ; 58 ; in Completorio, 35 ; Lectiones in Officio trium Lectionum, 216 ; Lectiones propriæ, 209 ; Responsoria post Lectiones, vide *Responsoria.*

— in primo Nocturno. Quomodo vocantur, 32 ; 209 ; earum ordo, 32 ; quæ dicuntur, 209 ; Lectiones de Scriptura occurrente, 209 ; Initia Librorum S. Scripturæ, 210 ; Initia in hebdomada anticipata post Epiphaniam, 210 ; Initia Epistolarum S. Pauli, 210 ; Lectiones Dominicarum Sexagesimæ, Quinquagesimæ, secundæ, tertiæ et quartæ in Quadragesima resumi debent infra hebdomadam si impeditæ fuerint, 210, Nota ; Initium Dominicæ primæ Augusti, 210 ; Liber Esther in Dominica V Septembris, 210 ; Lectiones Dominicæ V Octobris, 211 ; Initia hebdomadarum quartæ et quintæ Novembris, 210 ; Lectiones propriæ in quibus Officiis præferuntur Lectionibus de Scriptura occurrente, 209 ; norma pro Festis duplicibus majoribus, 209 ; Lectiones in Festis SS. Ecclesiæ Doctorum, 209 ; quænam Lectiones sumuntur pro Confessore non Pontifice, an *Beatus vir,* vel *Justus, si morte,* 209, Nota.

— in secundo Nocturno. Quid continent, 33 ; emendatæ, 33 ; quæ dicuntur, 212 ; in unam compositæ pro nona Lectione, 214 ; Lectiones pro Octava Patroni loci vel Titularis Ecclesiæ, 212.

— in tertio Nocturno. Homiliaria, 34 ; apocryphæ, 34 ; quæ dicuntur, 213 ; signum ¶ in Lectionibus tertii Nocturni quid significat, 213, Nota ; Lectio nona pro Commemoratione, 162 ; quando dicitur, 214 ; quando omittitur, 215 ; Lectio nona de Homilia, vel de Sancto, 214 ; Lectio Sancti historica, 214 ; quando omittitur, 215 ; Lectio nona historica de Sancto dicitur in Matutino

Dominicæ in Albis, et in Matutino Vigiliæ Pentecostes, 214, Nota II.
Leo X. Quid contulerit pro reformatione Breviarii, 71 ; pro correctione Hymnorum, 39 ; 71.
Leo XIII. Recognovit Breviarium, 76 ; 163.
Libri Liturgici. Fontes Liturgiæ, 8 ; quinam dantur, 8.
Libri Sacræ Scripturæ. Quandonam per annum leguntur, 32 ; eorum Initia, vide *Lectiones in primo Nocturno.*
Littera Dominicalis. 82.
Littera Martyrologii. 93.
Liturgia. Significationes vocis, 1 ; definitio, 2 ; objectum scientiæ Liturgicæ, 3 ; institutio, 4 ; Jus Liturgicum competit Summo Pontifici, 4 ; utilitates, 5 ; diversæ Liturgiæ antiquæ, 1 ; Clementina, 15 ; diversæ Liturgiæ hodiernæ, 15 ; Orientales, 15 ; Occidentales, 15 ; fontes S. Liturgiæ Romanæ, 8 ; Liturgicus cultus in quo consistit, 103.
Localia Festa. Vide *Festum.*

Magnificat, Canticum B. Mariæ V. Quare dicitur in Vesperis, 62 ; quare stant omnes dum dicitur, 23 ; omnes signant se Cruce quando incipitur, 23.
Majores Dominicæ, 119, vide *Dominica* ; Feriæ, 128, vide *Feria* ; Vigiliæ, 134, vide *Vigilia.*
S. Maria. Ejus Officium parvum, 73 ; 149, Nota ; Officium S. Mariæ in Sabbato, 149, Nota ; Suffragium, si est Titularis, 231 ; vide *Suffragia* ; Festum Titulare si est Titularis Ecclesiæ, 224, Nota I ; translatio Festorum Annuntiationis, Purificationis et Septem Dolorum, 172 ; Immaculata Conceptio, vide *Immaculata Conceptio* ; Officium votivum de Immaculata Conceptione, 150 ; quando dici potest, quando dici debet, 152 ; vide *Officium votivum.*
SS. Martyres. Eorum omnium Commemoratio, 26 Decembris, in Festo S. Stephani, 165, Nota III.
Martyrologium Romanum. Fons Liturgiæ, 8 ; ejus editiones, 8 ; 78 ; ejus historia, 78 ; quid continet, 78 ; lectio in Prima, 58 ; regulæ recitationis, 78 ; Littera Martyrologii, 93.
Materiæ hujus Tractatus conspectus. 16.
Maternitas B. Mariæ V. Festum mobile lato sensu minoris nobilitatis, 112, Nota ; quando impeditur non transfertur, 112, Nota.
Matutinum. Institutio, 20 ; tempus recitationis, 49 ; quid complectitur 50 ; Introductio, 51 ; Invitatorium, 52 ; ritus servandus in recitatione, 53 ; quomodo terminatur, 54 ; separatio Nocturnorum, 54 ; Matutinum in Officio duplici, semiduplici, et simplici, 102 ; Antiphonæ ad Matutinum tempore Paschali, 207 ; Lectiones in Matutino, vide *Lectiones.*
Memoriale Rituum. Fons Liturgiæ, 8 ; quid continet, 8.
Mensis. Dierum in mense distributio, 83 ; duodecim menses in anno, 85 ; mensis Dominica determinata pro Festo celebrando, quomodo computanda, 125 ; vide *Dominica.*
S. Michael. Suffragium, si est Titularis, 231 ; Octava Benedictio in ejus Festo, 30.
Minores Dominicæ, 119 ; vide *Dominica* ; Feriæ, 128, vide *Feria* ; Vigiliæ, 134, vide *Vigilia.*

Missa. Liturgia vocatur, 1.
Missale Romanum. Fons Liturgiæ, 8 ; ejus editiones, 8 ; quæ rubricæ ejus præceptivæ, 7.
Mobilia Festa. Festa mobilia stricto et lato sensu, 112 ; Festa mobilia in Occurrentia, 160, 4°.
Mobilitas Festi Paschatis, 94 ; causa Occurrentiæ in Officiis, 155.
Monastica Liturgia. 15.
Mozarabica Liturgia. 15.
Mutatio. Festi in Occurrentia, 157 ; quid est, 174 ; quæ Festa mutantur, 173 ; a quo fit Festi mutatio, 174 ; 179 ; terminus in quem Festum mutatur, 174 ; Festa mutata servant jus ad Octavam, 173, Nota ; mutationes in doxologia Hymnorum, vide *Hymnus* ; in Hymno *Iste Confessor,* vide *Iste Confessor* ; pro Antiphonis et Versibus in Commemoratione, vide *Antiphona, Versus.*
Mysteria et Instrumenta Dominicæ Passionis. Officia enumerantur, 107 ; sunt secundaria, 108 ; in Occurrentia, 160 ; 166, Casus IV.
Mysticæ causæ, seu significationes rituum. 6.

Natalitia dies Sancti, 80 ; 111 ; est dies obitus, non dies nativitatis hominis, 111.
Nativitas Domini. Cyclus, 85 ; 117 ; Vigilia, 134 ; Octava, 148.
Naturales causæ, seu significationes rituum. 6.
Necrologium in Prima. 58.
Noctis divisio. 19.
Nocturni in Officio. Institutio, 20 ; ritus in recitatione servandus, 53 ; quomodo terminatur, 54 ; disciplina numeri Nocturnorum, 49 ; Lectiones in Nocturnis. Vide *Lectiones.*
SS. Nomen Jesu. Festum secundarium, 108 ; Festi translatio, 172.
Nomina diversa Officii divini. 17.
Nona. Institutio, 20 ; finis Ecclesiæ in dicenda Nona, 60 ; ritus in recitatione, 59.
Nona Lectio de Homilia vel de Sancto. Vide *Lectiones.*
Nonæ. In mense Romano, 83.
Novembris Dominica prima, 125 ; Lectiones de Scriptura occurrente hebdomadarum quartæ et quintæ Novembris, 210.
Novum Officium. Occasio assignationis, 111 ; 178, Nota ; in Occurrentia, 160, 5°.
Nox. Noctis divisio, 19.
Nullius. Sedes dictæ *Nullius*, 15.
Numerus aureus. 89.
Nunc dimittis, Canticum Simeonis. Quare stant omnes dum dicitur, 23 ; omnes signant se Cruce quando incipitur, 23.

Obligatio. Rubricarum, 7 ; Decretorum S. Rituum Congregationis, 13.
Occurrentia. Quid est, 155 ; distinguitur accidentalis, et perpetua, 156 ; ejus effectus, 157 ; rationes præferentiæ in Occurrentia, 158 ; ordo præferentiæ Officiorum, 159 ; Occurrentia duorum Festorum, ratio præferentiæ, 160 ; præfertur semper Festum ex solemnioribus Ecclesiæ universalis, 160, 1° ; dein Festum primarium, 160, 2° ; dein Festum dignioris personæ, 160, 3° ; dein Festum fixum præ mobili, 160, 4° ; animadvertenda quoad quædam Festa lato sensu mobilia, 160, 4° ; præfertur dein Festum magis proprium minus

proprio, 160, 5° ; quid sit attendendum pro Officiis novis, 160, 5° ; Occurrentia duarum Octavarum, ratio præferentiæ, 160, 6° ; casus Occurrentiæ, 166 ; tabella Occurentiæ, post Q. 166 ; Commemoratio in Occurrentia, vide *Commemoratio* ; translatio in Occurrentia, vide *Translatio, Mutatio, Assignatio.*

Octava. Quid est, 140 ; institutio, 140 ; Octava intelligitur liturgica, 140 ; quæ dantur, 141 ; denominatio dierum Octavæ, 142 ; quando prohibentur Octavæ, 143 ; Officium Octavæ cessans, 143 ; de quo dicitur post cessationem Officium, 143 ; dies amissæ, 144 ; quando omittitur Octava, 144 ; Octava Officii mutati aut assignati remanet et transfertur cum Festo, 144, Nota II ; 173, Nota ; Octavæ Officium quomodo ordinatur, 145 ; distinctiones Octavarum, 146 ; Octavæ Paschatis et Pentecostes, 146 ; Octava Epiphaniæ, 146 ; Octava SS. Corporis Christi, 146 ; Octava Nativitatis Domini, 148 ; Octavæ privilegiatæ, 146; 148; translatio Festi infra suam Octavam, 171 ; infra Octavam non permittuntur Officia Votiva, 151, Nota II ; Festa semiduplicia assignari possunt infra Octavas non privilegiatas, 176, Nota II ; doxologiæ Hymnorum Festi dicuntur per totam Festi Octavam, 196, Nota I ; transpositio vel conjunctio Hymnorum historicorum infra Octavas, 200, Nota I.

— dies infra Octavam, 142 ; qualitas, 147 ; in Occurrentia, 160, 6° ; 163 ; quando omittitur Commemoratio, 164 ; dies infra Octavam amissæ, 144 ; in Concurrentia, 183 ; regulæ pro Concurrentia, 189 ; difficultates in Concurrentia, 184 ; mutationes pro Commemoratione, ne bis eadem dicantur, 204 ; quænam dies infra Octavam admittunt Officia translata, 170.

— dies Octava, 142 ; qualitas, 147 ; in Occurrentia, 160, 6° ; 163 ; numquam omittitur Commemoratio, 164 ; non transfertur, 144 ; casus translationis Festi in suam diem Octavam, 172, Nota II ; in Concurrentia, 183 ; regulæ pro Concurrentia, 190.

Octobris Dominica prima, 125 ; Lectiones primi Nocturni Dominicæ quintæ, 211.

O Doctor. Mutatio hujus Antiphonæ in Concurrentia Officiorum SS. Doctorum, 202, Nota 3°.

Officium Defunctorum. Appositum in Breviario, 73 ; de obligatione illud recitandi, 73.

Officium divinum. Quid est, 16 ; nomina, 17 ; quibus elementis constat, materialiter, formaliter, 18 ; historia, 71-77.

Officium in Liturgia. Quotuplex distinguitur, 101 ; Officiorum ritus diversi, 102 ; Officium duplex, semiduplex, simplex, 102 ; Officia ad libitum, 115 ; Officiorum coordinatio, 96 ; Officii divini Ordo, 96 ; Officium novum, 111, Nota ; 178 ; Officia Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis : enumerantur, 107 ; sunt secundaria, 108 ; in Occurrentia, 160 ; 166, Casus IV ; Officium parvum B. Mariæ V., 73 ; 149, Nota ; Officium B. Mariæ in Sabbato, 149, Nota ; Officium Defunctorum, 73 ; Officiorum Specimina, vide *Specimina* ; Officiorum assignatio, vide *Assignatio* ; Officiorum translatio, vide *Translatio* ; Officii Defunctorum Cæremoniæ, 234.

Officium votivum. Quid est, 149 ; quæ Officia votiva sunt concessa Archidiœcesi Mechliniensi, 150 ; quæ concessa a Leone XIII, 151 ; dici possunt loco Officiorum Ferialium et Festorum simplicium, 151 ; Octavæ ipsa non admittunt, 151, Nota II ; Officium Domi-

nicæ anticipatæ ea prohibet, 151, Nota II ; quæ Feriæ ea prohibent, 128 ; qualitas, 153 ; quomodo persolvuntur, 154 ; regulæ pro Concurrentia, 191 ; concessa Archidiœcesi Mechliniensi quando dici debent, quando dici possunt, 152 ; 166, Casus XIII, XIV ; annuntiata in Kalendario, seu Directorio, 154 ; de transpositione Hymnorum in Officio votivo de Passione Domini, 200, Nota III.

Oratio. Pars Officii divini, 18 ; quid est, 42 ; salutatio præmissa, 43 ; insinuatio, 43 ; conclusio, 43 ; mutatio si dicenda occurrit eadem pro Commemoratione, 206, Nota ; Oratio *Pater noster,* vide *Pater noster.*

Oratorium. Oratorii publici et semipublici consecrati vel solemniter benedicti debet celebrari Festum Titularis ritu duplici I classis cum Octava, 224 ; qui hujusmodi Oratorio sunt adscripti debent dicere Titularis Suffragium, 230.

Ordo divini officii. 96.

Ordo Dominicarum per annum. 117.

Oremus. Ante Orationem, 43.

Orientales Liturgiæ hodiernæ. 15.

Particulares Rubricæ Breviarii. 100.

Particularia Decreta S. Rituum Congregationis. 12.

Particularia Festa in Kalendario, 97 ; 98 ; quæ Festa ita vocantur, 113.

Pascha. Ratio computandi, 79 ; determinatio, 95 ; celebratio, 94 ; cyclus Paschatis, 85 ; 117 ; Octava Paschatis, 146 ; Festum et Octava usque ad Sabbatum inclusive habent unum Nocturnum in Matutino, 216.

Paschales Tabellæ. 95.

Paschale Tempus. Quousque se extendit, 85 ; notanda pro Antiphonis quæ dicuntur ad Psalmos Matutini Tempore Paschali, 207.

Passio Domini. An in Officio votivo de Passione Domini facienda sit Hymnorum transpositio, 200, Nota III.

Pater noster. Præcipua ex Orationibus, 44 ; quando et quomodo dicitur, 44.

Patriarchales sedes. In ritu Orientali, 15 ; in ritu Latino, 15.

Patronus Ecclesiæ. Vide *Titularis Ecclesiæ.* Nomen Titularis Ecclesiæ convenit melius quam nomen Patroni Ecclesiæ, 221, Nota.

Patronus loci. Festum inter præcipua Festorum localium, 219 ; quomodo celebrandum, 219 ; Patronus præcipuus, Patroni æque principales, Patroni minus principales, 225 ; Festum duplex I classis, 105 ; primarium, 108 ; cum Octava pro clero sæculari, 141, Nota IV ; Officium ejus ordinandum, 145 ; causat frequenter assignationes, 178 ; mutationes faciendæ infra Octavam pro Commemoratione, ne bis eadem dicantur, 204 ; Lectiones secundi Nocturni, 212 ; definitio, 220 ; conditiones Patronatus, 220 ; differentia a Titulari Ecclesiæ, 221 ; potest idem esse ac Titularis, 222 ; quinam Patroni colendi sunt, 223 ; S. Joseph Patronus Ecclesiæ Catholicæ, 223 ; S. Joseph Patronus Belgii, 223 ; Patronus Diœcesis, 223 ; plures Patroni, 225 ; Patronus cum Sociis in Kalendario, 226 ; quinam tenentur celebrare Festum Patroni loci, 227 ; Regulares ad quid tenentur pro Patrono, 228 ; Suffragium Patroni,

229 ; quomodo dicitur, 230 ; Feriatio, seu Solemnitas, vide *Feriatio.*

S. Paulus. Initia Epistolarum S. Pauli, 210 ; vide *SS. Petrus et Paulus.*

Paulus IV. Quid contulerit pro reformatione Breviarii, 71.

Pentecostes. Cyclus, 85 ; 117 ; Vigilia, 132 ; 134 ; Officium Vigiliæ habet tres Nocturnos, 216 ; in Matutino Vigiliæ legitur nona Lectio historica de Sancto occurrente, 214, Nota II ; ejus Officium est vestigium antiquæ Vigiliæ, 132 ; Octava, 146 ; Festum et Octava usque ad Sabbatum inclusive habent unum Nocturnum in Matutino, 216 ; Dominicæ post Pentecosten, 117 ; 123 ; Officium anticipandum, 123 ; 124.

SS. Petrus et Paulus. Commemoratio in alterutrius peculiari Festo, 165, Nota I ; 194 ; Commemoratio Omnium SS. Apostolorum in Festo SS. Petri et Pauli, 29 Junii, 165, Nota III ; Commemoratio S. Pauli, 30 Junii ; ratio hujus Festi, 166, VIII ; Suffragium, si Titulares sunt, 231.

S. Pius V. Edidit Breviarium Romanum reformatum, 72.

Pius IX. Constitutio de Liturgiis diversis, 15 ; tentamen pro reformatione Breviarii, 75 ; sub ipso restituta in Gallia Romana Liturgia, 75.

Pontifex Romanus. Jus liturgicum exercet, 4.

Pontificale Romanum. Fons Liturgiæ 8 ; quæ rubricæ ejus præceptivæ, 7 ; ejus editiones, 8.

Præceptiva Decreta S. Rituum Congregationis. 13.

Præceptiva Festa. Quæ Festa ita vocantur, 114 ; non sunt confundenda cum Festis de præcepto, 114.

Præceptivæ rubricæ. 7.

Præfecturæ Apostolicæ. 15.

Preces. Quid sunt in Officio, 45 ; quomodo distinguuntur, 45 ; Dominicales, 45 ; Feriales, 45 ; in quibus Officiis dicuntur, 102.

Pretiosissimus Sanguis d. n. j. c. Vide *Sanguis D. N. J. C.*

Prima. Institutio, 20 ; ritus servandus in recitatione, 57 ; unde nomen, 58 ; quot constat partibus, 58 ; Officium Chori, 58 ; Officium Capituli, 58 ; Prima de S. Maria, 58 ; Necrologium in Prima, 58 Martyrologii lectio in Prima, vide *Martyrologium* ; Symbolum *Quicumque*, 57.

Primaria Festa. Quid sunt, 104 ; quæ sunt, 108 ; in Occurrentia, 160 in Concurrentia, 187.

Privata recitatio Officii, 235 ; cum sociis, 236.

Privilegiatæ Feriæ. Quid sunt, 128 ; ratio, 129 ; nulli Officio cedunt, 130.

Privilegiatæ Vigiliæ. 134.

Propria dies. Propria dies et quasi propria, seu tamquam propria, 111, II ; datur etiam dies propria pro quibusdam Festis mobilibus, 111, II.

Propria Festa. Vide *Festum.*

Propriæ Lectiones in Matutino. Vide *Lectiones.*

Psalmodia. 18.

Psalmi. Pars Officii divini, 18 ; ordo ecclesiasticus, 21 ; conclusio, 22 ; Graduales, 73 ; Pœnitentiales, 73 ; Antiphona sumpta ex principio Psalmi, 201.

Psalterium. Editio usitata in Breviario, 21.

Purificatio B. M. V. Ejus translatio, 172; mutatio in Suffragio B. Mariæ inde a Purificatione, 231.
Puritas B. Mariæ V. Festum mobile lato sensu minoris nobilitatis, 112, Nota; quando impeditur non transfertur, 112, Nota.

Quadragesima. Institutio, 129; Feriæ ejus majores, 128; 129; quæ sunt privilegiatæ, 128; 129; Lectiones primi Nocturni Dominicarum secundæ, tertiæ et quartæ resumi debent infra hebdomadam, si impeditæ fuerint in Dominica, 210, Nota; tempus recitationis Vesperarum in Quadragesima, 62.
Qualitas. Festorum, 104; Octavarum, 147; Officiorum votivorum, 153; in Occurrentia, 160; in Translatione, 171; in Concurrentia, 187.
Quasi natalitia dies Sanctorum. 111.
Quasi propria, seu tamquam propria dies. 111 II.
Quatuor Tempora. Institutio, 129; Feriæ majores sunt, 128, 129.
Quicumque. Symbolum S. Athanasii, 57.
Quignonius, Cardinalis. Composuit Breviarium, 71.
Quinquagesima. Lectiones primi Nocturni hujus Dominicæ resumi debent infra hebdomadam, si impeditæ fuerint in Dominica, 210, Nota.

Recitatio privata Officii, 235; cum sociis, 235.
Reformatio. Kalendarii, 88; Rubricarum generalium Breviarii, 100; Breviarii, vide *Breviarium*.
Regulares. Quod Kalendarium servare debent, 99; celebratio Patroni, 228.
Repositio Officii. 175.
Residentiales sedes. 15.
Responsoria in Matutino. Quid sunt, 36; quot partibus constant, 36; unde desumpta sunt, 36; post quas Lectiones dicuntur, 217; in quibus Officiis dicuntur novem aut tres, in quibus octo aut duo, 217; quæ Responsoria impedita in Dominica resumenda sunt in hebdomada, 217; Responsoria quæ vocantur historica, 36, II; Responsorium *Domine, prævenisti etc.*, in Communi unius Martyris, 217; Responsorium *Hæc est vera fraternitas etc.*, in Communi plurimorum Martyrum, 217; Responsorium *In medio Ecclesiæ etc.*, in Festis SS. Doctorum, 217.
Responsoria brevia. Quid sunt, 38; in quibus Horis dicuntur, 38; quomodo dicuntur Tempore Paschali, 38; mutationes in Responsorio brevi ad Primam, 218.
Rituale romanum. Fons Liturgiæ, 8; quæ rubricæ ejus sunt præceptivæ, 7; ejus editiones, 8; ejus Appendix, 8.
Ritus Latinus. 15.
Ritus in Officio. Quid est, 3; rituum causæ et significationes, 6; rituum curam habet S. Rituum Congregatio, 10; ritus Officiorum duplex, semiduplex, simplex, 102; ritus Festorum, 104; ritus Officii Dominicarum, 118; ritus Officii Feriarum, 131; ritus Officii Vigiliarum, 135; ritus in Occurrentia, 160; in Concurrentia, 187.
Rituum S. Congregatio. Vide *Congregatio*.
Rogationum Feriæ. 128; 129.
Romana Indictio. 91.

Romana Liturgia. 15.
Romanus Pontifex. Jus liturgicum exercet, 4.
Rosarium. Festum SS. Rosarii, 125 ; transpositio Hymnorum in Officio quomodo facienda, 200, Nota II.
Rubrica. Quid est, 3 ; unde nomen, 3 ; distinguuntur ratione obligationis, 7 ; substantiales, 7 ; præceptivæ, 7 ; directivæ 7 ; obligatio Rubricarum, 7 ; Rubricæ generales Breviarii, 100; auctor, 100 ; Rubricæ particulares, 100.

Sabbatum. Feria septima, 127; Sabbatum Sanctum, ejus Officium vestigium antiquæ Vigiliæ, 132.
SS. Sacramentum. Octava, 146 ; 148 ; Concurrentia diei Octavæ et SS. Cordis Jesu, 193 ; Officium votivum, 150 ; quando in Archidiœcesi Mechliniensi dici debet, quando dici potest, 152; Suffragium, si est Titulus Ecclesiæ, 231 ; quando omittitur Lectio nona de Sancto infra Octavam, 215 ; ubi dicitur *Alleluja*, et ubi non in Officio in Festo et per Octavam SS. Corporis Christi, 208, Nota ; ubi dicitur *Alleluja* in Officio votivo de SS. Sacramento tempore Paschali, 208, Nota ; vide *SS. Corpus Christi*, et *Officium votivum*.
Sacrosanctæ. Oratio post Officium divinum, 235.
S. Salvator. Suffragium, si est Titulus Ecclesiæ, 231.
Sanctificatio. Ejus præpotens instrumentum Liturgia, 5.
Sanctus. Sancti dies natalitia, quasi natalitia ; dies propria, tamquam seu quasi propria ; dies fixa, assignata, vide *Dies* ; Sanctorum Canonizatio Officium S. Rituum Congregationis, 10.
Sanguis D. N. J. C. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. est secundarium, 108 ; ejus translatio, 172.
Scriptura occurrens. Lectiones de Scriptura occurrente, vide *Lectiones in primo Nocturno*.
Secundaria Festa. Quid sunt, 104 ; quæ sunt, 108 ; in Occurrentia, 160 ; in Concurrentia, 187.
Semiduplex. Ritus, 102 ; specimen Officii Festi semiduplicis, 66 ; specimen Officii semiduplicis Dominicæ, 67.
Septem Dolores B. M. V. Festum, 125 ; 166, Casus XV ; translatio Festi, 172 ; transpositio Hymnorum in Officio Festi celebrati Feria VI post Dominicam Passionis, 200, Nota IV.
SS. Septem Fundatores Ordinis Servorum B. M. V. Transpositio vel conjunctio Hymnorum Officii, 200.
Septembris Dominica prima. 125.
Sexagesima. Lectiones primi Nocturni hujus Dominicæ resumi debent infra hebdomadam, si impeditæ fuerint in Dominica, 210, Nota.
Sexta. Institutio, 20 ; ritus in recitatione servandus, 59 ; Ecclesiæ finis in dicenda Sexta, 60.
Significationes rituum. 6.
Signum Crucis. Fit ad initium quorumdam Canticorum, 23 ; in privata Officii recitatione, 235.
Signum ¶ in Lectionibus tertii Nocturni quid significat, 213, Nota.
Simplex. Ritus, 102 ; specimen Officii Festi simplicis, 68 ; specimen Officii simplicis de Feria, 69.
Simplificatio. Festorum duplicium minorum et semiduplicium, 163 ; Commemoratio, 163 ; mutationes pro Commemoratione ne bis ea-

dem dicantur, 206 ; vide *Festa duplicia minora,* et *Festa semiduplicia.*

SS. Socii Patroni loci, vel Titularis Ecclesiæ. Quomodo sunt colendi, 226 ; quomodo Officium S. Socii separati ordinandum est, 226, Nota II.

Socius, in recitatione privata Officii. 235.

Solaris cyclus. 92.

Solemnitas. Festi Patroni loci, vide *Feriatio.*

Specimen Officiorum. Festi duplicis, 66 ; Festi semiduplicis, 66 ; Dominicæ, 67 ; Festi simplicis, 68 ; Feriæ, 69.

Stabat Mater. Transpositio Hymnorum in Officio Festi Septem Dolorum B. M. V. celebrati Feria VI post Dominicam Passionis, 200, Nota IV.

S. Stephanus. Commemoratio Omnium SS. Martyrum in Officio S. Stephani, 26 Decembris, 165, Nota II.

Stropha ultima Hymnorum. Vide *Hymni.*

Substantiales rubricæ. 7.

Suffragia sanctorum. Quid sunt, 46 ; quæ dicenda sunt, 46 ; quando omittuntur, 46 ; in quibus Officiis dicuntur, 102 ; Suffragium de Cruce, tempore Paschali, omittitur in Officio votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, et in Officio votivo de Passione D. N. J. C., 46 ; 154 ; Suffragium B. Mariæ V. omittitur in Officio votivo de Immaculata Conceptione, 46 ; 154 ; Suffragium S. Joseph omittitur in ejus Officio votivo, 46 ; 154 ; Suffragium SS. Petri et Pauli non omittitur in Officio votivo SS. Apostolorum, 46 ; 154 ; Suffragium Titularis Ecclesiæ, vel Patroni loci, quodnam dicendum, 229 ; a quibus dici debet, 230 ; quo loco dicitur, 230 ; quomodo dicitur, 230 ; mutationes Suffragii Titularis ne bis eadem dicantur, 205 ; si dicendus occurrit ℣. *Os justi,* jam dictus pro Suffragio S. Joseph, quid notandum, 205, Nota ; Oratio dicenda pro Suffragio S. Joannis Baptistæ, 230, III ; notanda pro Suffragio, si Titulares sunt : S. Crux, S. Salvator, SS. Sacramentum, SS. Cor Jesu, S. Infantia Jesu, S. Familia, S. Maria, S. Michael, S. Joseph, SS. Petrus et Paulus, 231 ; Suffragium Titularis tempore Exercitiorum spiritualium, 231.

Symbolum S. Athanasii. 57

Syrorum Liturgia. 15.

Tabellæ. Occurrentiæ, post Q. 166 ; Concurrentiarum, post Q. 194 ; Paschales, 95.

Tamquam propria, seu quasi propria dies. 111, II.

Te Deum laudamus. Auctor, 41 ; partes hujus Hymni, 41 ; ubi in Officio dicitur, 41 ; in quibus Officiis dicitur, 217.

Tempus Paschale. Vide *Paschale tempus.*

Tertia. Institutio, 20 ; ritus in recitatione servandus, 59 ; finis Ecclesiæ in dicenda Tertia, 60.

Thurificatio Altaris. In Vesperis fieri debet, etsi solus Celebrans sit paratus, 232, n° 10.

Titulares Episcopi. 15.

Titularis Ecclesiæ. Nomen Titularis Ecclesiæ convenit melius quam nomen Patroni Ecclesiæ, 221, Nota ; Festum inter præcipua Festorum localium, 219 ; quomodo est celebrandum, 219 ; Festum

duplex 1 classis, 105 ; primarium, 108 ; cum Octava, 141 ; Officium ejus ordinandum, 145 ; causat frequenter assignationes, 178 ; mutationes faciendæ pro Commemoratione, ne bis eadem dicantur, 205 ; Lectiones secundi Nocturni, 212 ; definitio, 220 ; conditiones, 220 ; differentia a Patrono loci, 221 ; potest idem esse ac Patronus, 222 ; quinam Titulares sunt colendi, 224 ; disciplina antiqua circa Titulares colendos, disciplina hodierna, 224 ; Titularis Oratorii semipublici solemniter benedicti coli debet, 224 ; Titularis Ecclesiæ Cathedralis quomodo colendus, 224 ; plures Titulares, 225 ; feriationem qua talis non habet Titularis, 220 ; 221 ; Titulares de novo designati in Belgio anno 1801, 224 ; Titularis cum Sociis in Kalendario, 226 ; quinam tenentur celebrare Festum Titularis, 227 ; pro Titulo B. Mariæ V. sumitur Festum Assumptionis B. Mariæ V., nisi Titulus sit Mysterium de quo Festum celebratur, 224, Nota I ; Suffragium Titularis, 229, vide *Suffragium*.

Translatio Officii. Transfertur Officium, non Festum, 111, Nota ; translatio in Occurrentia, 157 ; quænam Officia transferuntur, 167 ; non transferuntur, sed omittuntur quædam Festa mobilia lato sensu Dominicis affixa, 112, Nota ; 167, Nota ; quid est, 168 ; terminus ad quem Officia transferuntur, 169 ; translatio non fit in annum sequentem, 169 ; quid faciendum si pro translatione Officii locus ante anni finem non habetur, 169, Nota II ; dies infra Octavas pro translatione, 170 ; translatio Festorum perpetua, vide *Mutatio, Assignatio* ; ordo servandus in translatione plurium Officiorum, 171 ; translatio Festi quod cum Octava celebratur, 171 ; translationes Festorum SS. Cordis Jesu, SS. Nominis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Purificationis B. M. V., Annuntiationis B. M. V., Septem Dolorum B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, 172 ; notanda pro translatione Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, 170.

Tridentinum Concilium. Vide *Concilium Tridentinum*.

SS. Trinitas. Qua ratione Dominica SS. Trinitatis sit Dominica primæ classis, 119, Nota ; ejus dies Octava in Concurrentia, 190, Nota I.

Tu autem Domine miserere nobis. Conclusio Lectionum, 31.

Urbanus viii. Recognovit Breviarium, 74 ; curavit correctionem Hymnorum, 39.

Utilitates Liturgiæ Catholicæ. 5.

Vacantes Dominicæ. 122.

Vagæ Dominicæ. 123.

Varietates in Kalendariis, seu Directoriis diversis, 97 ; 98.

Veni Creator Spiritus. Doxologia propria hujus Hymni, quæ non mutatur, 195, Nota I ; ad Versum *Emitte Spiritum etc.* post Hymnum extra functiones liturgicas non additur *Alleluja* tempore Paschali, 208, III.

Versus. Quid est, 26 ; ubi dicitur in diversis Horis, 26 ; idem pro Commemoratione quam qui jam dictus fuit : casus, 202 ; Decretum S. Rituum Congregationis de mutatione Versuum, quando plures Commemorationes occurrunt faciendæ ex eodem Communi, 203, 2° ; regulæ mutationum : pro Festis simplicibus, 203 ; pro die infra

Octavam, 204 ; pro Titulari in Suffragiis, 205 ; pro Festo redacto ad instar Simplicis, 206 ; quibus Versibus additur *Alleluja* tempore Paschali, quibus non, 208, III.

VESPERÆ. Institutio, 20 ; ritus in recitatione servandus, 61 ; nomina diversa, 62 ; finis Ecclesiæ in dicendis Vesperis, 62 ; tempus recitationis, 62 ; Vesperæ primæ, secundæ, 63 ; 102 ; Vesperæ in Officio duplici, semiduplici, et simplici, 102 ; Vesperæ primæ Dominicæ, 126 ; 183 ; Commemoratio in Vesperis in Occurrentia, 162 ; Vesperæ in Concurrentia, 192, vide *Concurrentia* ; Vesperarum Cæremoniæ, 232 ; 233 ; thurificatio Altaris in Vesperis fieri debet, etsi solus Celebrans sit paratus, 232, n° 10.

VICARIATUS APOSTOLICI. 15.

VIGILIA. Quid est, 132 ; institutio et historia, 132 ; quæ dantur per annum, 133 ; distinguuntur : majores, seu privilegiatæ, et minores, seu non privilegiatæ, 134 ; Vigilia Epiphaniæ, vide *Epiphania* ; Vigilia Pentecostes, vide *Pentecostes* ; quo ritu peraguntur Vigiliæ, 135 ; Vigilia occurrens in Dominica, 136 ; Officium Vigiliæ impeditum, 137 ; translato Festo non transfertur Vigilia, 138 ; Vigiliæ minoris quando omittitur in Occurrentia Commemoratio, 164 ; ratione identitatis omittitur Commemoratio Vigiliæ Assumptionis B. Mariæ V., si eadem die agitur alicubi aliquod Festum B. Mariæ V., 164, Nota II ; Vigiliarum jejunium, 137.

VIRGINES. Mutatio Antiphonæ et Versus pro Commemoratione S. Virginis in Officio S. Virginis ex eodem Communi, 206, I ; mutatio Orationis pro Commemoratione S. Virginis si eadem est quam Oratio Officii, 206, Nota.

VOTIVUM OFFICIUM. Vide *Officium votivum.*

38526

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1970.S7 C001 V001
SACRA LITURGIA ED. 2. MECHELEN

3 0311 00046 0308

WITHDRAWN

BX
1970
.S73
38526
AUTHOR
Stappen, J. F. van der
1900 v.1 SACRA LITURGIA
TITLE